


UNIVERSITY OF TORONTO



3 1761 00007149 8



LIBRARY
OF THE
University of Georgia.



Rev. George Prentiss

ALCOVE 14
SHELF 6



A2

1-7

1.1

PUB. TERENTII AFRI

COMŒDIÆ SEX

EX EDITIONE WESTERHOVIANA

CUM NOTIS ET INTERPRETATIONE

IN USUM DELPHINI

VARIIS LECTIONIBUS

NOTIS VARIORUM

RECENSU EDITIONUM ET CODICUM

ET

INDICE LOCUPLETISSIMO

ACCURATE RECENSITÆ.

VOLUMEN PRIMUM.


T

LONDINI:

CURANTE ET IMPRIMENTE A. J. VALPY, A. M.

1824.

34810



PA
6455

A3
1824
Vol

NO VOUCHERS
ISSUED

CONSPECTUS

EORUM QUÆ HAC EDITIONE

CONTINENTUR.

	Pag.
FREDERICI LEONARD Epistola Serenissimo Delphino	1
Præfatio	3
Prolegomena	32
Elogia Veterum de Terentio	255
Elenchus alphabeticus scripturæ compendiorum quæ in hac Terentii ed. invenias	263
Pub. Terentii Andria	266
—— ——— Eunuchus	394
—— ——— Heautontimorumenos	539
—— ——— Adelphi	667
—— ——— Hecyra	796
—— ——— Phormio	909
NOTÆ VARIORUM in Andriam	1025
—— ——— Eunuchum	1162
—— ——— Heautontimorumenon	1299
—— ——— Adelfhos	1389
—— ——— Hecyram	1511
—— ——— Phormionem	1601
RECENSUS EDITIONUM Terentii	1693
Recensus Codicum Mss. Terentii qui in Bibliothecis Britannicis asservantur	1721
INDEX	i

SERENISSIMO
GALLIARUM
DELPHINO

LUDOVICI MAGNI FILIO.

TERENTIUM Tibi, DELPHINE SERENISSIME, cum Notis ac Commentariis recens editum, ea, qua par est, reverentia, offero; munus, ut spero, non ingratum; tum quia tuos in usus paratum est, tum quia genus hoc amœniorum literarum lubens ac lætus excipis. Quanti Poëtam hunc a teneris pæne unguiculis æstimaris, tam omnibus notum est, quam Tibi gloriosum. Hujus Tu fabulas nocturna diurnaque manu versabas, lepidos ubique sales belle supra ætatem mirabaris, et tam venuste recitabas, quam ille scripserat eleganter. Hunc ergo Regio nomini tuo inscribendum duxi, quem Tu præ ceteris Latinæ Linguæ auctoribus didicisti; ut, quantum Tibi attulit fructus et voluptatis, tantum ei gratiæ referas ac præsidii. Is enim jam es, DELPHINE SERENISSIME, qui ingenia, quanta sint, tanti æstimes; et doctorum hominum famam tuo non tantum patrocinio, sed etiam judicio tuearis. Hinc sit, ut magna commendatio, magnum laudis publicæ præjudicium sit, Tibi nondum adolescenti placuisse. Quod quidem in Te præstitit sapiens ac sedula pueritiæ tuæ institutio. Quanquam

enim inest Tibi quicquid summis Principibus conferre fortuna aut natura potest, Natalium splendor et longa Regum serie ducta generis claritudo, dignitati forma conveniens, vivida erectaque indoles, mira ingenii morumque felicitas, Virtus propria quam exerceas, paterna quam imiteris; majus tamen aliquid institutio contulit, sapientiam; ita natus es, ut Maximi Reges solent, ita educatus ut Optimi. Ecqua enim fuit unquam sollicitior aut sanctior in Aulis disciplina? Deum ac Parentes colere, servare modum in rebus, blandas adulantium fraudes rejicere, tribuere suam cuique laudem, benigne singulos ac liberaliter excipere, dare operam studiis literarum, et quicquid est bonarum artium animo complecti, hæc sunt sapientiæ monita, quæ et lubenter audis, et sponte sequeris. Hinc ego in eam spem facile adducor, Te hoc quaecumque sit munusculum non esse despecturum; quippe nec tua id sinet humanitas, quæ summa est, nec tuus in rem literariam amor, qui quotidiano studiorum usu alitur, et augetur. Accipe ergo, DELPHINE SERENISSIME, venustissimi Poëtæ Comœdias, in quibus et Latini sermonis elegantiam, et vivam morum civilisque sapientiæ imaginem, et urbanos, non unius modo Comici, sed virorum etiam in Romana Republica Principum, Lælii ac Scipionis, jocos invenias. Servent Te diu Fata Regi et Regno incolumem, et Ludovico Magno Parenti tuo parem Te præstent, quia majorem non possunt. Hæc sunt vota,

DELPHINE SERENISSIME,

Devotissimi et humillimi Servi tui,

FREDERICI LEONARD.

PRÆFATIO.

EXCERPTA EX

A. H. WESTERHOVII PRÆFATIONE.

* * * * *

ACCIPERE nunc, Lector Erudite, quibus præsiidiis instructus ad Comitorum Latinorum Principem edendum accesserim. Primum de Codicibus Mss. quos magno numero a me laudatos vides, exponam: post Editos, quibus maxime usus sum, commemorabo; tum, a quibus Interpretibus multum profecerim, profitebor: demum, quos vivos, sicubi hæsitabam, consuluerim, enarrabo. Quibus ordine expositis, de Donato, Calphurnio, et Eugraphio addam. Primum suo sibi jure vindicant locum quinque Codices Mss. Leidenses, quorum lustrandorum mihi copia facta abs Illustribus Academiae illius Curatoribus, eorumque Collegis Amplissimis, Urbis Lugduno-Batavæ Coss. Horum quidem Codicum incipit primus a vs. 540. Act. 1. Sc. 1. Andriæ; videturque manu pervetere exaratus, in membrana. Creditur autem olim fuisse Cl. Viri, Antonii Oisellii. Pauca in eo sunt vocum distinctiones, pauca scribendi compendia, plusculæ autem initiales literæ omissæ. Secundus, variis figuris exornatus usque ad mediam Heautontimorumenon, in fine ascriptum habet: 'Calliopius recensui. P. Terentii Afri Comœdia Phormionis Explicit. Amen.' Et hic Liber in membrana exaratus est, habetque distinctiones quamplurimas. Tertius est versibus junctis, et more prosæ ora-

tionis scriptus, itidem in veteri membrana. In hoc multæ sunt aspirationes, ex. gr. *Holim, Hostium, michi, nichil*, tum bene multæ vocum et syllabarum notæ. Quartus est scriptus per Theodoricum de Palude, Anno 1442. atque adeo nascente jam Arte Typographica, etiam in membrana. Additum in fine : *Finito Libro sit laus et gloria Christo*. Scripta autem sunt omnia versibus junctis. Quintus codex est antiquus in membrana, cui Titulus : ‘ Liber Eographii Argumentatorii Commentarii Andriæ.’ Progreditur ad Phormionem, etsi folia sint lacera, nec appareat finis Eunuchi, aut initium Heautontimorumeni. Tum sequitur Terentius integer, cui additur in fine : ‘ P. Terentii Afri Comœdia Phormio bono scolastico Explicit Feliciter.’ Terentium Priscianus excipit, De Metris Fabularum Terentii, et aliorum Comico-rum. Hujus tantum tria folia supersunt. Idem hic Liber in plures Scenas dispescit nonnullos Actus, quam quidem fit vulgo. Qui vero Justi Lipsii fertur Codex Ms. is a me excussus est ante quam ex auctione publica addiceretur Leidensi instructissimæ Bibliothecæ ; cum parte Ms. alterius, ejusdem Cl. Viri. Sequuntur Libri tres, duo priores Academiæ Trajectinæ et Oxoniensis, hic quidem e Bibliotheca Thomæ Bodleii Equitis, cum tertio Markiano, qui, quadringentorum fere annorum ætatem præferens, e suppellectile Librariæ Excellentissimi Ehrencronii emtus a Nobilissimo Viro, Henr. Hadr. van der Mark, van Leur, Jcto, antehac ad B. Mariæ Ultrajectinæ Canonico. Horum mihi Varias Lectiones suppeditarunt Clarissimi atque Amicissimi Viri, Carolus Andreas Dukerus, Abrahamus Gronovius, et Eduardus Zurkius. His accesserunt alteri tres, Typographorum meorum opera mihi conciliati, sed paulo serius, et parte operis jam typis exscripta. Horum Codicum primus, ut reliquos ætate, ita lectionis præstantia vincit. Medius forma est minima, primus et tertius maxima : omnes tamen in membrana. Iste antehac Illustris Grævii, visus mihi ante aliquot annos apud Cl. Virum, Jo. Theod. Schalbruchium, Lycei Amstelædamensis Professore-m, et Scholarum Rectorem, sed usibus meis negatus, de-

mum post ejus fata in solidum mihi tributus : ille communicatus mecum a Nob. Viro, Jo. De Wit, Amplissimi Viri, Jo. De Wit, urbi Dordracenæ nuper a Secretis, Filio, Summorum quondam apud Batavos Virorum, Jo. et Corn. De Wit Nepote : hic e Bibliotheca insigni, Viri Nobilissimi, Theodori Bøendermakeri, Canonici S. Martini apud Ultrajectinos, coëmtus. De aliis Libris manu exaratis, quibus Gabriel Faërnus, Philippus Pareus, Franciscus Guyetus, Joannes Henricus Bøeclerus, sed et plures alii dudum sunt usi, quosque partim in partes vocavi, dicere nihil attinet. Nolim tamen existimes, ita religiose a me excussam Librorum omnium, quos laudavi, scripturam, ut omnes apices persequendo nihil, quod a vulgata lectione abiret, non observatum dimiserim. Ea mihi, ut verum fatear, inanis futura opera, obscuraque visa est diligentia, incertiore factura Lectorem, quam is fuerat dudum. Quid quod ridendos passim propinarem publice bonos cetera Codices, si singula, quæ in manifesto cubare mendo nemo sanus negaverit, identidem exscribere, atque ad nauseam usque repetere voluissem? Non igitur me sæculi fastidium, sed certa deterruit ratio. Quod ne gratis dixisse videar, eorum, quæ mihi potiora sectanti ultro se ingesserunt, bonam partem Tecum hic communicare visum est. En igitur absurdas optimorum Codicum lectiones: *And. Act. 1. 1. 138. Sine ut eveniat. Act. III. 3. 24. Insperatæ nuptiæ hoc atque invito Pamphilo. Act. IV. 1. 59. Hem sed mane. Act. V. 1. 19. Objurgantem ancillam. Eun. Act. 1. 2. 35. Abreptam e Samo. Act. II. 3. 7. O fortunatum senem. Ibidem 24. Reddunt creatura junceas : et 45. Scilicet desine. Act. III. 1. 6. Est istuc datum profectum. Act. III. 5. 37. Dianæ misisse. Act. IV. 6. 31. Animo potenti. Act. V. 2. 8. Miserrimus feci fugitando. Heaut. Act. II. 1. 16. Quod deinde ei, recte est. Act. III. 3. 31. Quantum tibi operis Diant. Act. V. 1. 1. Idcirco scio. Adelph. Act. 1. 2. 64. Cum placeo. Act. III. 2. 35. Patrem ita obsecratum. Act. III. 3. 23. Congruum istum. Act. IV. 2. 23. Non puduit se : et 28. Referre non audebam. Act. IV. 3. 14. Et certo scio,*

quia nescis eas. Hec. Prol. Alt. 17. *Et inde terendo.* Act. I. 2. 15. *Consilium contemplasse :* et 40. *Utcumque maxime.* Act. III. 3. 47. *Excitatum reddidit.* Act. IV. 4. 41. *Dere-
linquunt viri.* Phorm. Act. II. 1. 3. *Reverti saltem non pu-
dore.* Act. III. 2. 39. *Quam addideras huic præconstituta.*
Act. IV. 1. 20. *Quod si scit, ut me excutiat.* Hæc et sex-
centa alia si singillatim suis locis annotassem, enimvero
vererer, ne operam lusisse me quis merito diceret. Neque
tamen affirmare liquido ausim, nihil in tot Codicibus, tam
difficilis sæpe lectionis, quod quidem dignum fuerit obser-
vatu, meam industriam fugisse. Quanquam, ne id fieret,
me fecisse sedulo, id scio. Sed et, ne Cl. Dukeri otio
abuterer, satis habui, si, de quorum lectione addubitabam,
quod commodo ipsius fieri posset, ea loca ad Codicem
Trajectinum, chartaceum illum, et Anno 1454. scriptum,
exigeret. Idque ultro mihi oblatum, summaque fide præ-
stitum, grato memorique animo agnosco. Ubi porro mino-
ris intéresse videbatur, suppressis nominibus, Mssorum
tantum mentionem feci. Atque hæc quidem de Mss. nostris
bis senis, cum parte tertii decimi, dicta sunt.

In Codicibus editis facile reliquis palmam præripit prin-
ceps illa Editio Anni 1469. triennio superans ætatem illius,
quam Cl. Mich. Maittaire primam vocat. Hanc ego usibus
meis concessam a capite ad calcem percensui ante quam
Illustrissimo Sunderlandiæ Comiti ex auctione publica in-
sano pretio addiceretur, atque in Angliam portaretur. Vi-
dit ibi, ususque est Cl. Vir, Franciscus Hare, laudans in
nupera sua Terentii Editione. Sed miror, videre potuisse,
quod meam pluriumque oculorum aciem fugerat, numerum
illum, quem dixi, non typis impressum, sed calamo ascrip-
tum fuisse. Addit tamen, nescire se, an omnium princeps
sit; certe quidem antiquissimam esse fatetur. Librum
hunc excipit Anonymus, pervetustus ille, cui nec Loci, nec
Typographi nomen, neque adeo Anni numerus est additus.
Sequitur Editio Tarvisiana, impressa per Magistrum Pau-
lum Ferari, et recognita per Magistrum Aluisyum Straza-
rolum, Anno 1481. Sequuntur Venetæ binæ, Annorum

1490. et 1512. Argentina, Anni 1499. Basileensis ex officina Frobeniana, Anni 1538. Lugdunensis 1511. Pictaviensis, sine anno ascripto; Basileensis altera, Anni 1548. Parisienses duæ, ex officina Rob. Stephani, quarum prior Anno 1536. in forma maxima, altera Anno 1540. in minima prodiit. Hæc quidem rarior videtur, paucisque, qui postea Terentium ediderunt, adhibita. Porro Lugdunensis, more prosæ scripta, Anni 1520. Veneta, Anni 1559. apud Paulum Manutium, Aldi Fil. Rursus Veneta, Anni 1521. ex officina Aldi; Antverpiensis, Anni 1560. præter Daventriensem, Gryphii et Juntarum, cum nonnullis aliis. Jos. Scaligeri Editionem diu frustra quæsitam videre mihi non contigit; neque sane quid compertum satis de ea habeo. Sunt, qui vidisse se, sunt et qui aliquando possedissee mihi affirmarunt. Alii nunquam prodiisse contendunt.

* * * * *

Porro autem insigni mihi adjumento fuerunt, quæ suis Codicibus ascripserant summi Viri, Gerardus Falkenburgius, Janus Gruterus, Franciscus Guyetus, Theodorus Pulmannus; quos mihi Codices omnes, præter primum, qui ex Editione Matthiæ Bergii Brunsvicensis prodiit Lipsiæ, Anno 1574. et servatur in Bibliotheca publica Lugduno-Batava, indefessa cura conciliavit Vir optimus, Thomas Johnsonius, Typographorum meorum alter. In iis enim non pauca minime vulgaria, certe ante hunc diem ἀνεκδότα reperi. Licet enim Bœclerus dudum ediderit Guyetiana, multis tamen partibus plura ejusdem Eruditissimi Viri reliquit inedita. Usus autem Bœclerum eodem hoc Codice, tanto magis mihi fit verisimile, quod, quæ edidit, ita eadem sunt cum glossis Mss. ut verbum de verbo expressum videatur. Quæ edere neglexit, quæque nunc primum a me eduntur, ita erant minutis literulis scripta, ut mirandum non sit, si tantus Vir, tantisque negotiis districtus eorum sensui indagando supersedit. Nunc vero foliorum margines ita putredine exesi sunt, ut ægre admodum literarum vestigia vel ab acerrimo oculo satis deprehendantur. Quanquam, dicam enim, quoniam mentio de Guyeto incidit, acerbior ille

mihī, licet cetera elegantioris literaturæ, videtur Criticus, quam par est, et plus æquo morosus Aristarchus, planeque immisericors, delens atque expungens non jam voces versusque singulos, sed integras Scenas ita notans obelo, et decussatis lineis, in illo, quo usus sum, Codice perstringens, uti in Editione Bœcleriana transverso illinendas calamo censet. Bœclerus vero cum præclara multa habet, tum in artificio Comico investigando et aperiendo regnat. Quod de Guyeto dixi, is ob nimiam licentiam merito ab Elegantissima Daceria vapulat, ad Phorm. v. 7. 29. Digna sunt Doctissimæ Annæ verba quæ commemorentur. Ita illa : ‘ Ces trois dernières Scenes sont peut-être les plus belles de tout le Phormion. Cependant M. Guyet leur a déclaré une si cruelle guerre, qu’il les retranche tout d’un coup, sans faire quartier à un seul vers. On ne peut s’empêcher de dire, que c’est là un dégoût d’un homme malade, plutôt, que d’un Critique judicieux et délicat.’

Quod in Observationibus maxime ad Donatum frequens vides Abrahami Wielingii nomen, hujus mihi Consultissimi Amicissimique Viri in Donato sexcentis mendis obsito e conjectura restituendo insignis opera fuit. Scilicet cum aliquando ad Amplissimum Virum, Samuelem Hulsium, Haganæ Civitatis Consularem, prædivitis et sane raræ Bibliothecæ possessorem inviserem, rogaremque, uti, si quæ præsidia meis usibus apta haberet, ea mihi ne negare vellet, *Μουσῶν θυρίδες ἀφθονοί*, respondit Vir Humanissimus, lustrandorum Librorum copiam facit, moxque Catalogum percensens præstantissimas quasdam Editiones mihi seponit. Ego interea cupide omnia circumspiciens incidi in Donati Codicem Ms. quantivis pretii. Et hujus mihi usura eadem liberalitate facta, ut, si quam inde veteri Interpreti opem ferre possem, id facerem. Ibi tum Eruditissimus Wielingius, cognito meo consilio, quæcumque sibi ad Donatum observata essent, ultro mihi obtulit. Inde igitur non contemnenda Observationibus nostris accessio est facta. Sed et alterum ejusdem Donati Librum nactus sum, itidem manu exaratum, junctum Codici illi Ms. Bœndermakeri, quem

laudavi supra. Hæc ego κειμήλια quanti fecerim, faciamque, verbis exprimere non possum; tanto magis, quod nullum sibi divitis Academiæ Oxoniensis aliosque Britannorum loculos perlustranti repertum Donati scripti exemplum mihi affirmavit Doctissimus Abrahamus Gronovius. Atque o utinam integer superesset Donatus! Ita vero multa in Comitorum Principe, quæ etiam nunc quasi in interiore angulo recondita latent, dudum illustrata cerneres. Verum, ut nunc est, contenti simus hoc Catone. Accidit nimirum optimo Interpreti, quod accidisse olim pluribus non pessimæ notæ Scriptoribus merito dolent Eruditi, ut nimirum bona sui parte mutilati ad nos pervenirent. Quid Erasmus quidem de nostro hoc Donato censuerit, vel Titulus Editionis Frobenianæ indicat, in quo hæc leguntur: ‘Habes hic, Amice Lector, P. Terentii Comœdias, una cum Scholiis ex Donati, Asperi, et Cornuti Commentariis decerptis.’ Asperi quidem vel Donatus, vel quicumque alius meminit ad Adelph. iv. 2. 20. Annæus Celsus et Helenius Acron, Grammatici, qui Terentii Interpretes fuerint, laudantur Charisio. De horum, sed et de Capri, Probi, aliorumque ætate dicere nihil habeo. Quid porro de iudicio et auctoritate Grammaticorum statuendum sit, edisserit Illustrissimus Scaliger ad Virgilio Copam. Petrus vero Nannius, Miscell. lib. 1. c. 6. ‘Aliquis indoctus,’ inquit, ‘indoctissimis verbis paraphrasin scripsit in Donatum. Id jam mundo obtruditur pro Donato.’ Loquitur autem de Commentariis in Virgilio Æneida. Idem vero alibi de Terentianis agens ‘indoctissimum nebulonem’ vocat, ‘qui pro Ælio Donato se venditaverit.’ Nihilo mitius de eo iudicium tulit Tanaquilus Faber, ad Phæd. 1. 4. ‘Dicam audacter, sed vere, non magis Servium hodie habemus, quam Donati in Terentium Commentarios.’ Excerpta tantum supersunt, et sæpius a mala manu.’ Temere loqui credis? ‘Quod demonstrare,’ addit, ‘si quis sibi postulet, tam equidem id possim facile, quam ostendere, Δις δύο εἶναι τέτταρα.’ Quamquam eadem res in Donato nonnunquam bis terve repetitæ, nonnunquam contrariæ, Erasmi iudicium firmare viden-

tur. Ubi autem qui ante hunc diem prodierunt Libri Commentarium Donati turpiter et inscite prorsus luxatum lancinatumque turbato ordine exhibebant, quod innumeris locis factum, qui volet, reperiet, emendatum nunc, restitutumque exhibeo.

Joannes Calphurnius ille Brixiensis, quisquis demum fuerit, Laurentii Vallæ ætate, id est, Sæculo quinto decimo, vixisse videtur, cujus diserte meminit ad Heaut. IV. 5. 10. Hic præter Commentariolum in unam illam Fabulam nihil Terentiani, quod sciam, reliquit, et haud raro quam proxime ad ipsum Donatum accedere videtur. Si quis Calphurnium possedisse Donatum etiam in Heautontimorumenon contendat, non valde repugnaverim. Certe quidem pluscula Donatiana in eo inveniri, plus semel monui in Observationibus.

Quæ Eugraphius, sive is Eographius vero nomine vocandus sit, in Nostrum vel notaverat, vel notanda Discipulis præceperat, perpauca admodum, neque fere quicquam, præterquam in Prologos Terentianos Fragmenta hujus Scriptoris, decimi, ut videtur, id est, obscurissimi Sæculi, e suo Codice primus omnium dederat Gabriel Faërnus, nuper repetita, et novæ Editioni Terentianæ adjuncta a Francisco Hare. Hæc vero bona parte post Faërnium e Libro Ms. auxit Fridericus Lindenbruchius. Sed vel ita ingentes lacunæ, hiatus vasti restabant; Hecyra integra præter utrumque Prologum, integræ item Phormionis Scenæ deerant. Cum id dolebam, neque, unde suppetiæ tam misere habito affectoque Interpreti petendæ essent, exputabam, commodum incidi in duplex exemplum, quod servatur in Bibliotheca Leidensi, lacerum alterum, alterum multis partibus integrius; illud quondam Is. Vossii, hoc Dionysii Petavii. In illo legebatur: 'S̄ci Petri Beluacensis.' In hujus fronte ascriptum erat: 'Rufinus in Commentario de Metris Evanthium Sacerdotem in Terentium citat.' Porro autem: 'Abbo Floriac. Abbas in Epistolis meminit Eugraphii.' Abbatem autem illum Floriacensem Sæculo x. floruisse constat. Unde de Eugraphii ætate conjectura fit.

Visum igitur fuit faciendum, ut ad utrumque illum Codicem et vulgatas Editiones exigere, et, quæ ab his aberant, inde transcriberem. Fateor, vel sic multa in eo superesse, quæ medicam manum desiderent; sed qualemcumque Eugraphium edere, quam nullum malui, maxime cum hujus instituti mei summos, quos laudavi, Viros auctores haberem; ut, si tanti est Eugraphius, Eruditorum conjecturæ et emendationi locus esset. Quæ ipse nonnunquam aspersi, leviora sunt, quam quæ magnopere laudari mereantur. Neque enim perpurgando illi Angiæ stabulo otium suppetebat. Cum enim nullo discrimine Terentiana Eugraphianis mista corruptissime legerentur, iis utcumque concinnandis satis molestiarum profligandum, satis tædii devorandum fuit.

De verbis autem ipsius Terentii, ea maxime ad Faërnæ Editionem exhibui; non ita tamen, ut, ubi ratio manifesto aliud suadere videbatur, nunquam secus legendum edendumve existimaverim. Ne quis credat, me Guyeti, Codices Mss. quibus usus est Faërnus, ad Hec. 11. 2. 16. sugillantis, auctoritate motum a tanti Viri lectione nonnunquam recessisse. Qui vero e tam grandi vetustissimorum Codicum, tamque varia confusorum versuum varietate verum et genuinum aliquando Terentium nobis daturus est, næ, is magnus Apollo fuerit. Nec Bembinus ille Liber, quamlibet prisci ævi, semper satis placet Faërno. Quid quod Guyetus ad Eun. 11. 2. 20. Terentianas Fabulas jam ante Ciceronis ætatem, id est, proxime Terentii obitum, interpolatas et depravatas fuisse censet? Quodcumque fuerit, Ciceronem, non longe adeo a Terentii ætate remotum, corrupto jam exemplo usum esse, vero admodum fit simile.

Causas ignorantiae metricæ in primis abolitam Romæ sub Augusto antiquitatis memoriam vocat in Senario suo Cl. Chr. Wasius, Tragicosque juxta ac Comicos veteres Bibliothecis in Urbe publicis dejectos; quando Auctores vero honore fraudatos denuo describere operæ pretium non fuerit Librariis. Sed cum nec Lucilio, Magni Pompeii magno avunculo, parceretur, cum a Nova Poësi Ennii sterquilini-

um, Attii veteris, Pacuvii verrucæ cum fastu repellerentur, et exoletorum verborum fœtores procul furcillarentur, Terentiano saltem metro parcere debuerat fastidiosum sæculum, et satis habere nascentis Eloquentiæ jam inde a primis incunabulis et vagitibus per singulas ætates incrementorum vestigia confudisse. Habebit igitur, in quo se exerceat Vir Cl. Richardus Bentleius, si, quod ad Horat. Serm. II. 5.79. pag. 513. profitetur, aliquando novam Terentii Editionem ad priscos numeros adornaturus est. Sane, qui rationem metricam in Terentio certis legibus innixam astrictamque dare volet, Terentium ipsum, forte et Lælium et Scipionem, ab Inferis excitet necesse est. Nisi crebras synalœphas, episynalœphas, collisiones, elisiones, sexcentas licentias alias probe cognitatas habeat, atque inde versus catalecticos, acatalecticos, brachycatalecticos, hypercatalecticos constituat; nisi inter scribentis Poëtæ, interque Histriionum verba, sed et Interpolatorum audaciam, denum inter innumera fere Variantium Lectionum divortia, a titubantis calami lapsibus orta, certissimum ubique, quod mihi quidem ἐν ἀδυνάτοις semper visum fuit, discrimen indiget, et, quodnam potissimum iter insistere oporteat, quasi divinus Mercurius ostendat, frustra futurus est, quicumque opus hoc moliri unquam volet. Fuerint hæc olim apud sæculum Comicum nota Latinis auribus; fuerint hæc deliciæ prolutis illis labris, Attico melli, Tusco lepori assuetis; enimvero alia nostræ ætatis hominum ratio est; essetque alia, opinor, si maxime Scriptores Metricos, et περὶ τῶν ἐν ποιήμασι παραχῶν, cum Græcos, tum Romanos longa dudum non delevisset dies. Dicam etiam amplius; facilius fuerit Taraxippo equorum in Hippodromo currentium pavores averruncare, quam ulli Scenico Numini Histriionum offensiones seu procurare, seu tollere. Aut igitur nescio cui duræ et cascæ licentiæ indulgendum, aut bene multa ita in alias formas varianda, ut Terentium in Terentio quæras. Horum utrum minus necesse sit, dicam quasi a Censore rogatus, EX ANIMI SENTENTIA, Non video. Metri quidem mentionem facit Donatus ad Phorm. I. 4. 48. et alibi non-

nunquam; is vero, si Guyetum ad *And.* *iv.* *l.* *3.* audimus, rei metricæ plane imperitus fuit. Jam vero Muretus ad *And.* *iii.* *2.* *1.* ‘Sunt hic aliquot,’ inquit, ‘versus, quorum dimensionem explicare ex veteribus Libris non potui, ex ingenio nolui.’ Idem, *Var. Lect.* *iii.* *3.* existimat, *Histrones* in recitandis *Fabulis* quædam de suo addidisse, ut oratio quotidianæ similior videretur; atque hinc factum, ut versus *Terentiani* sæpe videantur metro laborare. *Palmerius* autem ad *Phorm.* *v.* *7.* *77.* versus quosdam justo longius excurrere censet, non sine magna gratia, ut talia extra numerum censeantur. *Faërnus* testatur, se versum tertium et vigesimum, *Act.* *ii.* *Sc.* *3.* *Phormionis*, tum versum quartum et quadragesimum, *Act.* *v.* *Sc.* *7.* ejusdem *Fabulæ* pedibus metiri non posse. Alii ad alia adhæserunt. Neque *P. Antesignani*, singulis versibus tanquam proprios pedes ad oram ascribentis, sed inter *Erasmum* et *J. C. Scalligerum* semper dubii et fluctuantis, nimia diligentia rem satis expedit. ‘Profecto tanta,’ verba sunt *Jac. Perizonii* ad *Sanct. Min.* *p.* *417.* ‘invaluit licentia, ut vix inde quid certa ratione probare, vel refutare queas.’ Et si, quod sua jam ætate dicebat *Cicero*, *Comicos* *Senarii* propter similitudinem sermonis ita abjecti sunt, ut nonnunquam in his numerus et versus vix intelligi possit, quid, amabo, aliis *Carminum* generibus, quibus *Comædia* referta est, fiet? Viderunt id, qui temporibus *Prisciani* metra in *Terentii* *Comædiis* esse negarunt. Quanquam quis id in universum affirmaverit? Neque tamen cum *Quintiliano* plus gratiæ habituras fuisse crediderim, si intra versus trimetros stetissent. Grave enim videtur judicare de judicio talium *Virorum*, ad quorum scientiam cum in *Poëtica*, tum in *Latini* sermonis elegantia, quotquot tot quidem sæculis post hasce *Artes* tractarunt, vel etiam nunc tractant, vix comparandi sunt, ne quid gravius dicam. Ita igitur statuo, et arcanum *Artis Metricæ* *prisci* illius ævi dudum esse perditum, et versus *Comicos* omnino ita abjectos eo consilio, ut a sermone vulgari parum aut nihil abirent, eoque haud raro miscerentur. Vitam enim imitati soluta oratione

potius inter se confabulari, quam numeris astricta, videri voluerunt. Idem tamen Cicero Parad. III. 2. ‘Histrio,’ inquit, ‘si paulum se movit extra numerum, aut si versus pronuntiatus est syllaba una brevior aut longior, exhibilatur et exploditur.’ Quod qui fieri potuerit in Scena Nova, ubi alternis tantum sedibus Spondæi recepti, vix intelligas; nedum, si de Veteri sermo sit, ubi Tragicos, Comicos, Satiricosque Iambis Trochaicisque versibus plures immiscuisse Spondæos novimus. Quid quod numeri rebus passim parum conveniunt, variumque Carminum genus in eodem, idem in diverso negotio adhibetur? Si tamen ea Carmina sunt, unde nisi diversissima pedum et metrorum genera vix exsculpas. Neque semper, credo, dignitas nobis videtur in tardis Spondæis, neque exardescens affectus in incitatoribus Dactylis. Illud confidenter dico, nisi quis multo maximam literarum partem Comicorum, et maxime Plauti et Terentii ætate aliter scriptam, aliter pronuntiatam, vel omnino in sermone suppressam, quod nunc Gallis et Britannis perquam familiare est, ostenderit; sed et, quæ illius corruptæ pronuntiationis ratio fuerit, examussim indicaverit, nequicquam Licentiæ Comicæ Regulas nobis concinnabit. Si enim promiscue syllabam contra quantitatis vulgatæ, diphthongi, et positionis naturam corripere fas sit, quod contendit Cl. Hare; si non, *Estis vos*, sed *ête vous*, cum hodiernis Gallis, *Yo* pro *Ego*, cum Hispanis dixisse priscos Latinos credimus cum Cl. Wasio, quid sonuerit viva Sæculi Plautini et Terentiani vox, saue ægre ex ipsis per se literis confici posse patet. Et quotusquisque est, qui non videat, eadem ratione cuncta vel Ciceronis, cui in ipsis orationis fulminibus sæpius iambi exciderunt, vel cujuscumque alterius Scriptoris opera ad metrum redigi posse? Adco ardua res est, ad calculum revocare, quo pacto quid in veteri orchestra ad tibiam cantari et saltari sit solitum. Vidit id, et ingenue professa est Elegantissima Anna, cujus verissima in fine Præfationis verba sunt: ‘On pourroit faire beaucoup de remarques sur l’arrangement de mots, qui assez souvent sont autrement placés dans ces

Manuscripts, que dans les imprimés; mais cela seroit ennuyeux; nous n'avons pas aujourd'hui l'oreille assez fine pour juger de cette différence. Et pour ce qui est de la mesure des Vers, il nous sieroit mal de vouloir faire les délicats sur une cadence, qui étoit tres-peu sensible du tems même de Ciceron, et que les plus grands connoisseurs ne démêloient qu'avec beaucoup de peine.' Lucubrentur sane, mordeant unguis, extricent, quam velint, Viri docti, quibus otium est; tum demum vera eorum gloria prædicabitur, ubi utilitatem ejus, quod fecerint, approbabunt, fortunaque Græciæ in eo verti, demonstrabunt publice. Enimvero tueatur quis rite ceteras partes, et facilis intricatissimi metri jactura erit; satis se superque viva morum imagine, stylique elegantia commendabit Terentius. Ego igitur, ne quid adversus Legem Corneliam, quæ est de Falso, committerem publice, meque turpiter darem, de Metro perparce disserui. Neque enim est nostrum, quæ super eo argumento inter Erasmus, Scaligerum Patrem, Antesignanum, Glareanum, Goveanum, Scioppium, Tanaq. Fabrum, Joachimum Camerarium, Guyetum, alios, quanquam uti non æquales, ita nec per omnia pares, satis acriter sunt agitatae, componere lites. Quo sæpius autem Terentium lego, eo magis fit mihi verisimile, elegantissimum Scriptorum honestate verborum delectatum salebras versuum superare, quam quicquam de recto compositionis tramite deflectere maluisse. Et profecto, quantum decoris Virgilius ex Homeri imitatione consecutus est, tantum e Menandri expressione Terentius, aut plus eo. Contra si qui sentiunt, nil sentiunt. Audiant hæc vel Volcatii Sedigiti Manes, palmam, Terentio debitam, Cæcilio dantis. Ducatur sane huic laudi, auctore Horatio, gravitate vicisse, modo de Arte lis nulla moveatur Nostro. Quanquam quis in Socco gravitatem Cothurni magnopere admiretur? Certe quidem tenuitatem sermonis in Comædiis Græcis Quintilianum laudasse novimus. Unde dubium nullum est, mansurum Terentio suum honorem, Latinis dum manebit pretium Literis.

Tum alterum est, quod mihi parum etiam expeditum usque adhuc videtur a Viris Eruditis, et vereor, ut unquam satis expediatur. Scilicet Afer noster ita e Menandro, Apollodoro, Diphilo, multa transtulit in suas Fabulas, ut veteris Græciæ mores passim notare videatur; ita Romanis Romane scripsit, ut Romanorum sui ævi instituta non raro tetigisse appareat. Verum hæc ubique qui certissimis argumentis discernere quiverit, videre me nondum memini. Est, ubi Donatus ipse dubitat, et nihil expedit.

* * * * *

EXCERPTA E PRÆFATIONE LINDENBROGII.

PUB. TERENTIUM AFRUM, Comœdiæ Latinæ scriptorem undecumque elegantissimum, atque ingenii festivi, curatore studio recensitum bono publico exhibere visum fuit. Quem enim pueri amavimus, ejusdem amœnitate ac venere vel hac quoque ætate nos capi, non erubescimus. Non denegarunt nobis hac in re operam suam amici nostri, viri literati. Inprimis vero multum adjuti sumus favore celeberrimi jurisconsulti Franc. Pithœi Tricassinensis, qui duo nobis Terentii exemplaria suppeditavit; alterum fratris B. M. alterum manu sua emendatum. His accessit Ms. codex qui in bibliotheca regis Galliæ asservatur: cujus ea visa est antiquitas, nec minor bonitas; ut vel solus sufficeret, cujus fidem sequeremur: in quo etiam Terentii imago, plane ut eam ex Vaticana bibliotheca Fulvius Ursinus V. C. edidit, antiqua manu depicta erat. Usi sumus et aliis scriptis libris, sed qui perparum profuerunt: nam et recentiores erant; et, si quid variarent, id levidense admodum atque exigui momenti.

Donati duo exemplaria habuimus, et illa Pithœorum accurata diligentia ad Mss. codd. Antonii Contii et Jacobi Cujacii Antecessorum Bituricensium collata; quorum aux-

ilio in hoc commentario plurimæ lacunæ suppletæ, aliaque infinita errata integritati suæ restituta sunt. Juverunt etiam nonnihil collectanea quædam, quæ in bibliotheca regia Parisiensi, et schedæ vet. Pet. Danielis Aureliani, viri humanissimi. Sed nescio qui veluti de compacto factum, ut Græca fere omnia in omnibus libris adeo vitiose scripta, ut raro quid inde boni extricare licuerit, vel indagare, quod specie recti placeret. Itaque non nostro saltem, sed aliorum quoque judicio, characteres vitiosos proponere voluimus, ut cuilibet pro captu ac lubricitate emendandi causa relinqueretur integra.

Eugraphium non uni debemus. Præter pauca enim illa, quæ hujus scholiastæ Faërnus vir diligentissimus olim in Italia provulgavit, alia longe plura ex antiquissimo libro Ant. Loisei J. C. nunc primum edita: et, quæ huic deerant, ex nobiliss. Franc. Olivarii codice suppleta sunt. Cetera vero quæ desiderantur, si tanti videbuntur, a felicioribus meliori sæculo fors fuat an in lucem proferri poterunt: nam, ut nos hic Italis plura præstitimus, sic, alii diligentiam nostram si supplebunt, non invidemus. Laus est publica. Extat quidem Parisiis in bibliotheca regia commentum in hunc Comicum, Eugraphii titulo insignitum: sed adeo ineptum, adeoque nugis plenum, ut vere quis ex Luciorum schola detonsi cujusdam tenebrionis dixerit blateramentum: idcirco etiam ejusmodi affaniis editionem hanc contaminare nobis religio fuit.

EXCERPTA E PRÆFATIONE
FRID. HENRICI BOTHE.

* * * * *

COLLATI sunt in usum hujus editionis codices Mss. sex, paris propemodum ætatis omnes, quorum quinque integri, alter autem Guelferbytanorum, quem posteriorem voco, ex

Delph. et Var. Clas.

Terent.

B

parte tantum, ut qui fide haud comparandus videretur esse alteri, membranaceo quidem illi (nam alter chartaceus), rescripto, judicibusque Langero et Brunzio, viris clarissimis, annos abhinc circiter sexcentos exarato. Inspexit duo Guelferbytanos vir doctissimus, Gesenius, Helmstadiensis, de quo bene sperare literatam jubeo rempublicam. Berolinensium et libri Helmstadiensis, ab Academia Julia liberaliter nobis communicati, potiores lectiones ipsi excerpimus, itaque instructi ab externis subsidiis, via critica, quam munivit Ricardus Bentleius, tutius jam ingressi, quicquid dedit vir ille incomparabilis manifesto melius vulgatis et quasi extra omnem lectionis et conjecturæ aleam positum, tacite fere id recepimus; ubi dubium relictum esset, monuimus, succurrimus.

Designantur libri scripti literis A B C Gu. 1. Gu. 2. Hel. Quorum duo Berolinenses membranacei sunt, eorumque alter nitidissime scriptus, alter continue lacerusque in extrema fine; tertius vero Berolinensium chartaceus est, qui quidem in Regiam bibliothecam venit ex Georgii Fabricii, quanquam alius is liber codice ejusdem Fabricii illo, quo usus est Bentleius: Italici, ut videtur, tres libri omnes: quibus de fide ac bonitate lectionum haud concedit apographum Helmstadiense.

* * * *

EXCERPTA E PRÆFATIONE D. PAULI JAC. BRUNS.

QUA fortuna sæpenumero in bibliothecis a me perlustratis adhuc usus sum, ut literarum monumenta viris doctis vel plane non vel non satis cognita invenirem, eandem mihi Halæ, postquam hic sedem fixi, obtigisse, omnino gaudeo. In bibliotheca Mariana, quam mense Junio præteriti anni primum adii, a doctissimo et humanissimo ejus custode Kemme, Med. D. et P. P. O. mihi ostendebatur codex Comædiarum Terentii membranaceus, quem ibi asservari ig-

norabam. Nam neque nuperi ejus editores cl. Schmieder a. 1794. et cl. Bothe 1806. neque alii, qui ante istos viros doctissimos de Terentio edendo et illustrando bene meriti sunt, codicem laudarunt. Bothius sex codices manuscriptos, nempe tres Berolinenses, duos Guelpherbytanos, et unum Helmstadiensem ad adornandam editionem suam adhibuit. Non credo Halensem despectui ei futurum fuisse, si de eo aliquid fando audivisset. Extare codicem Terentii Halæ in bibliotheca, quæ est ecclesiæ S. Mariæ, indicant Stiebritz in *Epitome Descriptionis Circuli Salani a Dreyhauptio conscriptæ* T. II. p. 293. quanquam præter notitiam extare ibi Terentii codicem membranaceum 4to. nihil attulit, et censor editionis Schmiederianæ in *Ephemeridibus Literariis Catholicis*, (*Allgemeine Literat. Zeitung* No. 327. Vol. IV. p. 37.) qui annotat apparatus criticum ab editore neglectum esse, quanquam Halæ codex Ms. Terentii reperiatur. Binis his testibus exceptis nullus mihi innotuit, qui codicem laudavit.

Priusquam consilium, quod in hoc opere inii, accuratius indicem, codicis historiam, indolem, antiquitatem, et præstantiam describam. Fuit quidem codex, ut ex notitia præfixa certum est, olim peculium Henrici Ellenbergeri, utriusque Medicinæ Doctoris, et Archiatri quondam reverendissimi ac serenissimi principis Christiani Wilhelmi, Archiepiscopi Magdeburgici, qui secundum Stiebritzium l. c. T. I. p. 195. et 259. ad dignitatem archiepiscopatus evectus est a. 1609. mortuus a. 1665. Ex Ellenbergeri nempe avi sui materni bibliotheca codicem sibi comparavit et bibliothecæ patriæ inferri curavit Melchior Redel, consul patriæ, hoc munere functus a. 1667...1690. et mortuus 1691.

Continet codex scriptus in membrana satis crassa, forma, quam vocant, 'folio minori,' in quaterniones complicata, Terentii Comœdias sex, nullo versuum interstitio sive junctis versibus, præter argumentum et prologum Andriæ, prologum Eunuchi, atque Heautont. Act. II. Sc. 4. vss. 1—14. quæ omnia versibus divisa sunt. Lacunam unicam in Eunucho videsis pag. 224—232. hujus novæ editionis.

Comœdiis argumenta præmittuntur, soluto sermone confecta, ab editis diversa. Codicem inchoat Vita Terentii, quam ex codice Oxoniensi ab Abrah. Gronovio descriptam A. H. Westerhovius editioni Hagæ Comit. 1726. procuratæ inseruit pag. XXXII. et XXXIII. Vitiis apographon hoc inquinatum esse neque Westerhovius, neque, qui Westerhovianam editionem Lipsiæ repetiit, Zeunius a. 1774. odoratus est. Plenior et accuratior hujus Vitæ editio ex nostro codice nunc prodiit; atque vel plane non vel accurate eam edendam fuisse, concedent omnes, qui antiquarum literarum non plane rudes sunt. Quis hujus Vitæ auctor fuerit, non liquet. Si, qui argumentum Andriæ, quod in editione nostra cum Vita Terentii connectitur, scripsit, etiam auctor Vitæ Terentii, quæ præcedit, habendus est, quod perquam verisimile est, Eugraphius, qui vixit sæculo decimo (v. testem in edit. Zeun. p. xx.), Vitam scripsit. Nam postrema hujus argumenti verba: ‘ Verba sunt Caliopii—plaudite,’ Faërnus aperte tribuit Eugraphio in nota ad ultimum versum Andriæ, quam lege in edit. Bentleiana Terentii Lips. 1791. recusa p. 95. Ante Petrarcham, qui vixit sæc. XIV. exaratam esse, patet ex Dictis ejus apud Westerh. pag. XXXIV. sqq. complures auctoris, quem ad modernos ablegat et scholasticos rerum ignaros, errores castigantis. Scholasticus vero denotat virum dignitatis ecclesiasticæ, qui scholis ecclesiasticis præerat, (v. Fabric. Biblioth. Lat. 1. 33. II. 36.) quo sensu Caliopius, cujus recensionem, utpote omnium optimam habitam, scriba suam fecit, scholasticus vocatur in fine codicis. Ceterum Dicta Petrarchæ sive P. Terentii Vita de Dictis D. F. Petrarchæ desumpta ex editione Mediolanensi 1476. quo nomine apud Westerhovium l. c. legitur, extat etiam in codice manuscripto Vindobonensi, quem ex Lambecio affert Fabric. l. c. I. 31. ibique laudata argumenta inedita omnium comœdiarum fortasse eadem sunt quæ nunc ex codice Halensi protulimus.

Comœdiæ non disertis verbis actibus et scenis divisæ sunt. Initium tamen novæ scenæ prodit major initialis vocis litera; deinde spatium, quo a præcedenti separatur;

tandem in tribus prioribus Comœdiis expressa personarum omnium, quæ introducuntur, initio novæ scenæ commemoratio; in tribus enim posterioribus una tantum persona, ea scilicet, quæ prima loquitur, nominatur. In *Andria* interdum prima scenæ linea minio sive rubro colore distincta est.

Textus inclusus est binis lineis ab utroque latere perpendicularibus. Binæ lineæ superne ductæ initio textus totidemque infra per totum membranæ spatium decurrunt. Ceteræ extra spatium textus non vagantur. Omnes lineæ stylo ductæ sunt, nullo adhibito colore, stylique satis acuti ipsamque membranam incidentis supersunt vestigia satis clara. Singulæ paginæ consistunt XXVII. lineis, quibus textus continuo sive una serie inscriptus est. Atramentum non nigrum, sed flavum et pallidum. Character, quo codex exaratus est, minusculus erectus sæculi decimi vel undecimi, præterquam quod interdum non solum singulæ literæ unciales sunt, sed passim voces et integræ lineæ iisdem constant literis uncialibus. Occurrunt hæc literæ in nominibus personarum, quæ sermonibus præfiguntur, deinde in epilogo ad calcem Comœdiarum, tandem initio argumenti vel prologi. Tria autem uncialium genera distingui possunt; primum commune et consuetum est; secundum, quod recentiores diplomatici scripturam capitalem vocant, conspicitur in literis scenarum initialibus; tertii paucissimæ sunt literæ, ultra consuetum modum grandes, et variis ornamentis cinctæ, scilicet initiales primæ scenæ in sex Comœdiis et litera **T** initio totius libri. In literis uncialibus **VS** in unam figuram coalescit, ut **S** supra dextrum cornu literæ **V** positum sit.

Abbreviaturæ sive compendia scribendi, licet non desint, tamen neque textum valde onerant, neque sequiorem produnt ætatem. Si cum multis illis, quæ cl. Mannert (*Miscell. meist diplomatisch Inhalts* p. 42.) æri incidenda curavit, comparantur, perpauca esse dices. Afferam ex tabulis Mannertianis abbreviaturas, si non omnes, tamen magnam partem earum, quas in codice Halensi deprehendi; e. gr.

abbreviatura, in tab. 2. memorata, pro 'us' inde a Sæc. XI. obvia; eadem pro 'post,' e. g. in 'posthac,' rarissime tamen; nusquam abbreviatura pro 'con' quam auctor non ante finem sæculi XII. invenit. Ex tabula tertia Mannerti compendium pro 'est' sive lineola horizontalis inter duo puncta, quod Schœnemannus ex notis Tironianis derivat, semel vel bis in glossis occurrit, nusquam in textu. Abbreviaturæ pro 'est,' 'gratia,' 'hunc,' 'modo' rarissime tamen, 'non,' 'per,' 'præ,' 'pro' tabulæ quartæ incisæ, pro 'scilicet,' 'vero' tab. quintæ, pro 'esse,' 'gratia' tab. septimæ, pro 'misericordia,' semel tab. octavæ, pro 'pater,' 'quoniam,' 'sanctus' tab. nonæ etiam in codice occurrunt. Notandum autem lineolam curvam in his tabulis vocabulis impositam magis rectam esse in codice, quod signum antiquitatis esse monet Mannertus; deinde pauciores deprehendi abbreviaturas in textu Comœdiarum, plures in prolegomenis, et adhuc plures in glossis, in quibus etiam semel in vocabulo 'compendiose' pro syllaba 'com' compendium istud vidi, quod extat tab. 9. et fini sæculi XII. ascribitur. Adsunt etiam in codice compendia scripturæ, quæ Mannerus non profert, e. g. *t̄* pro 'vel,' ubivis in glossis, semel tantum in textu obvium; *iū* pro 'id est' usitatum. De omnibus abbreviaturis universim spectatis valet, vocabula, non quotiescumque occurrunt, modo adducto abbreviari, sed alia sæpe, alia interdum, alia raro, vel rarissime. In his vero abbreviationibus paucissimæ erunt, quæ non jam Sæculo X. vel XI. in codicibus obtinuerunt. Compendium scribendi \ominus , quo nomen Terentii exprimitur in Prologo Eunuchi, inter notas Tironianas referendum esse videtur.

Alia indicia sæculi, cui codicem tribuimus, sunt sequentia. Diphthongus *æ* nusquam scribitur per *e* simplex, sed per *æ* vel *ē* caudatum, et quidem priori forma sæpius quam posteriori; diphthongus *æ* per *oe*. Litera *i* ubique puncto vel accentu caret. Ubi adest, certissime a sequiori manu ascriptum est. Quin duæ literæ *ii* continguæ accentibus carent, e. g. in 'nuptiis,' 'aliis,' 'Dii,' 'periit,' 'abii,' etc. et cum inde a sæculo XII. accentus ascripti sint, (v. *Schæne-*

mann Bersuch e. Systems der Diplomantik T. II. p. 84.) noster codex æram illam antecedit. Litera *e* in superiori parte apicem habet, (linguam vocat Schoenemann;) *f* et *f* longiusculæ sunt, ubicumque occurrunt, et infra lineam, cui insistant, protensæ; *r* interdum, inprimis in ultima linea paginæ, est protensa. Rarissime digamma Æolicum loco literæ *h* superne vel ante sequentem literam ascriptum apparet, e. gr. 'ilarum' pro 'hilarum.' In Prologo Hecyræ II. 22. offendi literam *k* in voce 'calamitas,' at nusquam alibi. Frequentissimum signum interpunctionis est punctum (.). Occurrit etiam semicolon (;) sed plerumque, ni fallor, lineola curva (,) a recentiori manu addita est. Signum interrogandi non semper eandem figuram exhibet; credo, quia non ubique eadem manus apposuit. Signum exclamandi (!) hac figura ∩, non ad finem vocis, sed super media voce, ad quam pertinet, hic illic positum est, e. gr. Heaut. IV. 1. 7. 'quid siēt.' IV. 8. 21. 'Aêgre.' Vix credo hanc figuram in libris, qui de re diplomatica agunt, annotatam esse. Colon (:) et comma (,) nusquam comparent.

Sequior manus in prima codicis pagina omnes, in sequentibus quam plurimas literas atramento nigriori superinduxit, et nomina loquentium, quæ primum atramento scripta erant, minio illevit; postea tamen ipse scriba in exarandis nominibus rubro colore usus est. Per totum codicem recentior manus multum innovavit, lectiones delevit, alias introduxit, neque a mutandis interpunctionibus abstinuit.

Quæ hactenus de forma literarum totiusque codicis externa ad dijudicandam ejus antiquitatem disputavi, ex specimine characteris in æs iuciso in secundo hujus editionis tomo, propediem prodituro, clariora fient et certiora lectoribus artis diplomaticæ gnaris.

Totus codex repletus est scholiis sive glossis, quæ scriptæ sunt literis exilibus, longe maximam partem, nisi me omnia fallunt, ab ipso codicis scriba. Idem est atramentum, eadem orthographia, eadem abbreviationum ratio, idem literarum ductus. Quin membrana ipsa statim ab initio ad capiendum notas destinata erat. Nam in adverso

folio margo ad dextrum latus satis amplus textu vacat, in averso folio hic margo ad latus sinistrum est. Lineis binis perpendicularibus, quæ textum terminant, alia parallela ducta est, quæ a membrana extrema non multum distat. Huic spatio inter duas lineas perpendiculares notæ inscriptionis sunt, quæ ob prolixitatem contextui superscribi non poterant. Multæ, immo maxima glossarum pars, quia perquam breves sunt, interlineares sunt.

Hæc autem annotationes sive glossæ non solum verba textus explicant, sed etiam varias lectiones aliorum codicum continent. Hæc lectionis varietas indicatur tum hac abbreviatura *t̄*, id est, 'vel,' tum illa *at̄*, i. e. 'alius,' sive 'alii,' sive 'aliter.' Esse revera varias lectiones ex codicibus depromptas, non explicationes vel conjecturas, inde certum est, quia in aliis codicibus sæpissime reperiuntur. Unde conjici potest, eas, quæ auctoritate codicis nondum fultæ sunt, illa tamen non destitutum iri, si codices accuratius examinantur. Varietas autem non solum pertinet ad voces, sed etiam ad signa interpunctionis, dum sæpius annotatur, loco signi interrogationis aliud adhiberi, vel vice versa. Observandum tamen est, voces, quibus præmissum est 'vel' aut 'al.' tantummodo tum pro variis lectionibus habendas esse, si nihil amplius additur. Glossæ autem non omnes eadem manu scriptæ sunt.

In magna felicitatis meæ parte repono, quod, nondum exacto anni spatio in inclyta Academia Fridericiana, præco esse possim codicis ibi custoditi Terentii, tum antiquissimi, tum scholiis sive glossis varii generis insignis. Dolendum est editores, quos nactus est eximius ille comicus, admodum negligenter codices suos descripsisse, ut comparatio istius, nunc ex tenebris, ubi adhuc latuerat, in publicam lucem prodeuntis, cum aliis non facile institui possit. Si Faërmus, qui primus critice adultiorem in edendo Terentio adhibuisse dicitur, ipse editionem curasset, fortasse de codicibus, quibus usus est, accurate retulisset. At illo mortuo Petrus Victorius editionem vulgavit a. 1565. et pauca habet de subsidiis literariis quibus usus est Faërmus. Lin-

denbrogium, qui Faërno successit a. 1602. inprimis usus est codice Ms. bibliothecæ regiæ Parisiensis, magnæ antiquitatis et bonitatis, in quo Terentii imago antiqua manu depicta erat. Est fortasse codex 7899. in Catal. Biblioth. Reg. Parisiens. Mss. Latinor. T. IV. ubi Sæculi IX. esse dicitur, et scholiis instructus, de quibus nihil apud Lindembrogium. Idem ille aliis libris scriptis usum se esse testatur, qui tamen parum profuerant; nam et recentiores erant et leviter variabant. Franciscus Hare 1714. adhibuit suppellectilem ex tredecim codicibus Anglicanis, in quibus plures melioris notæ erant, a Nicol. Clagett collectam. Vid. Præfation. editioni præmiss. pag. XXIV. Westerhövio ad adornandam suam editionem 1726. quinque codices Leidenses præsto erant præter alios, quos adducit in Præfat. Bentleius editioni suæ Cantabr. et Londin. 1726. Amstel. 1727. repetitæ Lipsiæ 1791. brevem præmisit Præfationem, quæ narrat plurimos se codices scriptos Cantabrigienses et Londinenses ad editionem hanc contulisse et exegisse, et in Notis nominatim appellasse. Uti omnes, quos hactenus laudavi, editores codices, quos adhibuerunt, brevissime indicarunt et appellarunt, non descripserunt, ita etiam nuperrimus Terentii editor, ingeniosissimus Bothe 1806. labore accurate codices suos describendi supersedit. Quod ad horum unum attinet, nempe codicem olim academiæ Helmstadiensis, otium ipsi fecerat J. Facius in collatione hujus codicis inserta T. C. Harlesii Opusc. Varii Argum. Halæ 1773. p. 214—386.

Consideranti mihi horum codicum catalogum probabile est, nullum glossis vel scholiis instructum esse, quia horum non expressa mentio facta est. Verum enimvero idem aliis codicibus evenire potuit, quod codici Bembino, quem Faërnus omnium antiquissimum et præstantissimum habuit, factum est. Nam, etsi Victorius in Præfatione de scholiis huic codici ascriptis nihil admonet, certum tamen est ibi reperiri ex ipsis Notis Faërni, qui ad Heautont. Prol. 4. ait ‘ in libro Bembino, ut per omnes alias Comœdias, antiquissima manu glossemata ex Donato in margine ascripta

sunt ad locorum, quæ incidunt, expositionem,' atque passim ad prologos Comædiarum, et ad Comædias ipsas illustrandas excerpta inde protulit. Superesse codices Terentianos, quibus glossæ et scholia diversa ab illis, quæ sub nomine Donati, Eugraphii, Calphurnii typis excusa sunt, multa sunt, quæ mihi suadent. Catalogus codicum Mss. Latinor. Biblioth. Reg. Galliæ T. IV. recenset præter codices, qui Commentarium Donati No. 7920. Sæc. XI. 7921. Sæc. XV. et Eugraphii No. 7917. continent, alios qui inter lineas glossas, et ad marginem scholia sistunt No. 7900. Sæc. X. 7903. Sæc. XI. 8403, alium cum glossis interlinearibus 7904. Sæc. XII. cum glossis ad marginem 7909. Sæc. XV. 7916. anonymi expositionem 7919. 7922. Talium codicum hodie multo major numerus Parisiis erit. Neque in aliis Bibliothecis desiderantur. Jo. Lamius in Catal. Codd. Mss. Biblioth. Riccardianæ pag. 360. citat Terentium cum scholiis membr. quem 'vetustum,' 'pretiosum' vocat. Codex hujus generis olim deprehendebatur Guelpherbyti, unde a serenissimo conditore Bibliothecæ Guelpherbytanæ, Duce Brunovicensi Augusto, cujus nomen interire Musæ non sinent, ad Conringium, Professorem Helmstadiensem, mittebatur, ut judicium de eo ferret. Iste hæc in fronte Msti inscripsit, teste J. Burckhard Histor. Bibliothecæ Augustæ I. 229. 'Terentius Cod. chartac. Codex hic continet scholia in Comædias omnes Terentianas non contemnenda. Quis ille scholiastes ignoro; nisi quod deprehendam et ætate et doctrina illum esse Donato inferioriorem. Non credo hactenus impressum prodiisse in lucem. Volumen in Italia esse exaratum, ex adjectis fini operis versiculis Italicis, colligere est. Modus scribendi indicat, scriptum esse ante hos trecentos vel quadringentos annos, quanquam ipse auctor longe sit antiquior.' Codicem ante sæculum XIII. exaratum esse, ob materiam cui inscriptus est, chartam scilicet hodiernum usitatam, affirmari nequit. Num adhuc Guelpherbyti asservetur, vel quo terrarum devenit, dicere non habeo. Certe non est duo Guelpherbytanorum unus, quos pro editione Bothiana el. Gesenius

tunc Helmstadii degens contulit. Hos enim scholiis sive glossis destitutos esse, doctiss. ille Gesenius, Hala, ubi nunc Professoris Theologiæ munere fungitur, mihi narravit. Alium codicem Terentianum glossis repletum scriptum anno 1474. possidebat doctiss. Niclas, rector Luneburgicus, qui hunc cum ceteris suis libris post mortem Bibliothecæ Monasterii S. Michaëlis juxta Luneburgum inferri curaverat.

Sed revertor ad codicem, quem ante oculos habeo. Hunc continere glossas sive scholia ab editis diversa, ipse conspectus abunde docet. Quatenus cum iis conspirent, quæ in codicibus ante memoratis leguntur, aliis explorandum relinquo. Auctorem scholiorum ætate Donato grammatico Sæculi IV. inferiorem esse, extra omnem dubitationis aleam positum est, quia Donatum testem producit in Prologo Eunuchi. Immo nullus dubito, eum ne Eugraphium quidem scriptorem sæculi X. ætate antecedere. Eugraphium ab eo lectitatum esse, ex consensione Notarum utriusque auctoris probabile est. In nota [ad Andr. III. 3. 34.] pro significatione vocabuli 'periculum' affertur locus ex Cicerone, quem laudaverat Eugraphius. Scholion [ad Andr. III. 4. 14.] fere totidem verbis apud Eugraphium legitur. In nota [ad Andr. IV. 3. 1.] ad tuendam significationem 'proprium,' quod sit, perpetuum, locus nonneminis, cujus tamen nomen reticetur, laudatur 'ut illud 'propriamque dicabo.' Extat hic locus apud Virgilium Æn. IV. 126. eumque laudaverat Eugraphius, alium Donatus. Etiam in ipso textu concinnando Eugraphium secutus est. Nam fundus lectionis 'ad auxiliandum copiam' Andr. II. 1. 20. est in Eugraphio, qui, teste Bentleio, habet 'ad auxilium copiam.' Lectio *jactas* Andr. V. 4. 9. extat in nota Eugraphii ad h. l. Hic tamen Eugraphii et scholiastis nostri consensus non tantus est, ut huic epitomatores vel exscriptores Commentarii Eugraphiani habeam. Ceteroquin Latinitas ejus barbara et solœca satis probat, ad eandem ætatem ablegandum esse, qua codex ipse exaratus est, i. e. ad Sæculum X. vel potius XI. Si enim Fabricius

Biblioth. Lat. II. 30. Eugraphii ætatem ad Sæc. X. vergens recte retulit, codex demum Sæculo XI. exaratus videtur. At Eugraphii ætatem a Fabricio recte definitam esse adhuc dubitari potest. Conjecit illam ex sequentibus Gerberti, quondam scholastici, tandem sub nomine Sylvestri ad dignitatem summi Romanorum pontificis eVecti, verbis quæ leguntur in epistola ad Airardum VIII. (Biblioth. Maxima Patrum Tom. XVII. Lugd. 1670. p. 669.) ‘Petitionibus tuis annuimus; nostra ut exequaris negotia, velut propria, monemus. Plinius emendetur: Eugraphius recipiatur; qui Orbacis et apud sanctum Basolum perscribantur.’ Ex his verbis elicitor, Eugraphium æqualem fuisse Gerberti, qui vixit sub Othone III. Imp. exeunte sæculo X. et anno 1003. mortuus est. At perobscura sunt, et, nisi alia prostant argumenta ad definiendum tempus, quo vixit, sola non sufficiunt. Junguntur Plinius et Eugraphius, et, cum illum longe ante Gerbertum vixisse inter omnes constet, quare Eugraphii tempora ad ætatem Gerberti limitanda sunt? Pro *recipiatur*, quod relatum ad antecedentia plane ἀπροσδιόνυσον est, legendum esse videtur *rescribatur*, quod auctor pro, describere, posuit. Nam de libris, non de viris sermonem esse, mentio Plinii clarissime ostendit. Neque alio sensu idem vocabulum ‘rescribere’ epistola VIII. p. 670. sumsit: ‘Historiam Julii Cæsaris a Domino Azone Abbate Terdonensi ad rescribendum nobis acquirite, ut quos penes nos habemus habeatis, et quod reperimus speretis, i. e. octo volumina Boëtii.’ Etiam postrema verba epistolæ prioris de libris agunt. Jubet enim Gerbertus catalogum confici (hoc enim sibi vult ‘perscribi’) librorum, qui Orbacis et apud sanctum Basolum (nomina monasteriorum vel aliorum locorum esse videntur) reperiuntur. Si quis literarum harum amator et iudex in volumina priora chronici ab Henrico de Hervordia conscripti incideret, cujus operis posteriora Helmstadii versavi, fortasse de Eugraphio notitiam ulteriorem reperiret. Solet enim diligentissimus chronographus auctores haud paucos e florentissima literarum Romanarum ætate nominatim adducere, loca excer-

pere, varietatem lectionis annotare, commentatores laudare. In volumine olim a me perlecto et descripto, quod ab Imperatore Octavio Augusto incipit, loca extant multa decerpta ex poëtis, ut scriptores prosaicos omittam, Ovidio, Persio, Lucano, Statio, Juvenali, Claudiano, una cum variis lectionibus ac glossis; neque aliam, credo, rationem iniiit in voluminibus præcedentibus, quæ fortasse alicubi in Bibliotheca vel Archivo Guestphalico latent.

Quid si idem ille, qui codicem descripsit, etiam notulas adjecit? Hoc mihi inde probabile est, quia magnum consensum textus cum notis etiam istis locis, ubi textus falsæ lectionis argui potest, deprehendi; e. g. ad mendosam lectionem *prædicto* Andr. 1. 1. 19. notatur esse verbum frequentativum; ibid. 1. 2. 21. scholiastes *cepit* confundit cum *cæpit*; quare in nota addidit 'habere:' ibid. III. 2. 27. in textu legitur *citius* pro *secius*, sine dubio erronee. Sed, quanquam melior lectio *secius* in Ms. notatur, tamen glossa 'velocius' explicat lectionem contextus. Scholia nostri codicis commendant se brevitate et perspicuitate, atque ob has virtutes tironibus utilia esse possunt, cum, quæ Donatus et Eugraphius scripserunt, adeo prolixa sint, ut fortasse ea eruditorum nullus a capite ad calcem perlegerit, multo minus juvenum ingenio apta sint. Deinde afferuntur in scholiis lectiones, quæ, si jam ex aliis codicibus prolatae fuerint, hic testes nanciscuntur novos et graves; sin minus, summa attentione considerandæ sunt, quia omnes magnam antiquitatem præ se ferunt. Varietas distinctionum, quæ ex hoc codice peti potest, plane novum varietatis genus constituit, a collatoribus mihi notis prætermissum.

Glossæ auctorem natione Italum prodere videntur. Nam 'si' sæpius usitatur ex more Italicæ vocis *se* pro 'au,' 'num.' Cum vero codicis scriptorem eundem esse putem cum scholiasta, codex fortasse in Italia scriptus est.

Quod ad textum ipsum Terentii, qualis in hoc codice legitur, attinet, sæpissime cum codicibus istis, qui, iudicibus viris summis, Faërno et Bentleio, palmam ceteris præripiunt, consentit; quod cuilibet Notas nostras percurrenti,

quæ assensum vel dissensum Bentleii respectu ad hunc codicem habito indicant, patebit. Interpunctio verborum passim singularis est, neque talis, ut vulgari, quam editiones præ se ferunt, antecellat. Haud pauca etiam laudari possunt loca, ubi codex verba melius distinxit, ac in editis factum est.

Priusquam autem ad edendum hunc thesaurum me accingerem, de invento codice, meoque consilio, bene de eo merendi, certiozem feci virum longe eruditissimum et celeberrimum, Boëtigerum, quem olim novam Terentii editionem meditatam esse noveram; mihi que ut consilium suum pro ea, qua me jam dudum amplexus erat, amicitia benigne impertiret, rogavi. Laudavit vir summus propositum meum, et instigavit, ut, quæ bonis literis prodesse possent, interire non sinerem. Quin, ad adornandam editionem, ultro obtulit Dictata viri celeberrimi Ruhnkenii in Terentium manuscripta, quæ vir doctissimus Christianus Ludovicus Lenz, director Gymnasii Vinariensis meritis-simus, ex bibliotheca fratris sui, Caroli Gottholdi, Professoris Gothani mortui a. 1809. jure hæreditario acquisita olim Boëtigero mutua dederat, et nunc Halam, ut mea cura ederentur, transmitti concesserat.

Inter auctores Latinos, quos in scholis suis Ruhnkenius tractavit, primo loco ab elegantissimo Vitæ Ruhnkenii scriptore Wytttenbachio (v. Vitæ T. Hemsterhusii et D. Ruhnkenii Lips. 1801. p. 127.) adducitur Terentius; et 'Terentianas scholas se magno cum doctrinæ fructu audivisse' testatur, 'ut tum demum in hoc genere discere sibi videretur, quantum æra distarent lupinis,' &c. Quam autem rationem in his, quæ nunc prodeunt, annotationibus Ruhnkenius inierit, idem Wytttenbachius indicavit p. 126. 'Ad locos vel difficiles vel memorabiles' auctorum Latinorum a Ruhnkenio in prælectionibus illustratorum 'dictabat annotationes breves quidem illas, sed bonæ frugis plenas.' Atque hæ annotationes 'dictata' vocantur ab ipso Ruhnkenio ad Heaut. III. 3. 23. Hec. I. 2. 73. Multum igitur differunt a notis, quas auditores ex ore professoris calamo

currente excipere solent et quibus minus pretium statuendum est. Tempus descriptionis incidit in annum 1786. vel non multo post, certe non superiorem. Laudatur enim in nota ad Eun. II. I. 14. Oudendorpii editio Apuleii, quæ anno memorato prodiiit, teste Wytttenbachio l. c. p. 176.

Novum huic editioni accessit decus, liberalitate ejusdem, quem antea laudavi, Lenzii concessum. Donavit enim mihi fratris sui vita defuncti observationes ad Terentium, a semetipso ex ejus collectaneis haud parvo labore descriptas.

PROLEGOMENA.

PUB. TERENTII AFRI

CARTHAGINIENSIS VITA.

Auctore Ælio Donato V. C.¹

PUBLIUS TERENTIUS AFER, Carthagine natus, servivit Romæ Terentio Lucano senatori; a quo ob ingenium et formam, non institutus modo liberaliter, sed et mature manumissus est. Quidam captum esse existimant; quod fieri nullo modo potuisse, Fenestella docet: cum inter finem secundi belli Punici, et initium tertii natus sit, et mortuus: nec, si a Numidis aut Getulis captus sit, ad ducem² Romanum pervenire potuisset, nullo commercio inter Italicos et Afros, nisi post deletam Carthaginem, cæpto. Hic cum multis nobilibus familiariter vixit, sed maxime cum Scipione Africano, et C. Lælio: quibus etiam corporis gratia conciliatus existimatur. Quod et ipsum Fenestella arguit, contendens utroque majorem natu fuisse. Quamvis et Cornelius Nepos æquales omnes fuisse tradat, et Portius suspicionem de consuetudine per hæc faciat:

Dum lasciviam nobilium et fucosas laudes petit:

Dum Africani voce divina³ inhiat avidis auribus:

Dum ad Furium se cœnitare⁴ et Lælium, pulchrum putat:

Dum se amari ab hisce credit, crebro in Albanum rapi

1 Alii hanc Vitam tribuunt Suetonio Tranquillo. *Zœn.*

2 *Ducem*] *Dominum* Gronov. ut postulat verbum 'commercio.' *Both.*

3 *V. d.*] Alii legunt *vocem divinam*, quod præferendum esse videtur. *Zœn.*

Vocem divinam. Alii *voce divina*; alii *voçi divinæ*; quorum illud quidem vitiosum, hoc autem antiquioris formæ interpretamentum est. *Both.*

4 *Cœnitare*] Vulgo *ἀμέτρως*. *Id.* Qui dat *Dum se ad Furium cœnare.*

Ob florem ætatis suæ : ipse sublatis rebus ad summam⁵
Inopiam redactus est.

Itaque e conspectu omnium abiit in Græciam,⁶ in terram ultimam.

Mortuus est in Stymphalo, Arcadiæ oppido : nihil Publius Scipio profuit, nihil ei⁷ Lælius, nihil Furius ;

Tres per idem tempus qui agitabant nobiles facillime.

Eorum ille opera ne domum quidem habuit conductitiam :

Saltem ut esset, quo referret obitum domini servulus.

Scripsit Comœdias sex : ex quibus primam Andriam cum ædilibus daret, jussus ante Cærio⁸ recitare. Ad cœnantem cum venisset, dictus est, initium quidem Fabulæ, quod erat contempore vestitu, subsellio juxta lectulum residens legisse : post paucos vero versus invitatus, ut accumberet, cœnasse una ; deinde cetera percurrisse, non sine magna Cærii admiratione. Et hanc autem, et quinque reliquas æqualiter populo probavit ; quamvis Volcatius⁹ de enumeratione omnium ita scribat : ‘ Sumetur Hecyra sexta ex his Fabula.’

Eunuchus quidem bis die acta est ; meruitque pretium, quantum nulla antea cujusquam Comœdia, id est, octo millia nummum ; propterea summa quoque titulo ascribitur. Nam Adelphorum principium Varro etiam præfert principio Menandri. Non obscura fama est, adjutum Terentium in scriptis a Lælio et Scipione, quibuscum familiariter vixit. Eandem ipse auxit. Nunquam enim, nisi leviter, se tutari conatur, ut in Prologo Adelphorum :

Nam, quod isti dicunt malevoli, homines nobiles

Hunc adjutare, assidueque una scribere :

⁵ *Ob fl. &c.*] Hunc et sequentem versum West. duce Fabio, in unum contractum edit sic : *Ob florem ætatis suæ : ad summam inopiam redactus est. Zeun.* Vulg. *Dum se umari ab hisce credit* : quod futile glossema sequentium. *Both.* Qui hos tres vs. sic redigit : *Dum se rapî in Albanum crebro ætatis ob florem suæ : Ipsus lætis rebus summam ad inopiam redactus est.*

⁶ *In G.*] Vulgo *in G. in t. u.* quasi mirum quantum abesset ab Italia

Delph. et Var. Clas.

Græcia. Both. Qui omittit *in ante* ‘*Græciam.*’

⁷ *Ei*] Vulgo *ἀμέρως. Both.* Qui dat *eii.*

⁸ *Cærio*] West. recte edidit *Cæcilio*, ut paulo post *Cæcili.* *Zeun.*

⁹ *Volcatius*] Volc. Sedigitus, de quo Gell. N. A. xv. 24. Versus hand dubie prolatus ex illius libro de poetis, iambicis senariis conscripto. Quare vulgatum *his* pro *hisce* mendosum arbitror. *Both.*

Terent.

C

Quod illi maledictum vehemens existimant,
 Eam laudem hic ducit maximam : cum illis placet,
 Qui vobis universis et populo placent :
 Quorum opera in bello, in otio, in negotio,
 Suo quisque tempore usus est sine superbia.

Videtur autem se levius defendisse, quia sciebat Lælio et Scipioni non ingratham esse hanc opinionem; quæ tamen magis et usque¹⁰ ad posteriora tempora valuit.

Q. Memmius in Oratione pro se ait: 'Pub. Africanus, qui a Terentio personam mutuatus, quæ domi luserat ipse, nomine illius in scenam detulit.' Nepos auctore certo comperisse se ait, C. Lælium, quondam in Puteolano Kal. Martiis admonitum ab uxore, temporius ut discumberet, petiisse ab ea ne interPELLARETUR: serius tandem ingressum triclinium dixisse, non sæpe in scribendo magis successisse sibi. Deinde rogatum ut scripta illa proferret, pronuntiasset versus, qui sunt in Heautontimorumenos:

Satis pol proterve me Syri promissa huc induxerunt.

Santra Terentium existimat, si modo in scribendo adiutoribus indiguerit, non tam Scipione et Lælio uti potuisse, qui tunc adolescentuli fuere, quam C. Sulpicio Gallo, homine docto, et qui consularibus¹¹ ludis initium fecerit Fabularum dandarum: vel Q. Fabio Labeone, et M. Popilio, consulari utroque, ac poëta. Ideo ipsum non juvenes designasse, qui se adjuvisse dicerentur, sed viros, quorum operam, et in bello, et in otio, et in negotio populus sit expertus. Post editas Comœdias nondum quintum atque trigessimum egressus annum, causa evitandæ opinionis, quia videbatur aliena pro suis edere, seu percipiendi Græcorum instituta moresque, quos perinde exprimeret in scriptis, egressus urbem est, neque amplius rediit. De morte ejus Volcatius tradit:

Sed, ut Afer sex populo dedit Comœdias,
 Iter hinc in Asiam fecit. Navim cum semel¹²
 Conscendit, visus nunquam est. Sic vita vacat.

¹⁰ *Magis et usque*] Vulgo obscure.
Id. Qui edidit m. et m. usque.

¹¹ *Et qui consularibus*] R. *cujus consularibus.* Lind. Muretus conjicit

Consularibus ludis: sed Faber vult legi *Cerealibus.* Zenn.

¹² *Navim cum semel*] Ms. Danielis *Navim ut semel.* Lind.

Q. Cosconius¹³ redeuntem a Græcia periisse in mari dicit cum centum et octo Fabulis, conversis a Menandro. Ceteri mortuum esse in Arcadiæ Stymphalo,¹⁴ sive Leucadia tradunt, Cn. Cornelio Dolabella, M. Fulvio Nobiliore Coss. morbo implicitum acri, dolore ac tædio amissarum sarcinarum,¹⁵ quas in navi præmiserat, ac simul Fabularum quas novas fecerat. Fuisse dicitur mediocri statura, gracili corpore, colore fusco. Reliquit filiam, quæ post equiti Romano nupsit. Item hortulos xx. jugerum, via Appia ad Martis villam : quo magis miror, Portium scribere,

nihil Publius

Scipio profuit, nihil ei Lælius, nihil Furius ;
 Tres per idem tempus qui agitabant nobiles facillime.
 Eorum ille opera ne domum quidem habuit conductitiam :
 Saltem ut esset, quo referret obitum domini servulus.

Hunc Afranius quidem omnibus comicis præfert, scribens in Compitalibus : ‘ Terentio non similem dices quempiam.’

Volcatius autem non solum Nævio, et Plauto, et Cæcilio, sed Licinio quoque postponit. Cicero in Limone¹⁶ hactenus laudat :

Tu quoque, qui solus lecto sermone, Terenti,
 Conversum expressumque Latina voce Menandrum
 In medio¹⁷ populi sedatis vocibus effers ;
 Quicquid¹⁸ come loquens, ac omnia dulcia dicens.

Item C. Cæsar :

Tu quoque tu in summis, o dimidiate Menander,
 Poneris, et merito, puri sermonis amator,
 Lenibus atque utinam scriptis adjuncta foret vis

13 Q. Cosconius] Ita ex Mss. edidimus ; vulg. hactenus fuit *Consentius*. Cosconium laudat Varro, de Ling. Lat. lib. v. *Id.* Alii *Consentius*.

14 Mortuum esse in Arcadiæ St.] Alii in Arcadia Stymphali sinu. Ansonius ad Ursulum de senario numero : ‘ Protulit in scenam quot dramata Fabellarum, Arcadiæ medio qui jacet in gremio ?’ *Lind.*

15 Sarcinarum] Nil verius hac lectione, quam omnes scripti codd. præferunt, excepto uno, in quo *fabularum* erat. Vulgo hactenus legitur *satyrarum* ; sed id ne titivilitii quidem. *Id.*

16 Licinio] Ms. *Livio*. *Id.*

17 In medio, &c.] Ms. Dan. *In medium nobis sedatis, &c.* *Id.*

18 Quicquid] Ms. *Quiddam* : al. *Quicquod*. *Id.*

Comica,¹⁹ ut æquato virtus polleret honore
 Cum Græcis, neque in hac despectus²⁰ parte jaceres!
 Unum hoc maceror, et doleo tibi deesse, Terenti.

Hæc Suetonius Tranquillus. Nam duos Terentios poëtas fuisse scribit Metius, quorum alter Fregellanus fuerit Terentius Libo, alter libertinus Terentius Afer patria, de quo nunc loquimur. Scipionis Fabulas edidisse Terentium, Valgius in Actæone ait:

Hæ, quæ vocantur Fabulæ, cujæ sunt?²¹
 Non has, qui jura populis, end' ibus dabat^{* 22}
 Honore summo affectus fecit Fabulas.

Duæ ab Apollodoro translatae esse dicuntur comico, Phormio et Hecyra: quatuor reliquæ a Menandro: ex quibus magno successu et pretio stetit Eunuchus fabula: Hecyra, sæpe exclusa, vix acta est.

PUB. TERENTII VITA,

QUAM E CODICE MS. OXONIENSI DESCRIPSIT

ABR. GRONOVIVS.

COMICUS genere quidem extitit Afer, civis vero Carthaginienſis: Scipione autem remeante victore Carthagine' ad urbem Romam post interfectionem Hannibalis, iste, qui cum aliis multis Carthaginienſibus comprehensus fuerat, ante currum Scipionis ligatis retro manibus minatus est, ut captivus, sed currum illius pileatus proſecutus est in urbem, quod erat in² signum libertatis. Nam, quicumque captivorum a victore libertate potiretur, pileum in capite habens currum illius proſequebatur; ut enim a Scipione agni-

19 *Com.*] Vulgo continue scribunt *vis Comica*, quod verbum per omnes fere hodiernas linguas propagatum est: sed recte monet vir egregius, Frid. Aug. Wolfius, Acad. Halensis decus, conjungenda esse verba 'Comica' et 'virtus.' *Both.*

20 *Despectus*] Ms. Dan. *despecta*. Lind.

21 *Cujæ sunt*] Sic libr. Dan. Al.

cujus sunt? Idem. Adhuc legebatur *cujus* vel *cujæ sunt*, sententia refragante. Obsoletum illud *ne pro 'non,'* cum displiceret librariis, cito expunctum est. *Both.* Qui dedit *cujæ ne sunt*.

22 *Populis, end' ibus dabat*] Ita Mss. Danielis. Vulg. *petentibus dabat*. Al. *recensentibus*. Lind.

tus est liberali ingenio, sapientia florere, in tanto honore, tanta³ gratia apud eum habitus est, præsertim cum liberis genitoribus⁴ ortus esset, ut ei eandem libertatem concederet, atque inter domesticos suos præcipuam familiaritatem ei donaret. Romæ autem dum moraretur, et videret frequenter populum in theatrum ad spectaculum convenire; ea ratione atque intentione exorsus est Comædiam scribere, ut populo recitationem Fabularum suarum conferret, sibi que eum conciliaret: sed, cum cœpissent Fabulæ ejus recitari, longe aliter visum est, quam sperasset,⁵ quia⁶ multos æmulos propter⁷ hoc contra se excitavit, qui ejus dicta reprehendebant. Scripsit autem nitidissimo stylo sex Fabulas, ex unaquaque unum librum determinans; quas licet multi negent,⁸ mentiuntur, teste Prisciano, qui de Metris Terentianis loquitur, et insuper in libro Grammaticæ⁹ sæpe dicit, cujus genere metri constat exemplum, quod¹⁰ ponit; necnon etiam teste Rufino in eo libro, quem de Metris scripsit: ipse¹¹ quoque nihilominus¹² in Prologis se pœtam vocat. Omnes quidem ejus libri permaxime iambico metro constant, licet non uniformi. Prologi vero omnium librorum ternario iambico catalectico compositi sunt, sex pedibus pro tribus computatis. Nam diversa sunt genera iambici metri. Est enim monometrum, quod constat duobus iambis: est dime-
trum, quod quatuor: est trimetrum, quod sex: est tetrametrum, quod octo: est pentametrum,¹³ sed raro invenitur: in quibus ista lex observatur, ut semper duo iambi pro uno pede computentur, ob celeritatem temporis, quam occupant, teste Horatio in libro Poëticæ.¹⁴ Imitatur¹⁵ autem Nævium, Plautum, Ennium, veteres Comicos, præcipueque Menandrum, qui longe ante ipsum duas Fabulas descripsit,¹⁶ in quas transtulit quædam ex Perinthia illius, quæ convenere tam in sensu, quam in stylo: idcircoque graviter reprehendebatur ab æmulis. At¹⁷ tamen notandum, inter omnes Comicos istum Terentium ab¹⁸ hoc principalitatem possidere,

1 *A Carth.* Br.—2 *Additum in*, quod in codice deletum est. *Bruns.*—3 *Tantaque* Br.—4 *Id. progen.*—5 *Id. speraret.*—6 *Id. quoniam.*—7 *Id. per.*—8 *Id. addit, metro constare.*—9 *Addit et artis.*—10 *Exemplumque* habet Br.—11 *Ipsa id.* Quam lect. meliorem judicat *Bruns.*—12 *Br. addit qui.*—13 *Pent. quod X.* est supra lineam scriptum in Br.—14 *Poëticiæ* Br.—15 *Id. Imitatus est.*—16 *Composuit pro descripsit* habet Br. et addit: *i.* [id est.] *Andriam et Perinthiam.* *Quæ ita compositæ sunt, ut, qui unam illarum intellexerit, ambas intelligat.* *Sunt enim dissimiles in sensu, et materia, sed concordant oratione ac stylo.* *Hic Terentius post ipsum Andriam aliam scripsit, in qua.*—17 *At delet*

cum¹⁹ proprietatem verborum præ omnibus observavit. Illud etiam animadvertendum, has Fabulas non ab ipso recitatas esse in senatu,²⁰ sed a Calliopo,²¹ clarissimo viro, satisque erudito, cui ipse præcipue adhærebat, cujusque ope sustentabatur, et auctoritate audiebatur. Modulator autem harum Fabularum fuit Flaccus; quotiescumque enim recitabantur, erat modulator, et alii, qui gestu corporis eosdem affectus agebant. Comædia enim ita constat, ut non res gestas more historiarum narret,²² sed ex collo-cutione personarum res gesta comprehendatur, quasi inter eos tunc agatur. Hoc quoque notandum, quia non absque re imagines Terentianæ turgido et inflato ore pinguntur. Facundia enim et affluens eloquentia Comicorum per hoc innuitur, quia fastuosi²³ loquuntur, ut Horatius,

Iratuque Chremes tumido delitigat ore.

Nomina autem Fabularum, sive librorum hujus Comici sunt ista: Andria, Eunuchus, Heautontimorumenos, Adelphæ, Hecyra, Phormio.

PUB. TERENTII VITA,

DE DICTIS D. F. PETRARCHÆ,

QUÆ EST IN EDITIONE MEDIOLANENSI ANNI MCCCCLXXVI.

DE Terentii vita in antiquis libris multa reperiuntur; plura etiam in modernis, scripta per varios scholasticos, rerum ignaros: eoque veris falsa miscentur. Illud primum rei totius fundamentum. Multi ponunt Carthaginiensem patria fuisse Terentium. Quod haud dubie verum est, sicut epitaphium ejus clare indicat. Quamvis hoc ipsum quidam negent, ut inferius patebit. Ceterum et, qui hoc dicunt, vero huic falsum illud implicant. Dicunt enim Scipione Romam revertente eversa Carthagine, interfecto Hannibale, hunc Terentium inter ceteros captivos solutum et pileatum incessisse post triumphalem Scipionis curram. Quæ res multipliciter a veritate semota est. Nam in primis Scipio Carthaginem

Br.—18 *Ob* Br.—19 *Quoniam* id.—20 In Br. superscript. *scena*: quam esse veriss. lect. judicat Bruns, et vult Zeun.—21 *Calliop.* Br.—22 *Id. nar. mo. hist.*—23 *Vastuose* id. ‘Superscriptum ab antiqua manu *fastuose*: et in marg. additum a recentiori: Comici fastuose loquuntur, i. e. tumido ore.’ Bruns.

quidem vicit, et tributariam fecit, non evertit tamen ipsam Carthaginem; sed nepos ejus adoptivus, Africanus minor. Hannibalem præterea bello vicit, fugavitque, sed nequaquam interfecit. Nempe qui victus in Asiam profugit, et sub Antiocho rege Syriæ militans consilio atque opera sua et regis potentia novum cum Romanis bellum denuo gessit. Quæ historia omnibus, qui in talibus ingenium exercent, planissime nota est. Deinde Scipionis triumphantis currum non hic Terentius pileatus prosecutus est, sed alter hujus nominis, Romanus civis: et, ut Valerius Maximus testatur, prætoriam familiam ortus, et inter paucos senatorii ordinis splendidus. Qui etiam post id tempus, tunc scilicet, cum Scipionis frater accusatus est Romæ, præturam gessit. Hic ergo triumphantis currum Scipionis prosecutus est, pileo capiti imposito, quod donatæ libertatis signum erat. Quatuor millia siquidem Romanorum civium, qui bello Punico capti erant et in servitutem redacti, victor Scipio liberatos in patriam reduxit. Inter quos fuit hic Terentius, de quo dixi, et tam memor beneficii accepti, tamque singulariter ante omnes gratus, ut per omnem vitam liberatorem suum Scipionem omni obsequio ac patrociniis debita veneratione coluerit. Triumphis autem die post eum pileatus incessit, hoc est, liberti habitu: quasi per illius viri virtutem se libertati redditum populo Romano pileo testante denuntians. Quæ omnia apud Titum Livium, celeberrimum historicum, nota sunt. Sed minus miror scholasticos hoc errore deceptos, cum Paulus Orosius hoc scripserit: de quo admodum mirarer, nisi quod interdum magna quidem ingenia et in multis occupata et inter difficultates erecta equorum instar propter incautam securitatem in plano cespitant. Identitas nominis, ni fallor, errorem fecit, quod scilicet uterque Terentius. Sed circumspectus homo non vidit, quod se oculis ingerebat, in primis diversitatem cognominum, quæ ad discretionem nominum sunt inventa, quod scilicet ille Terentius Culeo, hic Terentius Afer, ut tituli hujus operis indicant; ille Romanus, iste Carthaginensis: ille e servitute in libertatem, iste autem contra e libertate in servitutem ductus; ille senator, hic poëta; ille jam senior eo, hic puer eo tempore, quo a Romanis ducibus captus est: in qua captivitate ob elegantiam morum ad magnorum venit amicitias; utque ait Eusebius libro de Temporibus, ob ingenium et formam libertate donatus est. Inter tot diversitates fallere una non debuisset identitas. Hic sane Terentius a principio juventutis suæ fertur

aTerentio quodam Lucano emtus, a quo et nomen ipsum fortasse potuit accipere, aliter antea dictus apud suos. De hoc tamen præter conjecturam habeo nihil. Id quod constat, literas Latinas Romæ didicit, ad poëticam pronus, et præcipue comœdiam; quo in genere facile, ut mihi videtur, omnes ante se vicit. Nam sequentes etiam a scribendo deterruit, nec fere, quem noverim, comœdiæ scriptor clarus post Terentium fuit. Scripsit comœdias forsân plures; sed, quæ habentur in manibus, sex sunt, quæ per ordinem hoc volumine continentur: quamvis ipse ordo non in omnibus voluminibus unus sit. Utcumque vero sint aliæ, ubique prima omnium est Andria: quam Comœdiam, priusquam ædilibus venderet, ut Eusebius idem ait, Cæcilio multum se miranti legit. De materia Comœdiarum loqui prolixum est: de expositione prolixius. Sed cujusque materiam in argumento ejus perbreuiter comprehensam lector inueniet; expositionem studio et ingenio molietur. Genus poëmatis carmen iambicum, sed varium. Iambi enim materiæ comicæ apti sunt. In Comœdiis quidem nusquam Auctor loquitur, sed introductæ personæ: quem morem hic ad Prologos transferre nititur; quibus scribendis æmulum inuidia causam dedit. Respondendum enim erat, ne forte procacitas gloriam mereretur, infamiamque modestia. Horum vero stimulis ac vocibus agitatus fertur Athenas petiisse, ut Græcorum penitus ingenia morisque pernosceret: et, cum, multis in Latinam linguam translatis, post aliquod tempus voti compos Romam remearet cum sarcinulis et Comœdiis, quas ibi scripserat, in navim impositis, ipse terrestri itinere Patras perrexisset: unde brevi transitu in Italiam navigaret. Ubi expectatæ navis audito naufragio, quæ circa Sinum Illyricum periclitata erat, tantæ jacturæ dolore permotus Stimphalim in Arcadiam decessisse: ibique defunctus ac sepultus publice fuisse. Periisse eum in Arcadia, ipso eodem teste Eusebio, notum est. Et inprimis quidem quatuor Comœdiis, scilicet Andria, Eunuchus, Heautontimorumeno, Adelphis, Menandrum Comicorum principem Græcorum imitatus creditur; quod et rubricæ vetustissimorum codicum innuunt. Quin partem scripturæ, quia plus confusionis, quam lucis habere visa est, sciens omisi. Innuunt et Prologi quidam in reliquis duabus Apollodorum Corinthium. Vendidisse eum Eunuchum suum, fama est, viginti millibus nummum: quod pretium ante cum nullus acceperat. Ad summum, suo genere poëtandi tantus vir fuit, ut Hieronymus inter quatuor poëtarum,

duos scilicet Græcorum, et totidem Latinorum, duces quartum hunc nominare non dubitet, hoc ordine : Homerum, Virgilium, Menandrum, Terentium : quam sibi excellentiam non styli attribuit altitudo, qua a multis non dubie et Menander apud suos vincitur, et Terentius apud nostros, et quæ in Comœdiis non modo non necessaria, sed plerumque etiam vitiosa est. Quid ergo humanorum morum exacta notitia et ordo narrationis ab ipso Cicerone laudatur, et styli jucunditas ac gratia? Sed super omnia, ut quibusdam placet, sola proprietas hæc facit; ut enim primo Æneidis commento ait Servius, sciendum est Terentium propter solam proprietatem omnibus Comicis esse prælatum : quibus est, quantum spectat ad cetera, inferior. Quod ultimum omnibus, quos legere potui, commentatoribus excussis, Servii salva pace non approbo. Hæc vel ad notitiam habendam, vel ad errorem declinandum, breviter de Terentio dicta sunt.

DE TRAGŒDIA ET COMŒDIA.¹

INITIUM Tragœdiæ et Comœdiæ a rebus divinis est inchoatum : quibus pro fructibus vota solventes operabantur antiqui. Nam incensis jam altaribus, et admoto hirco, id genus carminis, quod sacer chorus reddebat Libero patri, Tragœdia dicebatur, vel ἀπὸ τοῦ πράγματος καὶ τῆς ψῆδης,² hoc est, ab hirco, hoste vinearum, et a cantilena. Ejus ipsius rei apud Virgilium plena fit mentio. Vel quod hirco donabatur ejus carminis poëta : vel quod uter ejus musti plenus solenne præmium cantoribus fuerat : vel quod ora

¹ Quæ hic de Tragœdia et Comœdia referuntur, ea non, ut alii, ex Cornuto vel Aspro desumta, sed ex Evanthii Commentario in Terentium selecta esse arbitror. Ejusque rei evidentissimum argumentum est, quod sub hujus eruditissimi grammatici nomine (quem iisdem cum Doato temporibus, hoc est, Olymp. 285. regnante Constantio Fil. Constantini, C. P. floruisse notat Hic-

ronym.) hæc verba afferat Rufinus Antiochensis grammat. lib. de Metris Terentianis : ‘Concinna argumento, consuetudine congrua, utilis sententiis, grata salibus, apta metro.’ Et postea sic : ‘Veteres, etsi usi ipsi quoque metris,’ &c. Quæ ipsissima in hisce Prolegomenis nunc leguntur. *Lind.*

² Καὶ τῆς ψῆδης] Hoc ex Mss. additum. *Id.*

sua fœcibus perlinebant scenici, ante usum personarum, ab Æschylo repertum. Fœces enim dicuntur Græce *πρόγες*.³ Et his quidem causis Tragœdiæ nomen est inventum. At vero, nondum coactis in urbem Atheniensibus, cum Apollini Nomio, vel AFyAΘῶ,⁴ id est, pastorum vicinorumque præsi Deo, constructis aris in honorem divinæ rei circum Atticæ vicos, villas, pagos, et compita festum carmen⁵ solenniter cantarent: orta est Comœdia, ἀπὸ τῶν κωμῶν καὶ τῆς φῶδης composito nomine, vel ἀπὸ τοῦ κωμάζειν καὶ ἄδειν, quod est, comessatum ire cantantes: quod a poëtis solenni die vel amatorie lascivientibus choris comicis non absurdum est. Itaque, ut rerum, ita etiam temporum ipsorum cœpto ordine Tragœdia primo prolata esse cognoscitur. Nam, ut ab incultis et feris moribus paulatim perventum est ad mansuetudinem, urbesque sunt conditæ, et vita mitior atque otiosior processit: ita res tragicæ longe ante comicas inventæ. Quamvis autem retro prisca volventibus reperiatur Thespis Tragœdiæ prius inventor: et Comœdiæ veteris pater Eupolis cum Cratino Aristophaneque esse dicatur: Homerus tamen, qui fere omnis poëticæ largissimus fons est, etiam his carminibus exempla præbuit, et velut quadam suorum operum lege præscripsit: qui Iliadem instar Tragœdiæ, Odysseam ad imaginem Comœdiæ fecisse monstratur. Nam post illius tale tantumque documentum ab ingeniosissimis imitatoribus et digesta sunt in ordinem, et divisa ea, quæ etiam tum temere scribebantur adhuc impolita, atque in ipsis rudimentis haudquaquam, ut postea facta sunt, decora atque lævia. At nos ea, quæ proprie de Tragœdia dicenda sunt, titulo propositi

3 Dicuntur Græce ΤΡΥΓΕC] Athen.

lib. II. 'Απὸ μέθης, καὶ ἡ τῆς κωμῶδίας καὶ ἡ τῆς τραγωδίας εὐρεσις ἐν Ἰκαρίῳ τῆς Ἀττικῆς εὐρέθη, καὶ κατ' αὐτὸν τὸν τῆς τρύγης καιρὸν, ἀφ' οὗ δὴ καὶ τραγωδία τὸ πρῶτον ἐκλήθη ἡ κωμῶδία. Vid. 'Etymol. Magnum in Τραγωδία.' Id.

4 Apollini Nomio, vel AFyAΘῶ]

Hæc est scriptura priscorum codd. quæ refingenda videtur hoc modo: Apollini Nomio vel Agyieo. De Apolline Nomio Serv. IV. Georgicor. ad illa verba, 'Auditque vocatus Apollo.' Ἀγυῖαs autem Elei appellarunt, teste Pausania in Eliacis, τοὺς ἵπ' Ἀθηναίων

καλουμένους στενωπούς. Et hinc Apollo Agyieus, de quo fuse Græci. Horat. Carm. lib. IV. Od. 6. 'Lenis Agyieus,' et ibi Porphyr. Macrob. Saturnal. lib. I. cap. 9. Postea sic legitur in Mss. *pastorum vicinorum Deo*: ubi in editis est, *vicinorumque præsi Deo*. Id.

5 Festum carmen] In Ms. Dan. *festinum carmen solenniter cantaretur*: ἀπὸ τῶν κωμῶν καὶ τῆς φῶδης comœdia vocata est, ut opinor, a pugis et cantilena composito nomine, vel ἀπὸ τοῦ κωμάζειν, &c. Id.

operis instantes, in alia tempora differamus: et de his Fabulis jam loquamur, quas Terentius imitatus est. Postquam demonstrandæ originis causa de utriusque generis initio diximus: quod necesse est, jam dicemus.

Comœdia fere vetus, ut ipsa quoque olim Tragœdia, simplex carmen (quemadmodum jam diximus) fuit: quod chorus circa aras fumantes nunc spatiatus, nunc consistens, nunc revolvens gyros, cum tibicine concinebat. Sed primo una persona substituta est cantoribus, quæ, respondens alternis choro, locupletavit variavitque rem musicam: tum altera, tum tertia, et ad postremum crescente numero, per auctores diversos, personæ, pallæ, cothurni, socci, et ceteri ornatus atque insignia scenicorum reperta: et ad hoc unicuique suus habitus: et ad ultimum qui primarum partium, qui secundarum et tertiarum, qui quartarum atque quintarum actores essent; distributa et divisa quinquepartito tota est fabula: quæ tamen in ipsis ortus sui velut quibusdam incunabilis, et vix dum incipiens, *Κωμῳδία ἐτεώνιος καὶ ἀρχαία*⁶ dicta est: ἀρχαία idcirco, quia est de nobis parum cognitis vitiis: ἐτεώνιος autem,⁷ quia inest in ea velut historica fides veræ narrationis, et denominatio omnium, de quibus libere describebatur. Etenim per priscos poëtas, non, ut nunc, penitus ficta argumenta: sed res gestæ a civibus palam cum eorum sæpe, qui gesserant, nomine decantabantur. Ideo ipsa suo tempore moribus multum profuit civitatis: cum unusquisque caveret, culpa ne spectaculo ceteris esset, et domestico probro. Sed, cum poëtæ abuti licentius stylo, et passim lædere ex libidine⁸ cœpissent plures bonos, ne quisquam in alterum carmen infame proponeret, lege lata siluere. Et hinc deinde aliud genus Fabulæ, id est, Satyra, sumsit exordium: quæ a satyris, quos illotos semper ac petulantes Deos scimus esse, vocitata est: etsi aliunde nomen traxisse prave putant alii. Hæc, quæ Satyra dicitur, ejusmodi fuit, ut in ea, quamvis duro et veluti agresti joco, de vitiis civium tamen sine ullo proprii nominis titulo

6 *Κωμῳδία ἐτεώνιος καὶ ἀρχαία*] Mss. ἀρχαία κωμῳδία et 'EPONOMATOS. Id.

7 'Ετεώνιος autem] Mss. 'EPONOMATOS autem. Id.

8 *Passim lædere ex libidine*] Veteris Comœdiæ scommata et maledicta eleganter indicat Artemidor. lib. i. cap. 58. Τὸ δὲ κωμῳδῶν ἀκούειν, ἢ κωμικὰ

ἔχειν ἀναπλάσματα, ἢ βιβλία, τὰ μὲν τῆς παλαιῆς κωμῳδίας σκώμματα, καὶ ταραχὰς, καὶ στάσεις, καὶ αἰσχρολογίας σημαίνει. τὰ δὲ τῆς καθ' ἡμᾶς κωμῳδίας, τὰ μὲν ἔλλα ἴσα τῇ τραγωδίᾳ σημαίνει, τὰ δὲ τέλη χρηστὰ καὶ ἀγαθὰ ὑπαγορεύει τοιαῦτα γὰρ αἱ ὑποθέσεις τῶν κωμικῶν δραμάτων. Vid. Schol. Aristoph. *Id.*

carmen esset. Quod item genus Comœdiæ multis obfuit poëtis, cum in suspicionem potentibus civibus venissent, illorum facta descripsisse in pejus, ac deformasse genus stylo carminis : quod primo Lucilius novo conscripsit modo, ut poësin inde faceret, id est, unius carminis plures libros. Hoc igitur, quo supra diximus, modo coacti omittere Satyram, aliud genus carminis, τὴν νέαν Κωμωδίαν, hoc est, novam Comœdiam reperere poëtæ ; quæ argumento communi magis, et generaliter ad omnes homines, qui mediocribus fortunis agunt, pertineret : et minus amaritudinis spectatoribus, et eadem opera multum delectationis afferret : concinna argumento, consuetudine congrua, utilis sententiis, grata salibus, apta metro. Ut igitur superiores illæ suis quæque celebrantur auctoribus : ita hæc νέα κωμωδία cum multorum antea, tum præcipue Menandri Terentiique est. De qua cum multa dicenda sint, sat erit tamen, velut admonendi lectoris causa, quod de arte comica veterum chartis continetur, exponere. Comœdia vetus, ut ab initio chorus fuit, paulatimque personarum numero in quinque actus processit : ita paulatim velut attrito atque extenuato choro ad novam Comœdiam sic pervenit, ut in ea non modo non inducatur chorus, sed ne locus quidem ullus jam relinquatur choro. Nam, postquam otioso tempore fastidiosior spectator effectus, tunc cum ad cantores ab actoribus fabula transibat, consurgere et abire cœpisset : admonuit poëtæ primo quidem choros prætermittere, locum eis relinquentes : ut Menander fecit, hac de causa, non, ut alii existimant, alia. Postremo ne locum quidem reliquerunt : quod Latini fecerunt comici, unde apud illos dirimere actus quinquepartitos difficile est. Tum etiam Græci Prologos non habent more nostrorum, quos Latini habent. Deinde Θεοὺς ἀπὸ μηχανῆς, id est, Deos argumentis narrandis machinatos, ceteri Latini instar Græcorum habent : Terentius non habet. Ad hoc, προσατικὰ πρόσωπα, id est, personas extra argumentum accessitas, non facile ceteri habent : quibus Terentius sæpe utitur, ut per harum inductiones facile pateat argumentum. Veteres, etsi ipsi quoque in metris negligentius egerunt, iambici versus duntaxat in secundo et quarto loco ; tamen a Terentio vincuntur resolutione hujus metri, quantum potest, comminuti ad imaginem prosæ orationis. Tum personarum leges circa habitum, ætatem, officium, partes agendi, nemo diligentius Terentio custodivit. Quinetiam solus ausus est, cum in fictis argumentis fidem veritatis assequer-

retur, etiam contra præscripta comica meretrices interdum non malas introducere: quibus tamen, cur bonæ sint, et voluptas per ipsum et causa non desit. Hæc cum artificiosissima Terentius fecerit: tum illud est admirandum, quod et morem retinuit, ut Comœdiam scriberet: et temperavit affectum, ne in Tragœdiam transiliret. Quod cum aliis rebus minime obtentum et a Plauto, et ab Afranio, et Accio, et multis fere magnis comicis invenimus. Illud quoque inter Terentianas virtutes mirabile, quod ejus fabulæ eo sunt temperamento, ut neque extumescant ad tragicam celsitudinem, neque abjiciantur ad mimicam vilitatem. Adde, quod nihil abstrusum ab eo ponitur: aut quod ab historicis requirendum sit: quod sæpius Plautus facit, et eo est obscurior in pluribus locis. Adde, quod argumenti ac styli ita attente memor est, ut nusquam non caverit, aut curaverit⁹ ea, quæ obesse potuerunt: tum quod media primis atque postremis ita nexuit, ut nihil additum alteri, sed aptum ex se totum, et uno corpore videatur esse compositum. Illud quoque mirabile in eo primo, quod non ita miscet personas quatuor, ut obscura sit earum distinctio. Et item quod nihil ad populum facit actorem, velut ex tragœdia, loqui: quod vitium Plauti frequentissimum est. Illud etiam inter cetera ejus laude dignum videtur, quod locupletiora argumenta ex duplicibus negotiis delegerit ad scribendum. Nam, excepta Hecyra, in qua unius Pamphili amor est, ceteræ quinque binos adolescentulos habent. Illud vero tenendum est, post *νέαυ Κωμωδίαυ* Latinos multa Fabularum genera protulisse: ut togatas, a scenicis atque argumentis Latinis: prætextatas, ab dignitate personarum, et Latina historia: Attellanas, a civitate Campaniæ, ubi actitatæ sunt plurimæ: Rhytonicas, ab actoris nomine: tabernarias, ab humilitate argumenti et styli: mimos, ab diuturna imitatione vilium rerum et levium personarum. Inter Tragœdiam autem et Comœdiam cum multa, tum in primis hoc distat: quod in Comœdia mediocres fortunæ hominum, parvi impetus periculaque, lætique sunt exitus actionum. At in Tragœdia, omnia contraria, ingentes personæ, magni timores, exitus funesti habentur. Et illic turbulenta prima, tranquilla ultima. In Tragœdia contrario ordine res aguntur. Tum quod in Tragœdia, fugienda vita; in Comœdia, capessenda exprimitur. Postremo, quod omnis Comœdia de fictis est argumentis: Tragœdia

⁹ *Non caverit, aut curaverit*] Ms. Dan. *non aut caverit, aut curaverit*. Id.

sæpe ab historica fide petitur. Latinæ Fabulæ primo a Livio Andronico scriptæ sunt, adeo, ut ad has res etiam tum recentes idem et poëta et actor Fabularum suarum fuisset. Comœdiæ autem motoricæ sunt, aut statariæ, aut mistæ. Motoricæ, turbulentæ: statariæ, quietiores: mistæ, ex utroque actu consistentes. Comœdia per quatuor partes dividitur; prologum, protasin, epitasin, catastrophem. Prologus est velut præfatio quædam fabulæ: in quo solo licet præter argumentum aliquid ad populum, vel ex poëtæ, vel ex ipsius fabulæ, vel ex actoris commodo, loqui. Protasis primus est actus, initiumque dramatis. Epitasis incrementum processusque turbarum: ac totius, ut ita dixerim, motus erroris. Catastrophe conversio rerum est ad jucundos exitus, patefacta cunctis cognitione gestorum.

Comœdia est fabula ¹⁰ diversa instituta continens, affectuumque civilium ac privatorum: quibus discitur, quid sit in vita utile, quid contra evitandum. Hanc Græci sic definiere: ¹¹ *Κωμῳδία ἐστὶν ἰδιωτικῶν καὶ πολιτικῶν πραγμάτων ἀκίνδυνος περιοχὴ*. Comœdiam esse Cicero ait, 'imitationem vitæ, speculum consuetudinis, imaginem veritatis.' Comœdiæ autem a more antiquo dictæ: quia in vicis hujusmodi carmina initio agebantur, apud Græcos: ut in Italia compitalitiis ludicris, admisto pronuntiationis modulo, quo, dum actus commutantur, populus detinebatur. ¹² Aut ἀπὸ τῶν κωμῶν, hoc est, ab actu vitæ hominum, qui in vicis habitabant, ob mediocritatem fortunarum: non in aulis regiis, ut sunt personæ tragicæ. Comœdia vero, quia poëma sub imitatione vitæ atque morum similitudine compositum est, in gestu et pronuntiatione consistit. Comœdiam apud Græcos dubium est quis invenit primus: apud Latinos certum est. Comœdiam et tragœdiam togatam primo Livius Andronicus reperit: atque, 'comœdiam esse quotidianæ vitæ speculum: nec injuria. Nam, ut intenti speculo veritatis lineamenta facile per imagines colligimus: ita lectione comœdiæ imitationem vitæ consuetudinisque non ægerime ani-

¹⁰ *Comœdia est fabula*] In Mss. sic est: *De Comœdia. Comœdia est f.* Adeo ut, quæ sequuntur, non Evangelii amplius, sed alterius auctoris esse videantur. *Id.* Westerhovijs nomine 'Fragmenti Donati' edidit: satis audacter. *Zeun.*

¹¹ *Hanc Græci sic definiere*] *Dio-med. Gram. lib. III.* ubi eadem definitio habetur, καὶ πολιτικῶν non addit. *Lind.*

¹² *Populus detinebatur*] Ms. *populus attinebatur*, ut et inf. *Id.*

madvertimus. Hujus autem originis ratio ab exteris civitatibus moribusque pervenit. Athenienses namque, Atticam custodientes elegantiam, cum vellent male viventes notare, in vicos et compita ex omnibus locis læti alacresque veniebant : ibique cum nominibus singulorum vitam publicabant : unde nomen compositum, ut Comœdia vocaretur. Hæc autem carmina in pratis primum mollibus agebantur. Nec deerant præmia, quibus ad scribendum doctorum provocarentur ingenia : sed et actoribus munera offerebantur, quo libentius jucundo vocis flexu ad dulcedinem commendationis uterentur. Caper namque pro donis his dabatur, quia vitibus noxium animal habebatur : a quo etiam Tragœdiæ nomen exortum est. Nonnulli autem ex amurca olei fæce, quæ est humor aquatilis, Tragœdiam dici vocarique maluerunt. Qui ludi cum per artifices in honorem Liberi patris agerentur, etiam ipsi Comœdiarum Tragœdiarumque scriptores hujus Dei, velut patris, numen colere venerarique cœperunt. Cujus rei probabilis ratio extitit. Ita enim carmina inchoata proferebantur, ut per ea laudes ejus et facta gloriosa celebrari proferrique constaret : tum paulatim fama hujus artis increbuit. Thespis autem primus hæc scripta in omnium notitiam protulit. Postea Æschylus, secutus exemplum, publicavit. De quibus ita Horatius in Arte Poëtica loquitur :

Ignotum Tragicæ genus invenisse camœnæ
 Dicitur, et plaustris vexisse pœmata Thespis,
 Quæ canerent agerentque peruncti fœcibus ora.
 Post hunc personæ pallæque repertor honestæ
 Æschylus et modicis instravit pulpita tignis,
 Et docuit magnumque loqui, nitique cothurno.
 Successit vetus hic Comœdia non sine multa
 Laude : sed in vitium libertas excidit, et vim
 Dignam lege regi : lex est accepta : chorusque
 Turpiter obticuit sublato jure nocendi.
 Nil intentatum nostri liquere poëtæ :
 Nec minimum meruere decus, vestigia Græca
 Ausi deserere, et celebrare domestica facta,
 Vel qui prætextas, vel qui docuere togatas.

Fabula generale nomen est ; ejus duæ primæ partes sunt, Tragœdia et Comœdia. Si Latina argumentatio sit, prætextata dicitur. Comœdia autem multas species habet. Aut enim palliata est, aut

togata, aut tabernaria, aut atellana, aut mimus, aut Rhintonica, aut planipedia. Planipedia autem dicta, ob humilitatem argumenti ejus, ac vilitatem actorum, qui non cothurno aut socco utuntur in scena, aut pulpito, sed plano pede: vel ideo quod non ea negotia continet, quæ personarum in turribus aut in cœnaculis habitantium sunt, sed in plano et humili loco. Personati primi egisse dicuntur Comœdiam Cincius et Faliscus: Tragœdiam Minutius et Prothonius.¹³ Omnium autem comœdiarum scripta ex quatuor rebus omnino sumuntur; nomine, loco, facto, eventu. Namine, ut Phormio, Hecyra, Gurgulio, Epidicus. Loco, ut Andria, Leucadia, Brundusina. Facto, ut Eunuchus, Asinaria, Captivi. Eventu, Commorientes, Adelphi, Heautontimorumenos. Comœdiarum formæ sunt tres. Palliatæ, Græcum habitum ferentes: quas nonnulli tabernarias vocant. Togatæ, juxta formam personarum habitum togarum desiderantes. Atellanæ, salibus et jocis compositæ, quæ in se non habent, nisi vetustam elegantiam. Comœdia autem dividitur in quatuor partes: prologum, protasin, epitasin, catastrophem. Prologus est prima dictio, a Græcis dicta *πρόλογος*,¹⁴ id est, antecedens veram fabulæ compositionem elocutio. Ejus species quatuor sunt: *συστατικός*, commendatitius: quo fabula vel poëta commendatur; *ἀναφορικὸς*,¹⁵ relativus: quo aut adversario maledicta, aut gratiæ populo referuntur; *ὑποθετικός*,¹⁶ argumentativus fabulæ argumentum exponens; *μικτός*, mistus: omnia hæc in se continens. Inter prologum et prologium quidam hoc interesse voluerunt: quia prologus est velut præfatio quædam fabulæ, in quo solo scilicet præter argumentum, aliquid ad populum vel ex poëta, vel ex ipsius fabulæ, vel actoris commodo loquitur. Prologium autem est, cum tantum de argumento dicitur. Protasis est primus actus initiumque dramatis, quo pars argumenti explicatur, pars reticetur ad populi expectationem tenendam. Epitasis est incrementum processusque turbarum, ac totius, ut ita dixerim, nodus erroris. Catastrophe est conversio rerum ad jocundos exitus, patefacta cunctis cognitione gestorum. In plerisque fabulis ipsarum nomina priora ponebantur, quam poëtarum: in nonnullis poëtarum, quam

13 *Minutius et Prothonius*] Ms. *Minutius et Prothimus*. Id.

14 *Dicta πρόλογος*] Ms. *dicta πρώτος λόγος*. Id.

15 *Ἀναφορικὸς*] Ms. *ἐπιτιμητικός*. Id.

16 *ὑποθετικός*] Ms. *δραματικός*. Quæ mox sequuntur, ex collectaneis regii exemplaris immutata sunt. Id.

fabularum. Cujus moris diversitatem antiquitas probat. Nam, cum primum aliqui fabulas ederent, ipsarum nomina pronuntiabantur ante, quam poëtæ pronuntiarentur, ne aliqua invidia a scribendo deterrirentur. Cum autem per editionem multarum poëtæ jam esset auctoritas acquisita, rursus priora poëtarum nomina proferebantur: ut per ipsorum vocabula fabulis attentio acquireretur.

Actas diversis ludis manifestum est inscribi. Nam ludorum quatuor sunt species, quos curules ædiles munere publico curant: Megalenses, magnis Diis consecrati, quos Græci *Μεγαλησίους* appellant:¹⁷ Funebres, ad retinendum populum instituti, dum pompa funeri decreta in honorem patricii viri plene instruitur: Plebeii, qui pro salute plebis eduntur: Apollinares, Apollini consecrati. In scena duæ aræ poni solebant, dextra Liberi, sinistra ejus Dei, cui ludi fiebant: unde Terentius in *Andria* ait, ‘Ex ara hac sume verbenas.’

Hinc Ulyssem palliatum semper inducunt: sive quod aliquando insaniam simulavit: quo tempore tectum se esse voluit, ne agnitus cogeretur in bella prodire; seu ob singularem sapientiam, qua tectus munitusque plurimum sociis profuit. Hujus enim virtutis erat, animi semper decipientis ingenium. Nonnulli Ithacæ incolæ, sicut Locros, palliatos fuisse commemorant. Achillis et Neoptolemi personæ diademata habent: quamvis regalia sceptrâ nunquam tenuerint: cujus argumenti probatio talis inducitur, quod nunquam cum reliqua Græciæ juventute, ad gerenda cum Trojanis bella, sacramenta conjurationis inierunt, nec unquam sub Agamemnonis imperio fuerunt.

Comicis senibus candidus vestitus¹⁸ inducitur, quod is antiquissimus fuisse memoratur. Adolescentibus discolor attribuitur. Servi comici amictu exiguo conteguntur, paupertatis antiquæ gratia, vel quo expeditiores agant. Parasiti cum intortis palliis veniunt. Læto vestitus candidus: ærumnoso obsoletus: purpureus diviti: pauperi phœniceus datur: militi chlamys purpurea: puellæ habitus peregrinus inducitur. Leno pallio varii coloris utitur. Meretrici

¹⁷ *Μεγαλησίους appellant*] Ms. *Με-ΠΟΥΣΙΟΥΣ*. Videtur legendum (ut et in Pith. lib. emendatum erat) *Μεγάλους Σιούς*. Vult Megalenses iudos nomen invenisse ἀπὸ τῶν μεγάλων

Σιῶν: hoc est, Dis magnis. Nam Doribus, ut et Plato et Aristoteles testantur, *Σιὸς* est Deus. *Id.*

¹⁸ *Candidus vestitus*] De vestitu comico vid. Pollucem, *Id.*

ob avaritiam lutenum datur. Syrmata dicta sunt ab eo, quod trahuntur: quæ res ab scenica luxuria instituta est. Eadem in lucuosus personis incuriam sui per negligentiam significant. Aulæa quoque in scena intexta sternuntur; quod pictus ornatus erat, ex Attalica¹⁹ regia Roman usque perlatus: pro quibus siparia ætas posterior accepit. Est autem mimicum velum,²⁰ quod populo obsistit, dum Fabularum actus commutantur. Diverbia histriones pronuntiabant. Cantica vero temperabantur modis non a poëta, sed a perito artis musicæ factis. Neque enim omnia iisdem modis in uno cantico agebantur, sed sæpe mutatis. Ut significant qui tres numeros in comædiis ponunt, qui tres continent mutatos modos cantici illius. Qui hujusmodi modos faciebant, nomen in principio Fabulæ et scriptoris et actoris superponebant. Hujusmodi adeo carmina ad tibias fiebant, ut his auditis multi ex populo ante discerent, quam Fabulam acturi scenici essent, quam omnino spectatoribus ipsis antecedens titulus pronuntiaretur. Agebantur autem tibiis paribus aut imparibus, et dextris aut sinistris. Dextræ autem et Lydiæ sua gravitate seriam Comædiæ dictionem pronuntiabant. Sinistræ et Serranæ acuminis levitate jocum in Comædia ostendebant. Ubi autem dextra et sinistra acta Fabula inscribebatur, mistim joci et gravitates denuntiabantur.

L. VICTORIS FAUSTI

DE COMEDIA

LIBELLUS.

Sim brevis usque licet veterum de more libellus,
 Meque suum quisquam nequeat asserere:
 Nec triviis vulgata feram, decerptave passim,
 Nec proinde elata fronte superbus eam:

¹⁹ *Ex Attalica regia*] Sil. Italicus lib. xiv. 'Quæque Attalicis variata per artem Aulæis scribuntur acu.' *Id.*

²⁰ *Mimicum velum*] Hæc vera est lectio. Apul. 'Siparium mimicum dimoveto.' Quintilian. lib. vi. cap.

4. 'Cum ejus accusator in sipario omnibus locis, aut nudum eum in nervo, aut ab amicis redemptum ex alea pinxisset.' Hæc eadem vox restituenda est Servio in Georg. Virgil. Vid. Fest. et Juvenal. Scholiast. ad Satyr. viii. et alii. *Id.*

Attamen egregium nihil undique, et undique tersum est.

Nam, quod miraris, ridet id alter opus.

EDITURUS ego libellum de triplici Comœdiarum sectione, Trivisanorum decus, Andrea, tibi, quanquam prætextato, munus dicare decevi. Non equidem admiratione bonorum corporis aut fortunæ, qua merito Venetiis et in adeo excellenti familia veneremur: sed quoniam ingenio te singulari adolescentem multis jampridem iudiciis ipse cognoveram. Etenim vere, quod de se jactabat Hermogenes, ætatem virtutibus, haud indole prævenisti. Quocirca nemini videatur alienum, si, quod ab ingenio proficiscitur, ingenio præstanti adolescentulo nuncupatur. Ceterum arbitror me meis, quotquot potuerunt intendi, viribus consecreturum, ne amplius quid novum aut vetus, quidve medium, et cur in Comœdia dicatur, ullus ignoret. Quod hactenus vel omissum a Latinis, vel abolitum vetustate, sæcula nostra desiderarunt. Multa quidem egregie Donatus, multa Diomedes, et adeo bonis auspiciis protulerunt, ut ea grammatici passim in sua transcribant: sed tamen huc illa parum videntur, immo nihil pertinere. Quædam igitur a Græcis auctoribus et Latinis haudquaquam nominatim pertractata, verum obiter disserta collegimus: quædam ipsi, collatis inter se multis, elicienda ac breviter curavimus annotanda, quæ tibi pauca parvus ego devovi, perinde atque suam Virgilianus ille Micondianæ Venationem. Fatemur enim et eorum, quæ nos minime præterierint, subticuisse complura. Jam itaque nostram hactenus obligatam fidem absolvamus. Comœdiæ nomen a Dæmone Como religiose admodum arbitramur esse deductum, quoniam et comessari de nomine dictum Philostratus affirmat, cujus scilicet numinis dexteritate quælibet hominibus fausta comessatio daretur. Quid autem sit comessari, Philostratus imagine Comi facilius tibi, quam ego possim, demonstrabit, ubi fingit eum fervescente mero supinum dormire, facieque præ nimio potu scintillante, rhonchos ab imo pectore stertere deducentem. Utriusque vero sexus homines, id quod ipse desiderat, gregatim vestibus permutatis, plausuque concinno, quo maxime possunt genio indulgere. Quod ipsum in hac urbe sæpius vidisti, cum mimariæ (ut aiunt) saltationes hybernis noctibus debacchantur, quæ teste Polluce *κόρδακες* appellari consuerunt. Noli igitur eos audire, qui comessari dictum putant ab esu, quoniam s simplici necessario scriberetur, nec secus eruditi veterum codices haberent. Nam Græcum illud *κωμάζω*, quemadmodum z literæ

natura desiderat, duplici ss Latine quidem annotatur, sicuti φιλιππιζω, philippisso est. Ita κωμῳδία quasi κωμαζῳδία, videlicet comessantium hominum cantilena. Quæ Græcorum et Donati sententia maxime placet; cum præsertim doctissimus quisque fateatur in Dionysiâis comessionibus id genus poëmatis a Veteribus fuisse celebratum. Ii vero mihi nullo pacto blandiri possunt, qui nomen hoc ἀπὸ τῶν κωμῶν derivare contendunt, quoniam Athenienses (apud quos natam fere, et auctam esse Comœdiam nemo ambigit) δῆμους vocarunt, quæ ab aliis κῶμαι fuissent appellatæ. Enimvero illud unum mihi negotium facit, ne scilicet Comum ἀπὸ τῶν κωμῶν Græcia dixerit: quemadmodum Romani Fornacaliam servatis ab incendio coluere fornacibus: et Robigum, sive Rubiginem, atque alios complures, a quibus præessent rebus appellavere. Utcumque tamen sese res habeat, περὶ τὸ κωμάζειν appellari Comœdiam affirmo: quoniam, etsi περὶ τὰς κώμας dicatur ὁ κῶμος, tamen ab eo τὸ κωμάζειν, unde κωμῳδία quasi κωμαζόντων ῥῆδι nominatur. Verum ex ipso jam nomine patuit quænam definitio possit Comœdiæ convenire, poëma scilicet demulcendis hominum mentibus, excutiendisque potissimum cachinnis accommodatum. Hoc innuit Virgilius, et illi Græcorum, qui Θάλειαν Musam Comici præsidere cecinerunt. Quæ scilicet, festivis pullulans jocis, ad risum usque delectet. Hoc etiam Aristoteles comprobavit, inquis, quod in turpitudine ridiculum est, Comœdiam imitari. Quandoquidem illud inprimis poëtæ rebus et verbis efficere conabantur: ipsa quidem re bifariam, videlicet vel opinione sua, vel alterius persuasionem deceptas fingendo personas: deinde magna nomina, vel Deos mortalium postremis componendo, sicuti Plautus in Amphitryone Mercurium simulat agere Sosiam: vel contra, quemadmodum in Ranis Aristophanis Fabula Xanthias vile mancipium Herculem agit. Verborum autem modis septem Comici risus excitabant: vel scilicet plura significans verbum usurpantes, quod grammatici dicunt ὁμωνυμίαν: vel plura significationis ejusdem, quod vocant συνωνυμίαν: vel proprium aliquod ludentes nomen ea quidem ratione, qua nos interdum ‘oratorem’ dicimus ‘aratore,’ quod illi nuncupant παρωνυμίαν, vel eadem sæpius non invenuste repetendo, quod appellant ἀδολεσχίαν: cujusmodi est illud Ennianum ab Aulo Gellio citatum, ubi verbum hoc ‘frustra’ et ‘frustrari,’ decies eodem loco inculcatur: vel aspernandi studio diminutiva formantes: vel aliquam haud absurde literam mutan-

tes. Denique per non tritas dicendi figuras elegantiam alicujus, aut rude ingenium exprimentes, theatrum omne risu diffundebant. Verum hæc universa nihili nonnunquam erant, nisi vocem histriones singulis adhibuissent accommodatam: quandoquidem omnis oblectatio Comœdiæ propemodum in actione consistit. Hactenus autem quæ diximus, bono omine procedant: ne (licet huic libello de perplexis adeo quæstionibus propositum non sit disputare) nimis multa esse videantur.

Si funditus Latinæ Comœdiæ quæras perspicere conditionem: inprimis ejus originem par esse arbitror non ignorare: quippe cum ad nos e Græco fonte derivata per Latinos quasi traduces emanarit. In Veterum itaque fabulis quinque perhibent esse differentias, temporum scilicet, styli, materiæ, numerorum, et apparatus. Nobis igitur tempora considerantibus, tria Comœdiarum genera sese offerunt distinguenda. Primum enim est, quod una cum Peloponnesiorum imperio, Susarione, vel Sannirione floruit inventore. Alterum, quod ab impositis per Lacedæmonios Atheniensium cervicibus triginta quasi jugo tyrannis ad ætatem usque Philippi Macedonis est propagatum, videlicet per annos circiter sexaginta. Tertium, quod ab Alexandri temporibus adeo faustum sumsit initium, ut etiam a Latinis in præsentia celebretur. Verumtamen ego Comœdiam Græcum esse inventum minime arbitror: neque (ut Thomas Magister, et eum secuti, videntur æstimare) ab agricolis civium injurias conquerentibus esse derivatam. Hoc nempe causam asperitatis, et jurgiorum in Veteri Comœdia reddit: quam mox ipsi longe aliam esse docebimus: neque videtur quicquam, ut reor, ad Comœdiæ primordia pertinere: quoniam Orpheus, quem constat per centum amplius annos ante Trojani belli tempora vixisse, sub Laomedonte scilicet, ac Athenis Ægeio imperante, Bacchi mysteria ab Ægyptiis tralata suis Thracensibus indicavit. Atqui Comœdiæ, quemadmodum idem asserit Thomas, veris tempore in Bacchanalibus agebantur. Unde etiam apud Romanos ara Libero patri sacra in dextro latere scenæ, quemadmodum ait Donatus, vel orchestræ, ut Pollux, semper erigebatur, quod maximum est argumentum, a Bacchi mysteriis omne Fabularum genus esse depromptum. Id Horatius innuit, cum spectatorem et sacris functum, et potum appellat. Par est igitur arbitrari, prima Comœdiæ semina per Orpheum ab Ægypto in Græciam fuisse delata: unde complura non Orpheus modo, verum et alii transtulerunt.

Celebres enim erant et Phœnicæ literæ nondum Græcis sexdecim a Palamede Nauplii filio configuratis : ac plurimi studia poëtices habebantur : proindeque sapientes illi numeris omnia componebant : quæ una cum ceteris apud tum Ægyptios floruisse nemo bene doctus dubitarit. Non defuerunt etiam, qui Fabularum initia Siculis adjudicarent, quemadmodum Aristoteles in Poëticis ait, quoniam Epicharmus Comicoꝝ antiquissimus poëta illinc esset oriundus. Syracusanus enim revera fuit, duplicesque Græcorum literas ζ ξ χ primus omnium excogitavit, sicut in Iliados Alpha Grammaticus Joannes solerti vir ingenio mecum sentit : ubi longas η et ω per Simonidem poëtam in insula Chio natum scribit esse formatas, aspiratarumque characteres θ φ χ Cadmo illo Milesio testatur effictos : licet hæc Plinius quinquagesimo sexto libri septimi capite longe aliter tradat : nisi sit error in codicibus, aut Græci ipsi non satis sibi constant, quos ille potissimum fuerit secutus. Satius tamen arbitror hæc elementa singula singulis inventoribus addixisse. Ea igitur ægrotantium somnia prætermittas : unum hoc sciens ab Æschylo, et qui eum secutus est, Cratino, Fabulas in suam formam esse tandem redactas. Siquidem ante devictos Persas ad Salamina, cujus victoriæ Fabulam, quæ nunc extat, Æschylus dedit, nullus in iis ordo poterat reperiri. Comædiarum itaque prima semina ad Ægyptios referamus, formulam earum et ordinem Cratini temporibus ascribentes. Styli cum ceteris scripturis eadem esse differentia videtur ; antiqua enim Comædia gravis et elata semper incedit, ac nonnunquam obsoletiora quædam verba sectatur : at contra recentior perspicuum sermonem affectat, utpote quæ novis ac politioribus utatur atticismis.

Materiæ cum tres esse nemo ambigat sectiones, quædam altius videntur nobis esse repetenda. Per Atticæ urbis incrementa potissimum vigente republica, cum scilicet omnia populi arbitrio regerentur, poëtæ, qui Fabulis operam dabant, ab insectatione aliena stylum minime poterant continere : seu quoniam Attici suapte natura nasutiores esse dicuntur : sive potius quod plebei semper innato odio patricos prosequantur. Etenim præpotenti morem populo gerentes, et iudices et prætores maledictis insectari minime dubitabant : ac nihilo scius privatos, si quis vel avarus, vel impurus esse videretur : maximeque dabatur laudi, si poëta quispiam e scena gravioribus, ac plene censoriis verbis id genus homines veluti jaculis confecisset. Hoc namque multi domestico probro

quasi flagello quodam vexati, cum mores præteritos mutare, tum vel esse frugi, vel saltem apparere cogebantur: ne denuo sese male gerentes, male identidem audirent: cujus rei numeros omnes Cratinus dicitur implevisse: quippe ceteris austeritate præstans, acerbissima jurgia procaciter exspuebat. Hac etiam in parte bonus ille Aristophanes non dormitavit. Ejus enim Vespæ Fabula, quotquot erant sycophantæ, quos quidem ipse vocat ἡπιάλους, fecit ab incepto desistere, quo inter cetera facinore tantum placuit, ut olcagina, quæ par est aureæ coronæ, donaretur. Deinde labefactatis populi viribus, cum scilicet imperium ad paucos omnino recidisset, nulla poëtis amplius libere loquendi facultas concedebatur, sed pœnas dare potentioribus necesse erat, si quis vel minimum esset oblocutus. Idem enim Aristophanes, quemadmodum in Acharnensibus Fabula de se ipse meminit, quinque talentorum mulctam perpressus est, propterea quod Cleonis cujusdam ex Atheniensium optimatibus impotentiam et peculatum per Equites Fabulam detegere conaretur. Etenim illi adeo fuit infensus, ut, quoniam ab opifice personam Cleoni similem habere non posset, sibi milto ceterisque id genus fucis concinnarit: histrionibusque præ nimio metu e scena prodire non audentibus, Cleonis personam solus agere non dubitarit. Eupolis vero præceps in mare datus est, eo quod potentiores aliquot in Baptis fabula momordisset. Cum igitur hæc animadverterent poëtæ, decreverunt sibi fore prorsus a maledictis illis temperandum. Itaque styli nasum ob imminens vitæ discrimen alio converterunt, poëmata scilicet Homeri vel alterius in ludibrium sæpe quidem injuriose vertentes: quorum maxime Cratinus scenæ populoque (ut aiunt) servire contendit. Noverrat enim (arbitror) id quod in Oratione de Corona Demosthenes asserit, esse natura comparatum, ut homines libenti animo calumnias aliorum audire videantur. Ulysses itaque plurali numero Fabulam dedit, quæ totius Odysseæ calumniaretur historiam. Aristophanes quoque, postquam suo malo contra stimulum calces nihil valere didicisset, in alteram se formam quasi Proteus convertit, Æolum scilicet Fabulam a Tragicis olim celebratam, in Comicam αἰολοσκῶνα deridendo permutavit. Ille idem Aristophanes (mirum dictu) novæ etiam initium Comædiæ dedit, quod velim ejus egregia laude dictum arbitreris. Quippe cum unus ipse queat triplicis argumenti poëta reperiri, siquidem et aliam, cui nomen est Cocalo, Fabulam commentus esse dicitur, in qua virginum com-

pressiones, agnitæque agitentur affinitates. Demum Athenis Macedonum petulantia subjugatis, eas continuo Fabellas edere studuerunt poëtæ, quibus illorum impuritati satisfactum esse videretur. Quandoquidem vel ex Athenæi monumentis facile possumus conjectare, quod gulæ ventrisque servitio Macedones fuerint emancipati. Menander itaque, suæ tempestati morem gesturus, Comœdiam ab Aristophanis Cocalo feliciter admodum est auspicatus: cui sic Ovidius alludit Amorum secundo, nobis obiter quænam fuerint ejus argumenta demonstrans,

Dum fallax servus, durus pater, improba lena
Vixerit, et meretrix blanda, Menandros erit.

Quod nos cum Græco carmine ludentes in egregiam Terentii laudem vertissemus, tibi pulcherrimos condendi iambos dedisse ansam videmur. Ceterum fuit octo tantum annis junior Alexandro, sanguine nobilis et morum integritate præclarus. Alexideque (ut arbitror) præceptore jam adolescens dare Fabulas cœpit, quæ centum et octo numero coram doctissimis quibusque steterunt, vel quinque supra centum, ut cecinisse Apollodorum Gellius scribit. Tandem Athenis in patria duos et quinquaginta natus annos obiit mortem, decimo scilicet ante bellum Macedonicum anno, quod Pyrrhus cum populo Romano gessit acerrimum. Nec solæ quidem hæ Menandri Fabulæ Macedonum lumbos (ut his utar Persii verbis) intravere, sed et aliæ Diphili Sinopei centum Philemonisque Syracusani Menandrum æmulantis fere totidem accesserunt. Præterea quas Apollodorus, Posidippus, et Philippides addiderunt, ac ceteri, quos nova Comœdia celebravit. Profecto mira fuit Aristophanis felicitas: cujus una Cocalus e quinquaginta quatuor (tot enim vidisse se Thomas Magister ait) adeo multas diversorum poëtarum Fabulas procreavit, quæ cum parente suo reliquisque Veterum præne omnibus ab usu nostro suffurante tempore exciderunt. Utinam extarent vel dimidiatæ: non adeo forsitan in præsentia Fabulas perspicendo cæcutiremus; nec esset cur ego vos semicæcus ducere conarer. Sed, acta ne agamus, vitium hoc et præteritam calamitatem his quasi frugibus, quotquot extant, Aristophanis Fabellis compensantes. Duplex esse numerorum differentia videtur: quandoquidem Veteres illi Comœdiam variis distinguere versibus studuerunt, eo quod laudi maxime daretur, siqui novum carminis genus adinvenissent. Unde Phrynicius in Ionico

minori catalecticon tetrametrum excogitavit, Pherecratesque sibi versum e spondæo, dactylo, et trochæo pulcherrimum concinnavit: nec secus Eupolis tetrametrum ex trochæis conglutinavit. Verum Aristophanes, ut in omnibus est ποιητικώτατος, in hoc etiam ulli cedere noluit. Iambicum enim hypercatalecticum monometrum, et brachycatalecticum trimetrum, est mira suavitate modulatus. Insuper ex anapæstis trimetrum acatalecticum, ex choriambis vero monometrum primus omnium temperavit, atque alia complura per Servium et illius interpretes Fabularum annotata, quæ mortalibus adeo placuerunt, ut barbaros etiam Persarum animos potuerint demulcere. Etenim apud eos Aristophanem accepimus præsertim a rege celebratum. Contra vero Nova Comædia iambos, ut plurimum solet, usurpat: quemadmodum a Stobæo, Plutarcho, Gellio citata Menandri carmina demonstrant.

Binas apparatu differentias extitisse grammatici tradiderunt, cum scilicet in personis, tum in ipsa serie, Comædiarumque contextu. Platonius enim auctor est Veteris Comædiæ poëtas e scena solitos esse eos educere personatos, qui statim ex ipsa facie, quos essent toto opere carpturi, spectatoribus indicarent: ut, si forte quis non audire carmina cogere, de persona tamen, quisnam esset deridendus, agnosceret. Sed Comici recentiores, ad excutiendos potissimum risus, histrionum facies configurarunt. De industria quidem monstrosos hominum vultus effingere conabantur, ne cuiquam forte fortuna Macedoni tunc præfecto similes esse viderentur: proindeque miser ille poëta, non secus ac si barbarum principem data opera subsannaret, publice mulctaretur: adeo nobilis illa Græcorum majestas impuris obtemperabat. Quippe distorta corpora Menander (si Platonio credimus) planeque communem hominum excedentia naturam personis imitabatur, profecto sapienter, Quoniam, inquit ille, non solum malum, sed et mali vitanda est suspicio. Quod autem ad Fabulæ pertinet contextum, chorus in causa est cur inter se Veteres Novique non quadrent: quandoquidem illi varia quædam modulamina temperabant, quæ chorus singulis actibus intercinendo plebem sine tædio, quousque novi egrederentur histriones, detineret. Populus enim Atheniensis, quatenus rerum dominus habebatur, quotannis Ædiles creabat, qui sumtus alendis puerorum choris subministrarent. Ceterum chorus quatuor et viginti viris, puerisve, aut fœminis instruebatur, sicut Aristophanes in Avibus Fabula numerat. Si vero promiscue

viri fœminæque ad explendum chori numerum adhiberentur (quod fecisse dicitur primus omnium Tyrtæus) mares dimidium excedebant. Si pueri, tum fœminis illorum major numerus erat. Sin autem viri tantum, juvenes scilicet ac senes, identidem poëtæ majores tredecim, minoribus undecim admiscebant, utpote quorum de nomine chorus appellaretur. Quilibet autem ex his chorus in quatuor (ut aiunt) *ζυγά* dividebatur, quorum singula sex continerent saltatores. Comicus, inquam, hoc pacto chorus apparabatur. Nam, sicut Æschylus canit, quinque tantum et decem in Tragœdia constabat. Interdumque dimidiato numero (sicuti Pollux ait) semichorum induci facile admodum est videre. Idem attamen scribit in Veteri Tragœdia chorum saltatores habuisse quinquaginta: verum, quoniam Æschylus totidem Eumenidas induxisset, quæ totum præ multitudine theatrum consternassent, cohibente lege ad pauciores esse deventum. Arbitror etiam in Comœdia cum Donato longe plures ab initio fuisse cantores, quoniam (ut Aristoteles in Naturali quadam sentit Quæstione) multi facilius servare numeros possunt. Cum igitur post fabulæ prologum esset orchestram ingressurus, si rusticis constaret, a dextro latere solebat emitti: sin autem urbanis, a sinistra parte prodibat, quadrataque forma consistens recedentes histriones observabat. Deinde conversus ad spectatores, quorsumcumque septies theatrum intuebatur, totidemque cantilenas moderato gestu pronuntiabat: quod omne *παράβασις* ab Aristophane pluribus in locis nuncupatur. Prima igitur cantilena statim ab histrionum discessu prolata *κορωνίς* communi nomine dicitur. Nam, quicquid persona quapiam recedente cantatur, grammatici Comicos exponentes *κορωνίδα* solent appellare. *Κομμάτιον* vero proprie dicitur, quatenus de choro amputata recisaque particula videtur: id a quibusdam *εἴσθεσις χοροῦ* nominatur. Secunda, *παράβασις*, non secus ac tota saltatio dicitur: quoniam illinc, ubi constiterat chorus, populum versus incedit: sive *ἀνάπαιστος*, eo quod frequenter hujuscemodi cantus anapæstos usurparet. Tertia *πινῆγος*, aut *μακρὸν*, cantilena scilicet (ut Pollux ait) una spiritus contentione prolata, quæ tria sejunguntur ab invicem, eum alterum alteri nullam habeat rationem. Quæ vero sequuntur, inter se quadam sunt ratione conjuncta, videlicet *στροφὴ* vel *φδῆ*, sive *μέλος*, *ἐπίρρημα*, *ἀντίστροφος* vel *ἀντφδῆ*, et *ἀντεπίρρημα*, quod loco septimo eantabatur, *στροφὴ* enim sive *ἀντίστροφος* membris et carminum genere quadrat. Rursus *ἐπίρρημα*

undecumque sibi conveniens *ἀντεπίρρημα* solet habere. Quoniam utrobique fere semper chorus ex iambis tetrametra sexdecim modularetur, totum hoc simul *χορικὸν* appellatur, quando Comœdiæ partem volumus assignare; quatuor enim sunt, videlicet *πρόλογος*, qui ad egressum usque chori prorogatur: deinde *χορικὸν*: et, quod interponitur choris, *ἐπεισόδιον*: postremo *ἔξοδος*, quæ scilicet a choro in calce Comœdiæ pronuntiatur, ut Pollux in quarto scriptum reliquit. Ea igitur *παράβασις*, auctore Demetrio Triclinio, quæ nullas harum partes omittit, perfecta solet appellari: qualem Aristophanes in Equitibus Fabula concinnavit. Verum complures imperfecte pro arbitrio poëtarum inseruntur: id quod idem in Nebulis Fabula fecit: ubi solum *ἐπίρρημα*, quod esset vitii carpendis accommodatum, induxit, ac in Ranis quatuor illa tantum conjuncte reposuit. Sed illud est animadversione dignum, quod *ἐπίρρημα* et *στροφὴ* sive *μέλος*, quando nullam *ἀντεπίρρηματος* aut *ἀντιστροφου* reditionem expectant, in fine semper habent *παράγραφον*, ut non esse *κατάσχεσιν*, id est, obnoxie posita videantur: quandoquidem hæc linea transversa *παράγραφος* scilicet, tria illa, quæ diximus, inter se discreta continuo claudit. Verum, si futuram expectant reditionem, *στροφὴ* tum hæc linea, cum non secus ac *ἐπίρρημα*, duabus aliis terminatur, quarum coëuntium angulus vergat introrsum: contra vero *ἀντίστροφος* lineis clauditur binis, quarum extrorsum utrique anguli vergant, hinc inde finale membrum, carmen scilicet ultimum amplectentes. Verum ex iis duntaxat uno solet *ἀντεπίρρημα* concludi. Quæ plane signa, prout anguli sese habent, vel futuram, vel præteritam reditionem ostendunt. Hoc Demetrius ille Triclinius scribens in Aristophanem excogitavit. Verumtamen inter cantus poëtæ nonnunquam personas educere solent, quarum dissertatio *σύστημα κατὰ περικοπὴν* appellatur: interdum versibus alternis contententes aliquot proferunt histriones, vel chorum etiam respondentem: quod Hephæstion videtur *ἀλλοιόστροφον* appellare. Verum has et alias consulto prætermittendas esse arbitror quæstiones, quæ mira poëtarum licentia gignuntur: constat enim illis nihil unquam non audendum. Quocirca nobis, de choro certiora consecutatis, pro materia satis abunde dictum esse videatur, quomodo præsertim in Nova Comœdia chorus nullum habeat vel habere potuerit locum. Siquidem Athenis, cum omnia potentiores ad arbitrium suum revocare cœpissent, nulli amplius creabantur *Ædiles*: perindeque sumtibus ad alendos

juvenum choro institutis populus abuti prohibebatur : quod particulatim a Platonio legimus disputatum. Id itaque animadvertentes poëtæ, quemadmodum lata lege de non carpendo nominatim, materia mutabatur, ita etiam cantilenis abstinere penitus decreverunt : quodque sapientes, cum tempori cedendum est, efficere solent, quæ erat necessitas, in virtutem egregiam transtulere. Nam actus Fabulæ sic agebant colligatos, ut per intervalla, quæ quidem erant minima, saltem unus histrio relinqueretur, aut frequentius complures alternis inter se versiculis disserentes. Deinceps nihil vetusti chori proprium observabant : quemadmodum in Aristophanis Pluto Fabula tute jam pridem vidisti. Id Horatius ita cecinit :

Lex est accepta : chorusque
Turpiter obticuit, sublato jure nocendi.

Miror autem, quasi monstrum conspicatus, illum, cujus scripta sub Acronis nomine circumferuntur, vel si est ipse Acro, dixisse id lege cautum sub Augusto. Poterat mediusfidius perspexisse (modo Plautum aut Terentium legerit) an ante Augustum actæ Fabulæ quenquam momordissent. O quam egregie vetusta novis, Latinaque Græcis non hic modo, verum et alii fortuna similes confuderunt. Quippe hoc Athenis decretum patricii promulgavere vix anno Urbis Romæ quadragesimo septimo supra ter centum, videlicet cum tribuni militares imperio consulari crearentur.

Comædiam itaque tempus et materia, sicut diximus, in tria genera dividunt, antiquum scilicet, et novum, et medium. Stylus vero, numeri, et apparatus duplici tantum sectione partiuntur : diversa tamen ratione : quoniam stylus et numeri vetustiora duo simul componunt, quæ ad Alexandrum usque pervenere : sed apparatus medium illud annectit recentiori. Nam in utroque (si grammaticis credendum est) nulla chori modulamenta reperiuntur.

Non autem esse arbitror alienum in præsentia quædam particulariter considerare, quæ profecto multa non erunt : quoniam facile videtur ex hactenus dictis fere omnes tum Græcas, tum Latinas metiri Comædias, si temporum præsertim ullam habere volueris rationem : quando scilicet in scena floruerit unusquisque Fabularum poëta. Primam igitur Romæ Fabulam dare Lucius Livius occipit decimo supra quingentesimum Urbis anno : qui quidem, Gellio teste, quinquagesimus secundus ab obitu Menandri nume-

rabatur : vigesimo fere postea quam Romani primum Carthaginiensibus bellum indixissent : tunc enim pace composita, quæ populo tanto opere expetebatur, id genus oblectamenti relaxandi animi gratia receptum est. Deinde spatio novem annorum interjecto, C. Nævius data Fabula spectandi copiam fecit. Post eum Plautus, anno fere decimo quinto : subinde seriatim Q. Ennius, Cæcilius, et Terentius floruerunt : postea non multo Pacuvius, qui jam senex Accio cessit. Postremo Lucilius fuit, qui medium illud argumentum, lacerandi scilicet aliorum pœmata, sectabatur. Hunc enim Gellius in Accium et Pacuvium magna laude stylum exercuisse testatur. Fabulas igitur isti, de Græco petitas argumento, Latinis salibus condire statuerunt : quemadmodum in Terentii, vel Plauti, quæ circumferuntur, Fabulis est videre : Novamque penitus Comœdiam sunt imitati, nullam chori modulantes cantilenam : sed actus (ut ait Porphyrio) tibiarum concentu dirimentes. Ubi operæ pretium est animadvertere tibias chori proprietatem æmulari. Nam (ut auctor est Donatus) quæ Fabulæ graves haberentur et severæ, tibiis dextris agi consueverunt : quæ vero jocis et urbane dictis undique scaterent, continuo sinistris. Pollux enim auctor est quinque olim in scena januas extitisse ; quarum media illius omnino domicilium esset, qui primas in Fabula partes haberet : altera, dextra scilicet, huic proxima, illius esse consuevit, cui partes darentur secundæ : tertia, sinistra, vel maxime tenuis, aut nullius erat personæ, vel desolatum aliquod simulabat sacellum. At reliquarum dextra eos emittere solebat, qui non ab Urbe, sed aliunde proficiscerentur : sinistra vero contra, quotquot venirent, urbanos producebat. Ab hac (ut arbitror) ejus Fabulæ chorus prodire consuevit, quas salibus jocisque referta esse videretur. Quippe, quod facete dicitur, solemus urbanum appellare. Verum ab altera, si rusticos Fabula contineret, quadam severa gravique simplicitate chorus emittebatur. Etenim eos potissimum rusticos vocamus, qui semper obducto supercilio facetias aversantur. Unde Palamedes apud Philostratum ab Achille dicitur ἀγκώρεπος, quoniam, ut erat undique severus, in deliciis etiam nihil haberet.

Ceterum, licet multa sint genera tibiarum, tamen duo scenam potissimum frequentabant, videlicet Phrygiæ : quarum nonnullæ modo dextræ, modo sinistræ ponebantur. Dextræ, quæ foramen unicum haberent : sinistræ, quæ duobus essent foraminibus dis-

tinctæ. Quippe Servius, Varronem secutus, duas impares cavernas hujuscemodi tibiis fuisse testatur, ac foramina totidem. Unde Virgilius carum biforem cantum appellat, propterea quod graves et acutas emitterent pro tibicinis arbitrio vocationes. Alteræ sunt Serranæ, sic (arbitror) appellatæ, quoniam iis saltatores et proferre et referre pedem continuo juberentur, non secus atque sectores, qui serra adacta partiri ligna conantur. Siquidem Pompeius ait serram id prælium dici quo frequenter acies et accedere et recedere solet. Hæ semper erant sinistræ, paresque, id est, æquales cavernis: proindeque parem concentum, acutum scilicet emittebant, quemadmodum Servius haud perplexe scriptum reliquit. Verumtamen Diomedes tibiis pares et impares videtur numero definire: quod equidem non video cur possit admitti: nam par et impar qualitate fere semper accipitur a Latinis. Exemplo sit hoc Ovidianum:

Par erat inferior versus.

Et illud Virgilianum:

Formosum paribus nodis.

Ac illud:

Impar congressus Achilli.

Sed quo tandem sum incuriose digressus? Egone ut magna nomina sugillarem? Minime, si meum mihi vitæ institutum permanebit. Quocirca ne nobis aliquid Eupolidis infortunio simile contingat, perfecto jam operi paragraphum stylus obducat.

DE FABULARUM, LUDORUM, THEATRORUM, SCENARUM, AC SCENICORUM ANTIQUA CONSUETUDINE, LIBELLUS;

Ex optimis auctoribus collectus, ad Comicos facilius intelligendos, præcipue conscriptus in gratiam Studiosæ Juventutis.

NUNQUAM existimandum est cuiquam posthac familiarem Plautum aut Terentium futurum; eorumque intimum artificium, orationis characterem, atque venustatem, aliaque id genus plura quæquam plane assecuturum, nisi comicam omnem dignitatem, morem, et agendi consuetudinem, quæ ab antiquis in Fabulis ac

Ludis observari solebant, exacte teneat. Ita fiet, ut postea nihil præter metrorum rationem ac versuum mensuras desiderare possit: quas nimirum ex Terentiano, omnium Latinorum grammaticorum cultissimo, et in hac re plurimum exercitato, desumere licebit. Hic itaque libet adolescentulis bonarum literarum studiosis breviter proponere: primum, unde nata sit Comœdia, quoque pacto ante Comœdiarum usum antiqui poëtæ luserint: deinde vero, quomodo Comœdiæ agi ac pronuntiari solitæ fuerint, ut quid Ludi sint, quid Theatra, Scenæ, Actus, Personæ, et id genus cetera, facile intelligatur. Quod opus dum aggredimur, facilem atque attentum lectorem esse cupimus, ut tandem intelligat, quid sit Fabula, Tragœdia, Comœdia Vetus, Satyra, et Nova Comœdia.

QUID FABULA, TRAGŒDIA, SATYRA, COMŒDIA VETUS ET NOVA.

Fabula generale nomen est, Tragœdiam, Satiram, et Comœdiam in se complectens. Estque Fabula narratio quædam conficta, et demissiore plerumque stylo ac versibus conscripta ad oblectationem auditorum. Unde etiam Poëmata inter Fabulas a nonnullis connumerantur: quapropter quibusdam visus est Homerus Iliadem instar Tragœdiæ, Odysseam ad imaginem Comœdiæ conscripsisse.

Tragœdia autem Fabula est, qua antiqui reprehendebant, quod in rebus non solum privatis ac civilibus, sed maxime arduis et ad principes attinentibus minus rectum videbatur. In ea scenici amurca, et olei fæcibus (quas Græci *τρύγας* vocant) perlinebant ora, ante usum personarum: unde Tragœdiæ nomen. Ejus grave argumentum fuit, petitum sæpe ab historica fide: dictio severa, sublimis, sæpe tumida: tranquilla prima, exitus funesti.

Post Tragœdiam inventa Comœdia, quæ Vetus dicta est: in qua (ut in Tragœdia quoque) simplex carmen fuit: quod carmen chorus circa aras fumantes nunc spatiat, nunc revolvens gyros, cum tibicine concinebat: eratque primo una persona cantoribus substituta, quæ, respondens alternis choro, locupletabat variabatque rem musicam. Chorus autem in Tragœdia, aut Comœdia Vetere, dicebatur multitudo coævorum juvenum, aut minorum in sacris, vel scena, cantantium atque saltantium.

Fuit Vetus Comœdia Græcis Archæa dicta, quia esset de nobis parum cognitæ vitii: item etiam Eteonymos, quia inesset in ea

velut historica fides veræ narrationis, et nominatio omnium, de quibus scribatur. Sed, cum poëtae in Comædiis abuti licentius stylo, et passim lædere ex libidine cœpissent plures bonos, lege lata, ne quisquam in alterum infame carmen scriberet, tacerunt.

Satyra exinde sumsit exordium. Estque genus Fabulæ, quæ ex Satyris, quos illotos et petulantes Deos esse scimus, nomen sumsit. Fuit autem ejusmodi, ut in ea, quamvis duro et agresti joco, tamen vitia hominum, sine ullo proprii nominis titulo, carperentur, atque per scirpos, et ænigmata, magnæ res describerentur. Id vero genus Fabulæ multis obfuit poëtis, cum in suspicionem potentibus civibus venissent, quod illorum facta descripsissent in pejus, ac deformassent Fabulæ genus stylo carminis.

Post exoletam Satyram inventum est a poëtis aliud Fabulæ genus, quæ Comædia Nova dicta est. Ea erat Fabula, continens imaginem civilium ac privatarum rerum: qua discebatur, quid esset in vita utile, quid evitandum. Unde ait Cicero, 'Comædiam esse imitationem vitæ, speculum consuetudinis, imaginem veritatis.'

Nomen habet Comædia, vel a Como, Deo comessionis, vel ab eo quod primum Athenienses per vicus adhuc dispersi ex omnibus locis læti alacresque conveniebant: ibique rudibus et incultis versibus potentiorum, aliorumque item hominum vitia nominatim perstringebant. Nomen autem compositum, ἀπὸ τοῦ κωμάζειν καὶ ᾄδειν. In summa, Comædia est poëma sub imitatione vitæ ac similitudine compositum, in gestu et pronuntiatione consistens. In ea mediocres fortunæ hominum, parvi impetus, pericula quotidiana, turbulenta principia, lætique fuerunt exitus, et ficta argumenta. Caruit quoque choro nova Comædia, contra quam Vetus, paulatimque personarum numero in quinque Actus processit: quod tunc cum ad cantores ab actoribus transibat Fabula, consurgeret et abiret populus. In ea etiam personarum ornatus alius inventus est, pallia, socci, et id genus cetera.

Post Novam Comædiam Latini multa Fabularum genera protulerunt, quæ tamen Comædiæ dicebantur. Togatas vocabant a scenicis indumentis, quæ Romanam togam præ se ferebant, et ab argumentis Latinis; Prætextatas a dignitate et vestitu personarum, et Latina historia: Atellanas ab Atella, Oscorum civitate, ubi inventæ dicuntur: eæ salibus conspersæ crant, ac jocis con-

positæ, in se non habentes nisi venustam elegantiam : quales sunt Plautinæ : Rhyntonicæ Comœdiæ dictæ ab Auctoris nomine : Tabernariæ, ab humilitate argumenti et styli : Palliatæ ab habitu et argumento Græco. Mimi, ab inverecunda imitatione vilium rerum et levium personarum. Planipedia quoque Comœdia dicta, ob humilitatem argumenti, ac vilitatem actorum, qui non cothurno, aut socco utebantur in scena, aut pulpito, sed plano pede : vel ideo, quod non ea negotia contineat, quæ personarum in turribus, aut in cœnaculis habitantium sunt, sed in plano et humili loco.

Omnium autem Comœdiarum scripta, quæ Dramata Græci vocabant, ex quatuor rebus omnino sumuntur : nomine, loco, facto, eventu. Namine, ut Phormio, Hecyra, Gurgulio, Epidicus. Loco, ut Andria, Leucadia, Brundusina. Facto, ut Eunuchus, Asinaria, Captivi. Eventu, ut Commorientes, Adelphi, Heautontimorumenos. Dividitur Nova Comœdia in quatuor partes : prologum, protasin, epitasin, catastrophem.

Prologus est veluti præfatio quædam Fabulæ, in qua vel poëta excusatur, vel fabula commendatur.

Protasis est primus actus Fabulæ, in quo pars argumenti explicatur, pars reticetur, ad populi expectationem tenendam.

Epitasis incrementum est, processusque turbarum, et involutio argumenti, cujus elegantia connectitur.

Catastrophe est explicatio Fabulæ, per quam eventus ejus explicatur atque approbatur.

DE LUDORUM ANTIQUORUM GENERIBUS.

Verum, ut omnis Comœdiarum ratio facilius intelligatur, atque adeo ea, quæ omnem Comœdiarum actionem spectant, attendendum est primum, quando fierent, quo loco, et qua forma. Hoc autem tum demum lector intelliget, cum pernoverit, quid fuerint apud antiquos, Ludi, Theatra, Actus, Scenæ, et hujusmodi cetera.

Vetus itaque Comœdia, item etiam Tragœdia, primum agi solebat a Græcis, in vicis et pratis mollibus, ascriptis et propositis præmiis, quibus ad scribendum poëtarum provocarentur ingenia : actoribus quoque munera offerebantur, caperque dono dabatur, ut libentius jucundo vocis flexu ad dulcedinum commentationes populum allicerent.

Agebantur Comœdiæ et Tragœdiæ apud vetustissimos in honorem Liberi patris. In Italia primum actæ sunt Compitalitiis Ludis

Delph. et Var. Clas.

Terent.

E

eris, admisto pronuntiationis modulo, quo, dum actus commutabantur, populus detineretur. Compitalitii autem Ludi dicti, qui per compita fiebant; scenæque ductiles in plaustis ob id antiquis excogitatæ. Postea vero factum, ut Ludis publicis et in Theatro agerentur Novæ Comœdiæ apud Romanos.

Ludos vocabant publica spectacula, quæ tum in gratiam populi fieri solerent a senatu, et a principibus institui, vel ad favorem populi conciliandum (ut nonnullos Cæsares fecisse legimus), vel ad animorum relaxationem et oblectationem. Multo magis ad religionem instituti sunt Ludi. Nam Diis post sacrificia etiam Ludos publicos consecrabant.

Ludi igitur, et Ludicra, quæ etiam Certamina vocarunt Latini, Græci Agonas, multorum generum fuerunt: neque vero uno tantum spectaculo in publicis Ludis detinebatur populus. Erant autem Ludi Gymnici et Athletici: Ludi Circenses: Ludi Gladiatorii: et Ludi Scenici; de quibus nunc singulatim est paucis disserendum, partim ex Budæo, nostræ Galliæ lumine, partim ex Vitruvio, Luciano, et aliis antiquis auctoribus.

Gymnici et Athletici Ludi in palæstris ac gymnasiis fiebant apud Græcos, quæ loca fuerunt exercendis et corporis et animi viribus accommodata. Nam etiam in iis palæstris aut gymnasiis exedræ fuerunt, in quibus philosophi Græci sedentes disputabant. Sed et palæstræ appellatio omnem athleticam artem et exercitationem complectitur, decentiamque: qua status, motus, flexusque corporis, ac omnes omnino habitus venustatem quandam leporemque præ se ferunt: quam qui non didicerant, ii apalæstoi ab antiquis dicti sunt. Eam vero artem qui exercebant, aut qui in palæstra exercebantur, vel decertabant præmiis, palæstritæ vel palæstrici dicti sunt: Gymnicos Græci etiam vocarunt, quod nudi athletæ exercebantur. Ceterum in palæstra gymnasii (inquit Plautus) cursu, luctando, hasta, disco, pugilatu, saliendo se exercebant athletæ. Hujusmodi Ludi in Campo Martio apud Romanos fieri solebant.

Qui currebant in Ludis Gymnicis, hoc est, cursu corpora exercebant, vel eo decertabant, Græcis dromi appellantur, hoc est, cursores. Quorum alii stadiodromi dicebantur, qui stadium percurrerant: alii diaulodromi, a circumactu curriculi, id est, duplo curriculo, quod diaulon vocabant: nam ii cursores, cum ad metam pervenerant, flectentes, eo rursus recurrebant, unde cursum inierant. Erant et dolichodromi, qui sexies stadium curriculo obibant: nam dolichos longissimus cursus dicebatur.

Lucta, Græcis pale, vel in cæno, vel arena, vel pulvere fiebat; unde luctatores in Ludis Gymnicis, aut palæstra, Græcis palæstæ appellati. Ii luctaturi, ceromate, id est, oleo cerato perfundebantur: unde, qui eos ungebant, ceromatistæ dicti. Pulvere quoque post unctionem inspergebantur, ut corpora ceromate et sudore lubrica mutuas luctantium prehensiones admitterent: unde natum proverbium, ‘citra pulveris tactum,’ de iis, qui facile aliquid assecuti sunt, et citra sudorem, quod et citra pulverem dici potest. Eum pulverem Græci aphen dicebant. Inter luctatores quidam summis inter se manibus depugnabant, nullo complexu hærentes: eos acrochiristas vocabant Græci. Alii vicissim feriebant arrectaria concertatione, hoc est, arrecti, et pulvere obsiti, alter alterum impetebant procurso calcitratuque: calcibus enim, cubitis, unguibus, non modo pugnis utebantur, omnique impetendiprehendendique modo: pancratiastæ vocati, et pancration hujusmodi certaminis genus, ex eo quod advocatis omnibus corporis viribus, omniumque nervorum contentione transigeretur.

Qui disco se exercebant athletæ, discoboli Græcis, appellabantur, hoc est, discum in sublime jaculantes. Erat autem discus lapis rotundus ac pertusus, inquit Ammonius.

Pugilatus, quem Græci pygmen appellabant, cestibus exercebatur, quales a Virgilio, lib. v. describuntur: in eo qui exercebantur, pugiles Latinis, Græcis pycetæ dicti sunt: quod nomen ad gallinaceos pugnaces translatum est.

Saltationum in Ludis Gymnicis multa genera fuerunt, quemadmodum docet Lucianus. Erat enim saltatio pyrrhicha, a Pyrrho inventa, a qua pyrrhicharii et pyrrhichistæ dicti: quæ eadem saltatio enoplia, id est, armata dicebatur: quod armati saltarent. Erat saltatio Cordax obscœna, et comica: et alia saltatio satirica, quæ Sicinnis dicebatur. Fuit item emmelia saltatio, pacata et honesta. Qui vero saltus pernicitate contendebant in gymnasiis, haltici a Græcis dicebantur; qui autem halmate, id est, saltu certabant, apud antiquos utebantur halteribus: sic enim vocabant plumbeas pilas, massulasve, quibus utraque manu se librabant, ut certius assilirent. Chironomia quoque erat saltatio gesticulatrix, qualis est, quam Mauricam vocamus: unde chironomi hujusmodi gesticulatores dicti.

Circenses Ludi certamina erant curulia, quæ in circo fiebant: qui locus erat ovata specie constructus, undecumque spectaculis

ornatus : e quibus innoxie patres equitesque Romani prospectare solebant : cujusmodi quendam Flaminius Romæ construxit : unde circum Flaminium legimus, et circum Maximum, a Cæsare dictatore exstructum, cujus vestigia adhuc hodie visuntur Romæ, juxta ædem D. Sebastiano sacram. Fuit autem longitudine stadiorum trium, latitudine unius, cum ædificiis jugerum quaternum ad sedem ducentorum sexaginta millium hominum. Erant in eo metæ depositæ, duarum aut trium pyramidum formam referentes. In ejus summitate carceres erant, e quibus equi curribus juncti ad cursum emittebantur, et, cum ad summum devenissent, revolvebantur, donec ad priorem metam pervenirent. A curribus, hoc est, bigis, trigis, et quadrigis, Curules Ludi dicti. Unde etiam dictos puto ædiles curules, quod iis administrandis essent præfecti : erant enim omnium præstantissimi Ludi. Nam in iis se exercebat, et magnis præmiis contendebat nobilissima Romanorum juvenus, aptiorque ad bellum reddebatur. Fiebant primum apud antiquos inter enses et flumina, ut ab utraque parte esset ignaviæ præsens periculum.

Agitatores dicti sunt aurigæ in Curuli Certamine et Ludis Circensibus, quorum factiones erant a tunicarum coloribus : ut alii dicerentur Russati, Albati, Prasini, Veneti ; atque ita insistentes curribus juvenes, velocitate equorum, aut agitatorum arte trahebantur.

Erant et desultores, qui duos equos absque ephippiis agitates, ex altero in alterum subinde mira pernicitate desiliebant : amphippos Græci vocant. Hinc desultoria levitas in proverbium abiit : et equi desultorii dicti, ad id certamen accommodati.

Celetes et celetizontes, equites erant in Certamine Curuli non bigis aut quadrigis utentes, sed equo uno insidentes : cujusmodi certamen hodie quoque nonnullis in locis celebratur.

Ludi gladiatorii plerumque post Scenicos fiebant. In iis decertabant gladiis, populumque celeri agitatione gladiatorum oblectabant. Gladiatorum autem genera, Retiarii, Secutores, Mirmillones, Hoplomachi, Thraces : quorum exempla apud auctores crebra sunt. Horum institutores ac magistri lanistæ vocabantur. Non enim ignari gladiatoris artis prodibant in publicum spectaculum, ad præmia consequenda. Itaque apud lanistas prius exercebantur in umbratilibus pugnis, quas sciamachias Græci vocarunt : quod hujusmodi pugnæ simulacra sub tecto fieri solita erant,

non ut vera pugna, in sole et pulvere. Hujusmodi lanistæ sunt apud nos, qui gladiandi artem privatim profitentur; qui docent omnes numeros impetendi, cedendique, vulnera inferendi, vitandique, aut ubi punctum cæsimve feriendum. Ludi vero Scenici, qui et Agones Musici et Dionysiaci dicebantur, quasi Libero patri dicati, ad Comædiarum, Tragædiarum, aut Satirarum recitationem pertinebant: item ad cantus et poëmata: scena ob id in theatro composita atque exstructa ea ratione, quam mox describemus. Qui se in his Ludis exercebant, scenici etiam dicebantur, et Dionysiaci artifices. Ludorum aut Certaminum Diis consecratorum quatuor erant apud Græcos genera. Erant enim Nemea, Isthmia, Pythia, et Olympia: quæ omnium erant maxima spectacula. In his Ludis proponebantur victoribus magna præmia, quæ qui custodiebant, Ludisque præerant, *βραβεύται* Græcis, Latinis designatores appellabantur, quorum officium erat, multitudinem retinere, obambulare, et spectatores moderari virgarum tericulo. Unde mastigonomi et rhabducki etiam dicti, quod virgas gestarent, ut in officio continerent spectatores. Musicis quoque agonibus erant critæ, id est, iudices, a quibus critici, id est, poëmatarum iudices dicti sunt. Ludorum, qui Diis consecrabantur, apud Romanos quatuor erant species. Eos Ludos ædiles curules munere publico quotannis curabant. Megalenses, sive Magni Ludi dicti, quod magnis Diis consecrati essent: quibus Ludis quatuor actæ sunt Terentii Comædiæ: *Andria*, *Eunuchus*, *Heautontimorumenos*, *Hecyra*. Funebres, aut Funerales Ludi, ad retinendum populum instituti sunt, dum pompa funeris, decreta in honorem patricii viri, plene ac publice instruebatur. His Ludis acta est Comædia Terentii *Adelphi*. Plebei, sive Romani Ludi, pro salute plebis edebantur: quibus Ludis acta est *Phormio*. Apollinares Ludi, Apollini consecrati, aut in honorem Apollinis instituti.

DE THEATRIS ET AMPHITHEATRIS ANTIQUIS.

Quo melius et commodius spectarentur Comædiæ, Tragædiæ, aut Ludi, sive ii Gladiatorii, sive etiam Scenici, vel alterius generis essent, instituta sunt ab antiquis, quæ Theatra vocabantur, a comode videndo ac prospiciendo sic appellata. Nam ante Theatrorum usum, scenæ super plaustris ductilibus exstruebantur, ac per compita ductæ, populo præbebant oblectationem. Theatra autem erant ædificia, vel apparatus in populi gratiam instructi, ad hemi-

cycli speciem, ad spectandos ludos : spectacula Latine possumus dicere. Cum forum institutum fuerit, (inquit Vitruvius) tum Deorum immortalium diebus festis, ludorum spectationibus, eligendus est locus Theatro quam saluberrimus. Fuerunt autem Theatra duorum generum : alia lignea et pluribus tabellationibus exstructa, qualia Ludis publicis quotannis fiebant Romæ, atque ea perennia non fuerunt : alia sumtuosa et nobilia, ex solidis rebus, id est, ex structura cæmentorum, lapide aut marmore constituta, quale est quod construxit M. Scæurus in ædilitate sua, item etiam Pompeius, et alii permulti. Ita autem compositum fuit antiquis Theatrum, ut eo conveniens, et commode sedens turba, e longinquo facile spectare posset, concavo æqualique parietum circumjectu, ut vel leni sono dicta verba ad alterum Theatri caput facilius ferrentur. Postea vero excogitatum est Theatrum in rotundam formam exstructum, alio multo excellentius atque capacius, magisque sumtuosum : quod quia veluti ex duobus constaret Theatris, rotundamque figuram, non jam amplius hemicyclum referret, ob id Amphitheatrum dictum est, quale est, quod hodie Romæ videtur, aliquando ab Antonino Pio ædificatum, et a Gothis devastatum, (Collisæum vulgus vocat,) quod potissimum ad alia spectacula vulgo proponenda factum atque inventum fuit : nam ad Scenicos Ludos prospiciendos, magis idoneum erat Theatrum : ob quos præcipue inventum fuisse credibile est. Unde facile conjecerim, Terentium, quo tempore primum proposuit suam Hecyram, egisse in Amphitheatro : scena per medium ipsius exstructa, et ad unum tantum hemicyclum spectante : nam ab utroque Amphitheatri semicirculo spectari non poterant Comædiæ : quo factum, ut, dum in aliud latus vacuum, alia spectacula confestim proponerentur, veluti pugiles, funambuli, et hujusmodi cetera ; populus ante absolutam Comædiam illuc concurrerit, ad loca commodiora occupanda, quemadmodum ipse Poëta conqueritur, neque propter strepitum, et mulierum de loco pugnantium clamorem, absolvi potuerit. Quod ne accideret in publicis Ludis, existimo potissimum movisse Caium Curionem, qui bello civili in Cæsarianis partibus obiit, ut Theatra duo lignea, eaque amplissima excogitaret, in quibus etiam duæ essent scenæ, propter spectatorum commoditatem. Erant autem (quod mirum fuit) cardinum singulorum versatili suspensa libramento, inquit Plinius, e quibus utrisque antemeridiano Ludorum spectaculo edito inter se aversis (ne invicem obstreperent scenæ)

et repente circumactis, ut contra starent; postremo jam die descendentibus tabulis, et omnibus inter se coëuntibus, faciebat Amphitheatrum, et gladiatorum spectacula edebat, ipsum magis auctoratum populum Romanum circumferens. Itaque vides, quemadmodum Scenici Ludi, dum agerentur, aversis Theatris agebantur, ne turba fieret: dum autem proponebantur, aut producebantur gladiatores, in Amphitheatri reducebantur formam, et in unum duo Theatra coibant. Sed et novissimo die (ait idem) divisus duabus per medium scenis, athletas edidit Curio, raptisque repente e contrario pulpitis, eodem die, victores e gladiatoribus suis produxit. Vides quemadmodum pulpitem etiam auferebatur, dum gladiatores prodirent; nam ipsam aream occupabat: hoc autem factum fuit, fessis turbatisque volubilium Theatrorum cardinibus. Nam ante non erat opus eximere pulpitem, cum contra starent scenæ, et locum præberent circumactis Theatris in Amphitheatri formam, post Ludos Scenicos absolutos.

THEATRI CONFORMATIO, EJUSQUE PARTES.

Sed, quo tandem artificio, quave industria ædificatum fuerit apud antiquos Theatrum, prospiciendis Scenicis Ludis idoneum, paucis hic vobis proponere libet, ne quid earum rerum prætermisisside videamur, quæ ad hunc sermonem pertinere judicentur. Quod tamen non ita accipiendum erit, quasi ad unguem expressum, sed partim conjectura et ratione natum, partim ex iis descriptum, quæ tum in antiquis ruinis aliquando vidimus, tum etiam ex auctoribus, qui de hac re scripserunt, comprehendimus. Itaque primum intelligendum est (quemadmodum paulo ante docebamus) Theatrum fuisse in semicirculi figuram compositum, atque ita conformatum, ut æque gestus prospicerent, ac voces audirent (sine tumultu tamen), qui ad latera et in summis sederent gradibus, atque ii, qui in imis juxta scenam. Caveam vocare videtur Plinius locum in Theatro, gradibus ac sedibus constructum atque compositum, in quo sederet populus. Cavea ipsa (inquit de Theatro Scauri) cepit hominum octoginta millia: cum Pompeii theatri, (sic enim legendum est: nam nunquam Pompeius Amphitheatrum edidit,) toties multiplicata Urbe, tantoque majore populo, sufficiat large quadraginta millia sedere. Nisi mavis caveam accipere pro tota Theatri capacitate, ut etiam scenam ipsam comprehendas; quod tamen

minus probaverim. Gradus autem dicebantur in ipsa leniter pendente Theatri forma, sedes lapideæ, in hemicyclum etiam extructæ, e quibus commode prospiciebat populus. Super his gradibus (quos non amplius quindecim esse coniecimus) sedebant spectatores, et ad eos undecumque commeabant, nullo inter conscendendum alteri noxam afferente. Illuc autem per cuneos accedebant, qui tum in ima Theatri cavea, tum etiam supra ipsam, adeo ingeniose conformati erant, ut ab iis per alios scalares gradus ad quemlibet gradum spectatorium facilis pateret ascensus. Cunei spectaculorum (inquit Vitruvius) in Theatro ita dividantur, uti anguli trigonorum, qui currunt circum curvaturam circinationis, dirigant ascensus, scalasque inter cuneos ad primam præinceptionem. Supra autem alternis itineribus superiores cunei medii dirigantur. Cunei, in imo dirigentes scalaria, erant numero septem. Gradus spectaculorum, uti subsellia composita, erant non minus alti palmo pede, non plus pede et digitis sex, latitudines eorum non plus pedes duos semis, non minus pedes duos constituebantur, ut per id spatium latius, seu per ambulacrum quoddam, nullo negotio, huc atque illuc, ad vacuas sedes decurreret populus, absque eorum incommodo, qui jam consedisent. Post tres quoque singulos gradus, qui quartus in ordinem succedebat, duplo latior erat ceteris, ad leviores Theatri proclivitatem, et ut singulis ordinibus singuli tres gradus relinquerentur. Ac, ne petulanti aut insolenti populo, propter sedes quantumvis accessu faciles, præberetur rixæ causa, cautum erat ne quilibet in quibuslibet sederent gradibus: sed in tribus primis, qui proximi essent scenæ pulpito, amplissimæ et extremæ dignitatis viri, in sequentibus consulares, in aliis patricii, ac deinceps plebei in reliquis gradibus sederent. Itaque veteres architecti, naturæ vestigia persecuti, indagationibus vocis scandentes theatrorum perfecerunt gradationes, et quæsierunt (inquit Vitruvius) per canonicam mathematicorum, et musicam rationem, ut, quæcumque vox in scena esset, elarior et suavior ad spectatorum perveniret aures; ac, ne vox impediret, ita compositi erant gradus, ut linea, cum ad imum gradum et ad summum extenta esset, omnia cacumina graduum angulosque tangeret. Atque, ut vox actorum suavior et delicatior spectatoribus videretur, antiqui Græcorum artifices inter sedes theatri Cellas constituerunt ratione musica, in quibus vasa ænea, pro ratione magnitudinis Theatri facta, collocabantur; quæ ita fabricata erant, ut, cum

tangerentur a voce, sonitum facerent inter se. Eoque artificio collocata fuerunt, ut nullum parietem tangerent, circaque haberent locum vacuum, et summo capite spatium, ponebanturque et suspensa cernebantur ore declivi, ut in iis vox actorum ingressa harmoniam efficeret, et gratiam quandam afferret spectatoribus, utque intellectu facilior esset. Tale quiddam audio adhuc hodie extare in quibusdam templis antiquis, quæ nunc quoque supersunt integra, apud nostræ tempestatis Græcos. In quorum fornice inferiore atque superiore varia sunt foramina hinc inde conspersa, ac sibi veluti ex diametro ab uno ad aliud latus correspondentia, in quibus vasa ænea impacta sunt, quorum os (quod angustius est, quam ipse venter) tantum exterius patet, non etiam prominet. In ea vasa, vox in templo canentium inclusa incredibilem efficit harmoniam, sonosque distinctissimos, et admodum gratos, atque aditus faciles. Sed in theatris vasa resupina suspendebantur. Tale quid autem Romæ factum fuisse suis temporibus negat Vitruvius, sed in Italiæ regionibus et in pluribus Græcorum civitatibus. Unde Lucius Mummius diruto Corinthiorum Theatro ejus ænea vasa Romam deportavit. Multi etiam architecti, qui in oppidis non magnis Theatra construxerunt, propter æris inopiam, fictilibus doliis ita sonantibus electis, hac ratiocinatione compositis, uti sunt. Quapropter Plinius ait, in Theatris vocem optime currere in doliis inanibus. In ligneis autem Theatris (ait Vitruvius), quæ Romæ passim fiebant, non erat vasis æneis opus, cum tabulationes haberent complures, quas sonare necesse erat. Aditus permulti et spatiosi dispositi erant circa Theatrum, nec conjuncti superiores inferioribus, sed ex omnibus locis perpetui et directi, sine inversuris: uti, cum populus dimittebatur e spectaculis, non comprimeretur, sed haberet ex omnibus locis exitus separatos sine impeditione. Reliquum Theatri artificium a gradu omnium superiore in altitudinem trium contignationum exporrectum erat, etiam in hemicyclum: atque ita exædificatum, ut porticus efficeret: undecumque patentes, et columnis hinc et inde ornatiores factas, in quas populus se reciperet, si quando propter imbres aut cœli tempestatem minus commodam, ludi interpellerentur. Eam Theatri partem Præcinctiones videtur appellare Vitruvius: Plinius, ‘parietem circumjectum.’ Sed inferiores et imi Theatri porticus duplices erant, mediaque spatia sub divo inter porticus viridibus adornabantur, quod (inquit Vitruvius) Hypæthræ ambulationes

habarent magnam salubritatem. Replebantur quoque, auctore Plinio, flore croci sylvestris, propter oculorum oblectationem, ut puto, magis quam ad odorem conciliandum. Quin etiam ne solis ardor aut etiam conspectus populum ab officio deturbaret, utque salubrius spectatores conspicerent, (nam porticus propter imbres tantum ædificatæ fuerunt,) excogitata sunt Vela toto Theatro, atque adeo ipsi Theatri cavæ supertensa, quæ spectatoribus umbram facerent: quod primus omnium invenit Q. Catulus, cum Capitolium dedicaret. Carbasina deinde vela primus in Theatro duxisse traditur Lentulus Spinther Apollinaribus Ludis: mox (ait Plinius) Cæsar Dictator totum forum Romanum intexit. Nero Cæsar velis, rudentibus superstratis, et colore cæli stellati Amphitheatrum contexit, ut solem defenderent. Ima Theatri sedes, vel potius id spatium quod ab ima sede Theatri interjacebat pulpito, Orchestra dicebatur, quasi saltatorium, quod illic, apud Græcos et apud Latinos antiquiores, saltantes histriones populo oblectationem afferrent, interea dum actus commutarentur. In eam etiam Thymelici, hoc est, Citharistæ, Citharædi, Tibicines suas præstabant actiones ipsis Græcis, atque id spatium comprehendebat apud antiquos, quod ceu centrum Theatri ab imo gradu ad pulpitum usque scenæ vacuum relinquebatur. In Theatrorum orchestris (inquit Plinius) scobe aut arena superjecta vox devoratur, et in rudi parietum circumjectu: quapropter existimo probe emundatum fuisse, si quando pugilum Ludis arena conspersa videretur. Novissime autem apud Romanos orchestra senatoribus dicata fuit, in qua honorificentiorum erant loca designata, propter commoditatem: ut inde, non solum verba et gestus, sed etiam pedum motiones, et vel minima quæque conspicerent: proximus enim hic gradus erat pulpito scenæ, de ejus compositione mox dicendum est.

POSITIO ET CONSTRUCTIO SCENÆ IN THEATRO.

Ante Theatrum, ceu frons quædam ipsius, Scena opposita fuit, pro re nata et agenda Comædia aut Tragœdia exstructa: uno aut altero tantum die usui futura: nisi fortasse ligneus apparatus in aliquot dies proferretur. Nam de scenis sumtuosis, et præter consuetudinem supra modum luxuriantibus, hic non intelligimus. In hunc autem modum disposita erat, quantum ego conjectura assequi possum. Scena binis pluribusque contignationibus aut

contabulationibus, si mavis, exstructa fuit: circa quas singula ambulacra, aut porticus columnis pluribus distinctæ videbantur. Atque ea frons scenæ appellata fuit. In cujuslibet contignationis frontispicio, quod Theatrum respiciebat, portæ ingeniosissime depictæ et exitus varii fuerunt, in quibus, præsertim superiorum contignationum, Mimi, Mirmillones, et ceteri Ludii varios gestus ac gesticulationes edebant, unde Scenici proprie dicti. Chorus etiam, mea sententia, in iis superioribus contignationibus referebatur, dum agerentur Tragœdiæ, nisi mavis, post scenam in loco destinato fuisse chorum, et cantores ac tibicines, qui locus Odeum, ut puto, ob id vocabatur a cantibus. Sed in iis quoque locis fiebant et nebularum icones, et Deorum descensus, et cetera id genus, ad magnas et sumtuosas Comœdias apta. Existimo tamen in humili Comœdia non fuisse tantum apparatus. Ima scenæ contignatio prominentiores exerebat columnas, veluti porticus quasdam latiores sub quibus casulæ et rustica domicilia in Novis Comœdiis, variis scenæ locis, constructa erant, urbes quoque, et loca remotissima referebantur in Tragœdiis: e quibus prodibant actores, et illuc quoque se referebant ad tempus. In eadem scenæ parte excitatum fuit, quod Podium appellabant, (etsi podium in columnis id significare soleat, quod vocant Pedaste,) circa secundæ porticus medium prominebat, ne noceret actoribus. Breve quoque fuit, et paucorum capax, idque fere videbatur referre, quod in ædificiis nobilioribus circa secundam præcipue contignationem prominere videmus ad fenestras, Perronem vulgus vocat, post pulpitem exertum videbatur. Opertum erat tentorio quodam insigni, et quod ipsum undecumque ambiret, ut in eo secretius et magis abdite spectarent Principes, qui nonnunquam illuc se conferebant. Nam e podio Ludos ac Comœdias spectasse Neronem scribit Tranquillus. Dictum aiunt, quod in eo spectatores aut etiam tibicines pedibus innixi essent, non sederent: vel quod in eo nonnunquam pedibus gesticularentur histriones in actuum commutatione. Pulpitem in scena, (Græci λόγιον vocabant,) locus erat in quem prodibant actores e casulis aut domunculis suis scenicis, ad recitandum: nostri vocant *Eschaffault*. Fuit exactissime situm ante frontem scenæ, et loco ipsius medio, qui Theatri centro responderet; semper ligneum fuit, atque exemtile, etiam si scena structili materia constructa fuisset. Eximebaturque in athletarum et gladiatorum spectaculis, scena nihilominus integra manente.

Paulo altius videbatur ima scenæ portionem, in qua actorum domos constitutas esse dicebamus: ad idem leniter ascendebant actores pronuntiaturi: haud æque longum fuit atque ipsa scena, altum tantum erat pedes quinque, ut, qui in orchestra sederent, facilius pedum motiones et singulos agentium gestus perciperent. Id spatium, quod utrinque a pulpito ad extremam scenam vacuum relinquebatur, Græci vocabant Proscenium, ne quis existimet fuisse scenæ latera. Periaeta vocarunt Græci in scenis suis turres, aut machinas, trigonas habentes, vel triangulares, miro artificio constructas, in uno atque altero scenæ latere positas, variis coloribus secundum angulos distinctas, versatiles: ut inter spectandum, dum animi ad histriones paulo attentiores essent, paulatim revolverentur, et modo rubræ, modo virides, aut alterius coloris apparent: quæ res non parvam oblectationem spectantibus afferebat. Hæ, cum fabularum mutationes erant futuræ, seu Deorum adventus cum tonitribus repentinis, versabantur, mutabantque speciem orationis in frontes. Ex iis projectitios ignes vibrabant, in iis fingeant tonitrua, pluvias, et quicquid in Tragœdia admiratione dignum fuit: sed hoc maxime in honorifico et sumtuoso Comœdiarum aut Tragœdiarum genere. Secundum *περίαικτα*, nempe ad scenæ latera, itinera et Versuræ procurrentes erant, quarum una efficiebat, ut actores a foro, altera, ut peregre prodire aut illuc regredi viderentur. In media scena Valvæ Regiæ conformatæ erant, circa quas utrimque fuerunt composita Hospitalia quæ vocat Vitruvius, e quibus actores prodire puto. Omnium scenarum, quas Romani in Theatro unquam construxerunt, longe nobilissima fuit ea, quam M. Scaurus in ædilitate sua construxit. Eam triplicem fuisse refert Plinius, altitudine 360. columnarum. Ima pars scenæ marmoreos habuit parietes, non facile dixerim sectos an solidis glebis politos. Media fuit e vitro, inaudito etiam postea genere luxuriæ. Summæ tabulis inauratis columnæ, imæ duodequadragesimum pedum. Signa cerea inter columnas fuerunt, tria millia numero. Sed et reliquus apparatus tantus Attalica veste, tabulis pictis, ceteroque choragio fuit, ut in Tusculanam villam reportatis quæ superfluebant quotidiani usus deliciis, incensa villa ab iratis servis concremaretur ad sestertium millies. Scenarum autem (ait Vitruvius) genera sunt tria, unum quod dicitur tragicum, atque id omnium sumtuosissimum fuit: alterum comicum: tertium satiricum. Horum autem ornatus sunt

inter se dissimiles, disparique ratione: tragicæ enim deformantur columnis, fastigiis, et signis, reliquisque regalibus rebus. Comicæ autem ædificiorum privatorum et menianorum habent speciem, prospectusque fenestris dispositos, ad imitationem communium ædificiorum. Satiricæ vero ornantur arboribus, speluncis, montibus, reliquisque agrestibus rebus, in topiarii operis speciem deformatis. Post scenam Porticus erant constructæ, quo cum imbres repentini Ludos interpellaverant, actores se recipiebant ex pulpito, aut in quibus vestium commutationes et personarum indumenta adservabantur. Ipsam autem personarum repræsentationem in scena, atque adeo compositionem Comœdiæ, Græci Drama vocant. Sed et scenam vocant Comici, quicquid duæ aut tres personæ sermonis integri et absoluti colloquuntur, illicque finit scena, ubi aut aliqua persona introgreditur, aut alia ad forum, aut alibi ad vicinam currit. Actus autem plures scenas comprehendebat. Estque in Comœdia pars quodammodo absoluta et integra, nondum tamen rem omnem finiens: sed ita dimidiatam relinquens, ut respirent spectatores, et facilius commutetur, quicquid in reliquis Comœdiæ partibus superest: id autem actus commutare dicebant. Interea mimi dieteria et diverbia referebant, recitabanturque nescio quæ jucunda, quæ populum alia oblectatione afficerent. In Comœdia vero plures erant hujusmodi actus, secundum rei gravitatem, aut rationem. Comœdiarum autem recitatio in scena Actio dicebatur: unde etiam qui agebant, et Fabulas pronuntiabant, Actores dicti. Actio quoque ad orationis pronuntiationem transfertur; ut etiam ipsa oratio rhetoris vel scripta vel pronuntiata actio dicatur.

SCENICORUM ACTORUM DIVERSITAS.

In scenam non solum Comœdiarum aut Tragœdiarum Actores (qui tragædi et comædi dicebantur) prodibant in spectaculum, sed etiam mimi, pantomimi, archimimi, ethologi, ethopœi: omnes uno nomine hypocritæ (id est, alienæ personæ simulatores) dicti: et eorum actio, hypocrisis, id est, alienæ personæ simulatio, Latinis histriones, ludionesque, aut etiam ludii dicuntur. Mimi imitatores sunt gestuum, vocum, aut gressuum alicujus personæ inter alias: cujus ridicula sit vox, aut aliud quidpiam. Pantomimi omnium personarum imitatores sunt effectoresque: ut et mulieres, et senes, et juvenes, ac cujuscumque ætatis personas confingant; etiam ita

ex gestibus describunt, ut id quod agunt videre videare. Hujusmodi sunt quos Itali *buffones* vulgo vocant. Archimimi principes sunt histrionum, hoc est, inter histriones solertissimi et excellentissimi. Ethologi mimi, aut ethopœi, morum sunt effictores, affectuumque cujuscumque personæ quam sustinent, aut quam agunt et referunt in scena, unde ethopœia, morum alienorum imitatio: et ethici pictores ac statuarii dicti, qui suas imagines ita depingunt, aut cœlant, ut sensibus expressis propemodum spirent. Thymelici inter scenicos actores sunt, hoc est, citharœdi, citharistæ, lyristæ, tibicines. Citharœdi, qui et fidicines dicuntur, citharæ accinebant. Citharistæ citharam tantum pulsabant, non autem accinebant. Hujusmodi thymelici per orchestram præstabant actiones suas. Ludii sive ludiones (ut jam dictum est) ii erant qui Comœdiam recitabant. In ea enim recitanda mirum fuit artificium. Nam cantica temperabantur modis, non a poëta, sed a perito artis musicæ factis: neque enim omnia iisdem modis in uno cantico agebantur, sed sæpe mutatis: ut significant, qui tres numeros in Comœdiis ponunt, qui tres continent modos canticum illius. Qui hujusmodi modos faciebant, nomen in principio Fabulæ et scriptoris et actoris superponebant. Hujusmodi adeo carmina ad tibias fiebant, ut his auditis multi ex populo ante discerent, quam Fabulam acturi scenici essent, quam omnino spectatoribus ipsis antecedens titulus pronuntiaretur. Agebatur autem Tibiis paribus, aut imparibus; et dextris, aut sinistris. Dextræ autem tibiæ sua gravitate seriam Comœdiæ dictionem pronuntiabant. Sinistræ et serranæ acuminis lenitate jocum in Comœdia ostendebant. Ubi autem dextra et sinistra acta Fabula inscribatur, mistim joci et gravitates denuntiabantur. Mimi aut Ludii, dum agebant, assumebant capiti personas, hoc est, confictas variarum personarum facies: vel reticulo denso facies obvelabant, ne agnoscerentur. Ita etiam instituti erant hujusmodi histriones, aut mimi, ut et corporis motus decentes facerent: denique etiam cantus ac prolationes secundum modos edocti erant, quæ mirum in modum populum afficiebant. Hi simul coacti in quoque genere, aut cantantes, aut saltantes appellabantur Chorus: divisi in duas partes, Semichoria. In actione autem Comœdiæ, eorum aliqui primas partes, alii secundas tenere dicebantur, pro variis actuum rationibus: eorum enim alii prologum dicebant, alii in nuntios, exploratores, custodes, servos, heroas, Deos, senes, ama-

tores, meretrices dividebantur, personasque in Orchestra assumebant, pro sua actione ac ludo.

APPARATUS SCENÆ IN VICIS ET THEATRIS.

Apparabatur scena apud antiquos Græcos in agris, verno tempore, cum ædificiis et habitationibus triplicibus, instructis culminibus, peripetasmatis, tapetibus, linteisque candidis. Additæ postea sonantes pelves, ignesque manibus excussi: cavernæ quoque subterraneæ ac putei confingebantur: figuris maris, Tartari, fulminum, tonitruum, noctis, cœli, diei, regiarum, prætoriorum, ingentes aulæ, fornices ad viarum similitudinem. Apud Romanos Aulæa in scena primum sternebantur, cum primum pictus ille ornatus ex Attalica regia Romam perlatus fuit, velabaturque ipsa scena Sipariis, quæ posterior ætas pro aulæis sumsit, ut etiam siparia humi sterneret. Erat præterea velum minutum quod populo ob-sistebat in scena, dum actus commutabantur. In vicis si fiebat scena, arboribus in se cubantibus ac reflexis componebatur; quasi concamerata quædam densatio, ut subterpositos tegere posset, unde ab inumbratione dicta. In Theatro autem (ut jam dictum est) fiebat scena, camerato contextu, binis pluribusque contignationibus exstructa. Picta erat undique, suas domunculas habuit, in quas pro ratione actuum alternatim se conferebant actores. Duas aras utriusque habebat: dextram Liberi patris; sinistram ejus Dei, in cujus honorem Ludi fiebant. Unde illud: Ex ara hinc sume verbenas. Atque is demum erat scenæ apparatus in Theatro.

DE HISTRIONIBUS ET MIMIS SCENICIS.

Omnis Tragædiarum ac Comædiarum gratia, et scenæ decus, in Histrionibus consistebat. Histriones enim et mimi in scena Comædias recensebant secundum suos modos et cantica. Nam cantica, ut paulo ante docebamus, temperabantur modis, non a poëta, sed a perito artis musicæ factis, mutabanturque modi in uno cantico. Fiebant hujusmodi carmina ad tibias: ut his auditis multi ex populi ante discerent, quam Fabulam acturi essent scenici. Unde illud est Ciceronis: 'Non intelligo,' inquit, 'quid metuat, cum tam bonos septenarios fundat ad tibiam.' Tibicines appellabantur qui hujusmodi cantica ad tibiam fundebant, ante-

quam ageretur Comœdia, vel inter ipsos actus. Unde illud Plauti: 'Tibicen vos interea hic delectabit.' Ludiones autem et histriones ad tibicinis modos saltabant, et nonnihil etiam diverbiorum pronuntiabant. Unde Livius: 'Ludiones ex Etruria acciti, ad tibicinis modos saltantes, aut indecoros motus more Thusco dabant.' Proprium enim ludiorum ac morionum erat motus decoros ac gestus omnino decentes ostendere. Tibicinum autem erat decorum, modos, hoc est, mensuras in cantu observare, remissosque, aut acutos, aut etiam graves facere pro arbitrio. In Tragœdia et Satira sexdecim numero interveniebant moriones et histriones; in Comœdia etiam quatuor et viginti. Qui simul coacti in quolibet horum genere, unamque rem agentes, ut jam dictum est, Chorus vocabantur; divisi in duas partes, Semichoria: ubi autem gestus et cantus absolverant suos, tum in partes plures dividebantur: ut alii essent qui senes, alii qui amatores, mulierculas, servos luderent, personisque ac vestium varietate induerentur, quemadmodum res exhibebat, ac moris erat apud eos.

AMICTUS ET PERSONÆ HISTRIONUM SCENICORUM.

Personati histriones agebant Comœdiam, neque agnoscebantur. Sed ita compositæ ac conflatae erant personæ, ut referrent id ipsum quod a mimo agebatur; liceretque sub ipsis vocem ejus audire liberam. Nam, quod nonnulli dicunt, histriones tantum gestibus Comœdiam egisse, non etiam viva prolatione, id minus mihi probandum esse videtur. Vestiebantur quoque histriones pro ratione eorum, quos referebant, hoc est, vel servorum, vel senum, vel alterius personæ diversis modis. Senibus comicis candidus Vestitus dabatur, qui etiam antiquissimus fuisse memoratur. Adolescentes discolori veste contegebantur. Servi comici amictu vestiebantur exiguo, paupertatis antiquæ gratia, vel quo expeditius agerent. Parasiti cum intortis palliis prodibant. Milites chlamyde purpurea utebantur. Puellæ habitus erat peregrinus. Leno pallio varii coloris vestiebatur. Meretricibus dabantur Syrmata, hoc est, vestes expansæ, et quæ longius trahebantur: erant quoque plerumque lutei coloris, ob avaritiam. Syrmata etiam, seu pulla gestabant luctuosa funeralibus, quæ incuriam sui per negligentiam significabant. Sed, si quando variandum in Comœdiis erat, vestitusque commutandus pro affectibus, quos ex Comœdiæ actibus

significabant, lætis vestitus dabatur candidus: ærumnosis obsoletus: diviti quoque purpureus: pauperi phœnicus. Tragicæ aut tragœdi actores Calceamentorum genere a Comœdis variabant, eoque discernebantur. Utebantur enim Tragicæ in Theatro Cothurnis, quod tale genus erat calceamenti, ut dextro lævoque pedi converiret: ceterum altum et prominens, actoresque proceriores efficiens ac referens: varii coloris, et honestum atque elegans: usque ad suram plerumque devinctum, more Punico. Comici actores, aut comœdi, in scenis Soccis utebantur: quod calceamenti genus optime sub pallio conveniebat. Quemadmodum enim pauperum ac rusticorum vestimentum fuit Pallium, ita etiam Soccus altum fuit calceamentum rusticis proprium, propter imbres et lutum, atque hybernas pruinas. Eo calceamenti genere utebantur tam viri quam mulieres. Quintilianus: 'Comœdia in cothurnos non assurgit: nec contra Tragœdia socco ingreditur.' Tragœdia enim, cum grave et magnum argumentum, magnasque et ingentes personas præ se ferret, cothurnis uti debuit. Comœdiam autem, cum esset humilis, et rusticos proponeret in scena, palliis et soccis commodius erat ornari. Quod præterea de his rebus dici posse quispiam judicabit, id in aliud tempus expectet necesse est: non enim hic omnia simul discutere nobis licuit, tum propter rei difficultatem, tum vero quia per negotia minus fuit commodum.

ANTONIUS GOVEANUS

DE LUDIS MEGALENSIBUS.

DE Ludis Megalensibus quia certi nihil apud Auctores reperiebam, non abs re putavi, quæ colligere ipse potui, in medium afferre. *Μεγαλησίους* Magnos dici a Græcis Deos auctor est Donatus: *Σιῶδες* enim *Æoles* Deos vocant: unde Sibyllas dici vult Aristo: quod Deorum mentes consiliaque perspiciant. Magnos vero Deos intelligo, quos majorum gentium Cicero vocat, qui a terris in cælum non pervenere: tales habebantur Jupiter, Neptunus, Minerva, Juno. At neque magnis omnibus Diis, sed tantum cœlestibus erant hi Ludi consecrati. Hos esse, quos Romanos interim vide-

Delph. et Var. Clas.

Terent.

F

mus appellatos, ex eo colligo, quod Asconius scribit, Romanos Ludos Magnos quoque appellari, quod Magnis Diis erant instituti: quos eosdem Circenses dictos putat. Unde illud Virgiliti, 'Magnis Circensibus actis.' Non esse eosdem Ludos Megalenses, et eos quos Megalesia dicimus, ex Ciceronis Oratione de Haruspicum responsis aperte colligimus, ubi Megalesia Megalensibus celebrari dicit. Verba sic habent: 'Nam quid ego de illis Ludis loquar, quos in Palatio nostri majores ante templum in ipso Matris Magnæ conspectu Megalensibus¹ fieri celebrarique voluerunt? qui sunt more institutisque maxime casti, solennes, religiosi; quibus Ludis primum ante populi consessum Senatui locum P. Africanus iterum Consul ille Major dedit; ut eos Ludos hæc lues impura pollueret: quo si quis liber aut spectandi aut etiam religionis causa accesserat, manus afferebantur: quo matrona nulla adiit, propter vim consessumque servorum. Ita Ludos eos, quorum religio tanta est, ut ex ultimis terris accersita in hac urbe consererit; qui et uni Ludi ne verbo quidem appellantur Latino, ut vocabulo ipso et appetita religio externa, et Matris Magnæ nomine suscepta declaratur; hos Ludos servi fecerunt, servi spectaverunt, tota denique hoc Ædili servorum Megalesia fuerunt.' Extrema hæc verba declarant illos Ludos, quos Megalensibus in Palatio in ipso Matris Magnæ conspectu fieri dicebat initio, esse Megalesia: nam et Livius scribit M. Junium Brutum ædem Magnæ Matri Deum in Palatio dedicasse, et Ludos, ob eam dedicationem factos, Megalesia appellasse. Megalenses porro Ludi, sive Romani, sive Magni, sive Circenses, sub regibus fuere instituti: fiebantque sub initium mensis Sep-

¹ Quod Antonius Goveanus a Megalensibus Megalesia distinguere, Megalenses autem eosdem cum Romanis facere voluit, æque in utroque falsus est. Ciceronis ex Oratione de Responsis Haruspicum locum citat Goveanus: et ex eo colligit, a Megalensibus alia esse Megalesia: quod Cicero Megalesia Megalensibus celebrari solita dicat. Deinde tradit Ludos Megalenses eosdem esse, qui Circenses, Romani, Magni nominantur. Quæ cum dicit, non animadvertit, in quam difficiles sese rerum absurdissimarum laqueos inducat. Non abu-

tar pluribus argumentis. Tota res uno verbo confici potest. Nam, si Ludi² Megalenses mittebantur pridie Id. April. ut ex Livio constat, Ludi autem Romani pridie Kalend. Sept. ut e priore actione in Verrem cognoscitur; quis est usque cohebes, qui non videat, ut iidem sint Megalenses et Romani nullo modo fieri posse? Ego vero, ne dicam dolo, vocem illam, *Megalensibus*, e Cicero- nis loco et expungendam puto, et e glossemate aliquo in ordinem Ciceronis verborum irrepsisse suspicor. *Mur.*

tembris: durabant autem non amplius dies novem. Cicero in actione prima in Verrem: 'Nonæ sunt hodie Sextiles; hora nona convenire cœpistis: hunc diem jam ne numerant quidem: decem dies sunt ante Ludos votivos, quos Cn. Pompeius facturus est: ii Ludi dies quindecim auferent: deinde Romani continuo consequentur: ita prope XL. diebus interpositis, tum denique se ad ea, quæ a nobis dicta erunt, responsuros esse arbitrantur.' Quorum dierum si quis rationem subducat, et sub initium Septembris cadere Ludos Romanos, et non amplius novem dies durasse deprehendet. De iis Ludis Romanis ita Cicero libro quinto in Verrem: 'Nunc sum designatus Ædilis; habeo rationem quid a populo Romano acceperim; mihi Ludos sanctissimos maxima cum cærimonia Cereri, Liberæ, Liberoque faciendos, mihi Floram Matrem populo plebique Romanæ Ludorum celebritate placandam, mihi Ludos antiquissimos, qui primi Romani sunt appellati, maxima cum dignitate ac religione Jovi, Junoni, Minervæque esse faciendos, mihi sacrarum ædium procurationem,' &c. Quo loco Megalenses Ludos non omisisset, quos Ædiles summa religione et dignitate faciebant, nisi iidem et Megalenses Ludi fuissent et Romani. Hac tamen tota de re asseveranter dictum nihil velim.

DANIELIS HEINSII,

AD HORATHII DE PLAUTO ET TERENCE JUDICIUM,

DISSERTATIO.

At nostri proavi Plautinos et numeros et
 Laudavere sales; nimium patienter utrumque,
 Ne dicam stulte, mirati: si modo ego et vos
 Scimus inurbanum lepido seponere dicto,
 Legitimumque sonum digitis callemus et aure.

DURUM equidem iudicium, et quod non nemo hac ætate de leporum omnium parente, summo Critico ac maximo Poëta excidisse nollet: cujus tamen vernæ melius de Plauto judicabant, quam qui nunc familiam in literis tueri hac ætate creduntur. Qui nec sæculi, quo vixit, et quo, cum Poësis, tum Latina lingua, ad supre-

num culmen ac fastigium evecta fuit, ignorare potuit iudicium; vir tantus, et, quod rei caput arbitror, principibus, qui inter se quotidie de iis iudicabant, intime familiaris ac amicus. Augusto autem, optimo ingeniorum iudici, tam gratus atque acceptus, ut non raro lepidissimus homuncio ab eo diceretur, et quem, si antiquitati habenda hic fides, etiam habere ab epistolis optavit. Qui cum contra tanti Terentii fecerit Fabellas, ut et integras ex iis *ρήσεις* descriperit, et ubique accommodet, soli denique artem tribuat; hominis *αὐθάδους* potius quam eruditi esset, ita dissentire a tanto viro, ut ne causam prius cognoscendam crederet. Quare videamus saltem, quid afferri pro utroque possit. Ne vel Flacci iudicium in posterum, ut solent, aut Terentium secure nimium damnare quidam pergant in Comœdia. Omnia autem pro Horatii iudicio, qui Plautum sic amamus ut e manibus rarissime putemus deponendum, dicentur potius quam nostro. Ac de numeris quidem nonnulla Donatus: qua etiam in parte haud parum Veteribus nonnullis placuit Terentius. Rufino quidem Grammatico, cum inquit:

Agnovit metrum, servatque Terentius artem:
 Nam prologos trimetro didicit componere versu,
 Scenarumque actus primos pede claudit eodem.

Quantquam certe Fabius non stetisse intra trimetros deplorat. De quo forte alias dicturi sumus. Ad alterum priusquam veniamus, quædam præmittenda erunt. Cum eædem Comœdiæ propemodum sint partes ac Tragœdiæ, finis quoque ex parte idem, ex parte diversus, multa esse utrique communia necesse est. Delectare enim ac docere est Comœdiæ: neque minus Comici *διδάσκαλοι* et *κωμωδιδάσκαλοι*, quam Tragici, a Græcis dicuntur. Nec movere risum sane constituit Comœdiam, sed plebis aucupium est et abusus. Nam ridiculum, ut recte Aristoteles, ‘vitium est et fœditas, doloris expers; quæ partem in homine aliquam corrumpit absque morbo.’ Sicut fœda et detorta facies, si nullo cum dolore hoc fiat, risum movet. Unde ipsum quoque risum omnes fere antiquissimi Philosophi indignum sapiente iudicaverunt. Adeo ut Plato, tanquam sacrilegum, traducere non dubitet Homerum, qui ridentes introduxit Deos: quod in homine non *τῆς κατὰ λόγον*, verum *τῆς κατ’ αἴσθησιν*, quemadmodum Philosophi loquuntur, *διαθέσεως* sit signum; a qua longe abest Deus: *αὐτὴ ἡ οὐσία λόγον, καὶ αὐτόν.* Unde Thespis:

Ὅρᾱς ὅτι Ζεὺς τῷδε πρωτεύει θεῶν,
 Οὐ ψεῦδος, οὐδὲ κόμπων, οὐ μωρὸν γέλωρ
 Ἄσκῶν, τὸ δ' ἡδὺ μῦθος οὐκ ἐπίσταται.

Quare divinitus ab Aristotele dictum est, partem turpitudinis esse, id quod est ridiculum. Diserte enim ait, ὅτι τὸ γελοῖον, μῶρων τοῦ αἰσχροῦ ἔστιν. Ita, quæ vel in verbis auctorum vel sensibus, vel in sermone hominum et factis, aut detorta sunt aut depravata, animos plebeios vehementer movent, et hoc ipso risum ut plurimum excutiant. Ideoque inusitata dicta et obscæna, optimorum cavillationes, singulorum contumelias, sententias perversas, ideoque inexpectatas, aliaque id genus (qualis imitatio dictorum vel factorum, et inprimis improborum) risum maxime in Comædia, quam Veterem dicebant, expressisse constat. Quod intelligunt, qui genium ridiculi intelligunt atque indolem. Cujus segetem largissimam vel unus Aristophanes suppeditat. Qui non modo Plautum, sed quoscumque hac in parte superavit, omnesque τοῦ γελοίου modos ac figuras lepidissime expressit. Denique ut acetum, nisi vinum sit corruptum, bonum nunquam erit; ita, quæ sincera sunt et vera, risum nunquam excitabunt. Apposite Quintilianus, ubi de Ridiculo: ‘Et hercule omnis salse dicendi ratio, in eo est, ut aliter quam est rectum verumque dicatur.’ Quare et compositus ad risum sermo, ab oratione recta, quam πολιτικὴν magistri vocant, quam longissime abeat necesse est, cujus propriæ virtutes, ἡ σαφήνεια, ἡ ἐπιείκεια, ἡ ἀφέλεια, ἡ ἀλήθεια, perspicuitas, æquitas, simplicitas, veritas, ponuntur. Qua in parte supra admirationem omnium Menander apud Græcos, Terentius Romanis fuerit necesse est: qui ut viris sapientibus ac eruditis voluptatem potius afferrent, quam quacumque ratione risum extorquerent, duplici jucunditate utilitatem (imitatione vitæ scilicet humanæ, et inimitabili lepore) condierunt. Metu enim Macedonicæ potentæ, licentia Antiquæ, ut observant Critici, defecit. Cujus locum occupavit Nova. Cujus et formam nondum penitus vidisse absolutam, sed jam concepisse animo, putatur Aristoteles. Ejus vero unicum propositum, humanos nosse atque imitari mores. Quo et D. Hieron. Epistola ad Furiam, de Viduitate Servanda, respicit, cum inquit: ‘Nec mirum, hoc figulum sensisse de vasculo, quod ipse fabricatus est, cum etiam Comicus, cujus finis est humanos mores nosse atque describere, dixerit: SINE CERERE ET LIBERO FRIGET VE-

NUS.' Omnis autem imitatio, ut postea dicemus pluribus, natura placet et delectat. Hoc enim proprium est hominis, ut recte Aristoteles, qui et *μιμητικώτατος τῶν ζῴων*, merito ab eo dicitur. Joci vero, si petantur undique, molesti ac frigidi, aut theatrales fiunt, si a vita sint alieni: qui ut plebi forte, ita doctis placere ac sapientibus non possunt. Constantis enim viri ac sapientis animus laxari vult, non solvi. Illam autem constitutionem, καὶ τὴν, ut cum Stoicis hic loquar, ἐν ταύτῳ τοῦ ἥθους μονήν, risus solvit. Quem præclare, τῆς περιχαρείας ὑπερέκχυσιν τῆς ψυχικῆς, antiqui vocant. Ideoque et Socratici, quorum libri penuarium leporum omnium fuerunt ac facetiarum, quod e Xenophonte et Platone etiam hoc tempore apparet, χαριεντίζεσθαι, non γελωτοποιεῖν, solent. Ac ne ipsi quidem Siculi, ad festivitatem nati, et qui primi omnium Comædiæ putantur inventores, alium illius finem, quam τὸ χρήσιμον, id est, utilitatem posuerunt. De Epicharmo Theocritus:

Πολλὰ γὰρ ποττὰν ζῶν τῶς παισὶν εἶπε χρήσιμα·
Μεγάλα χάρις αὐτῷ.

Id quia secus in Comædia Antiqua, statim defecit; in qua omnia, a veritate et consuetudine aliena, hoc est, vere γελοῖα, et ad risum erant comparata. Quis non ridet, cum exemplum vitæ, pater omnium virtutum, ipsa innocentia, probitas, ac virtus, Socrates rideatur? cum in corbe festivissime philosophatur? cum, quot pedes pulex saliat, subtiliter ac geometrice metitur? Pleraque enim falsa de sentiis opinionibusque veterum Philosophorum, et ad risum facta aut excogitata sunt, quæ præcipue hunc excitare solent. Ideo nec omnes Plauti, tantam materiem ridendi, quantam unaquævis ex Aristophanicis, suppeditat. Alteri enim omnia, alteri pauca per leges licebant. Ceterum, ut modo dicebamus, quicquid maxime ab agendi consuetudine aut dicendi alienum est, risum maxime movere solet. In sentiis, qualis illa Comici Nebulis,

Καὶ τοι πρότερον τὸν Δι' ἀληθῶς ᾤμην διὰ κοσκίνου οὐρεῖν.

In verbis, ut cum furacissimus servus κλεπτίστατος a domino vocatur, qui laudare taciturnitatem in eodem videtur:

Ἄλλ' οὐ σε κρύψω· τῶν ἐμῶν γὰρ οἰκετῶν
Πιστότατον ἠγοῦμαι σε καὶ κλεπτίστατον.

Quod ipsum aliquanto castigatius Nero extulit, qui de tali servo, 'Nulli apud se plus fidei habere,' dicebat: 'nihil enim ei neque

inclusum neque signatum esse.' Vox enim *κλεπτίστατος* tantum abest, ut sermoni convenire possit, ὥστε οὐδὲ αὐτοῦ τὴν διάλυσιν (dicerent subtiles harum rerum iudices) *πολιτικὴν εἶναι*, hoc est, ut ne quidem voce alia, quæ eam exprimat, consuetudini aut usui accommodari possit. Itaque corrumpit vocem, plane ut faciem, qui sic movere risum cogitat: qualia prope infinita Aristophanis. Exemplo sint diminutiva, quæ tam diligenter tertio Rhetoricorum in illius Babylonii Rex Criticorum Aristoteles notavit: *χρυσιδάριον, λαιδορημάτιον, ἱματιδάριον, καὶ νοσημάτιον*. Quod et in sermone ejus passim et in sensibus observes, quos non raro risus causa effert corruptissimos; sæpe tamen cum illudit aliis. Quare voces, phrases, sensus, etiam structuram, Novæ, ut imitari cuius tutum est, ita Antiquam si quis imitari velit, maximo delectu ac judicio est opus: quod si quisquam, recte Aristoteles notavit. Atque hæc causa, cur, ut multo perfectior utiliorque, ita minus ridicula, sit Nova, in qua omnes, ut jam absoluta, acquiescunt. Cum antiqui Comici, iis pariter quæ dicunt, et dicendi ratione, urbanitatem, quia nihil aliud spectarunt quam ridiculum, plerisque in locis, imprudenter excedant: ideoque et vitium plerumque, quod *βωμολοχίαν* dixit Aristoteles, incurrant. Qui vir magnus Ethicorum quarto, ubi de urbanitate agit, quæ in primis locum in his habet, eosdem et urbanos et honestos vocari ait: *εὐτραπέλους* enim, quasi *εὐτρόπους*, dici. Sicut autem de corporibus ex motu, ita ex urbanitate judicari de animo: utrum nempe honestus sit, an turpis. Qui de corporibus locus, cum obscurus nobis videretur, neque quicquam in recentibus scriptoribus, qui interpretati eum sunt, præsidii ad manum esset, ad Andronicum Rhodium, cujus Paraphrasin in illos libros plane admirandam, primi et edidimus, et in Latinum convertimus sermonem, ut sæpe alias, confugimus. Qui hoc modo: Ἡ δὲ μεσότης, εὐτραπελία, καὶ οἱ ἔχοντες, εὐτράπελοι, οἷον εὐτροποὶ καὶ γὰρ τοῦ ἡθους δοκοῦσι τοιαῦται κινήσεις, οὗτοι δὲ εἰσιν οἱ παίζοντες ἐμμελῶς, καὶ ὡς δεῖ, καὶ ὅτε. Ὅσπερ γὰρ αἱ κινήσεις τὰ σώματα χαρακτηρίζουσιν· οἷον πῦρ μὲν ἢ εἰς τὸ ἄνω κίνησις καὶ πᾶν κοῦφον· βαρὺ δὲ ἢ εἰς τὸ μέσον, καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων ὁμοίως· οὕτω καὶ ἀπὸ τῶν ἔξω καὶ φαινομένων τοῦ ἀνθρώπου κινήσεων, αἱ ἔξεις τῆς ψυχῆς φαίνονται καὶ τὰ ἡθῆ. Quod est ex interpretatione nostra: Medium vero, *εὐτραπελία*, id est, urbanitas, quique in eo excellent, *εὐτράπελοι*, quasi *εὐτροποὶ*, hoc est, bene morati, dicuntur. Etenim potissimum a moribus videntur esse hi motus. Hi autem

sunt, qui concinne, et quemadmodum, et cum oportet, jocantur. Sicut enim corpora distinguunt sui motus, ut, exempli gratia, ignem et quicquid leve est, motus qui in altum fertur, grave contra, motus qui ad medium, eodemque modo in aliis; ita ex iis qui extra sunt, et qui in oculos incurrunt hominum motibus, habitus quoque apparent animæ et mores.' Quia autem risus iis, ut plurimum, qui minus sunt honesti, quales homines plebeii sunt aut scurræ, gratus esse solet; hinc fit, inquit idem Aristoteles, ut, qui scurriles sunt, urbani etiam dicantur. Addit autem, quod spectare huc propius videtur: 'Discrimen vero ex Antiqua Comœdia apparet et Nova. Nam in illa id quod obscœnum, in hac autem, quod suspicionem tantum ejus movet, risum quoque exprimit; quæ non parum differunt ad venustatem.' Idem de cavillis quoque addit et conviciis. Quibus abstinuisse Plautum constat, cum obscœnitate nemini concedat. Hujus autem in utroque ex Aristotelis judicio discrimen videamus. Byrrhia apud Terentium Andria:

Ego illam vidi virginem: forma bona
 Memini videre: quo æquior sum Pamphilo,
 Si se illam in somnis, quam illum, amplecti maluit.

Vides in his, non obscœnitatem, sed suspicionem rei parum verecundæ, καὶ ὑπόνοιαν, quæ tam est honesta, ut a quavis virgine id, urbanitate salva, dici possit. Quid enim suavius, quam 'in somnis amplecti?' et quidem, si de viro et formosa conjugè dicatur! Non enim dicit βινεῖν, quod Aristophanes dixisset, nec quæ in re tali Plautus usurpare solet, qui nec honeste ea dicit, et obscœne circumloquitur. Nam qualia sunt ista Casina!

OL. Ubi locus sumtus porro est, continuo stricto gladio: atat!
 papæ! papæ! CL. Quid id papæ?

OL. Flagitium oh erat maximum: gladium ne haberet metui:
 id quærere ocepi.

Dum gladium ne habeat quæro, arripio capulum.

Nam cetera, in quibus plane loquitur, præsertim cum de Venere ἀρρήτω agit, ea vero ne commemorare quidem malo. Puto autem satis esse manifestum, etiam cum circumloquitur quæ parum sunt honesta, ne honeste quidem, et cum honestarum aurium fastidio, id fieri. Vides ergo passim Veteris imaginem, etiam, de quo mox paulo post, dicacitate ac maledicentia. Quæ Athenis partim leges,

partim metus, partim ipsa emendavit ratio : cum tamen sola risum felicissime moverent. Novæ autem rex princepsque Menander fuit : cujus expressa imago ac effigies Terentius. Quem cum uterque accepisset, Aristophanis virtutes hac mercede expressit Plautus, ut nec omnes posset, (quod et linguæ diversitas, et Romanorum leges, et tempora, ac Rerumpublicarum ratio vetabat, sublata jam maledicendi libertate, quæ præcipua, quod nemo nescit, τοῦ γελοίου pars est,) et quæcumque in Aristophane Plutarchus a communi consuetudine loquendi abhorrere notat, retineret. Nam et κατὰ τὸν λεκτικόν, ut Critici loquuntur, καὶ τὸν τῆς διανοίας τρόπον θυμικὸς est, et theatralis, non πολιτικὸς, neque τῇ κατὰ τὴν ἀλήθειαν ἰδέα διαπρέπει neque pauciora addidit, in quibus dum ridiculus videri vult, frigidus ac odiosus fit, quod non nostrum, sed Horatii iudicium est, et Donati; quos utrosque emunctæ naris, utrosque Criticorum primos suo tempore fuisse, constat. Sed et in dicteriis, de quo jam dicebamus, ita Veterem Comœdiam amavit Plautus, ut ad eam sæpe flectat, et quod proprium in illa erat, ἐτεωνύμως, et expresso nomine, aut circumscribendo, non tam vitam hominum, quam hominem perstringat. Ut in illo :

Etiam Epidicum, quam ego Fabulam æque ac me ipsum amo,
Nullam æque invitus specto, si eam agit Pellio.

Sed et crudelissime infelicem Nævium Milite excepit :

Nam os columnatum Poëtæ inesse audiui barbaro,
Cui bini custodes semper totis horis accubant.

Videtur audire κώδιον Κρατίνου, et quæ reliqua in Veteri Comœdia occurrunt, ὅση κόνις. Nam ad Aristophanis τὸ εὐθικτον frustra sane aspiravit. Quis enim risu non emoritur, cum vinositatem Cratini excepit Irene ?

Εἰ. Τί δὲ Κρατίνος ὁ σοφός ἐστιν ; Τρ. Ἀπέθανεν,
"Ὅθ' οἱ Λάκωνες ἐνέβαλον. Εἰ. Τί παθών ; Τρ. "Ὁ, τι ;
Ἰρακιάσας (οὐ γὰρ ἐξηέσχετο)
Ἰδὼν πίθον καταγνύμενον οἴνου πλέον.

Id est :

P. Sapiens autem Cratinus quid agit ? TR. Obiit,
Cum Lacones huc irruerent. P. Quo morbo ? TR. Quo ?
Misere pallere cœpit (ferre enim hoc non potuit)
Frangi cum videret vino plenum dolium.

Alter enim vitium Cratini ridet: alter Nævii miseriam. Ridiculum autem a miseria prudenter Aristoteles sejungit. Risus enim cum atroci alicujus malo aut calamitate si conjunctus sit, immanis fit ac barbarus. Illa autem plane extra Novæ legem Comœdiæ:

Qui perjurum convenire vult hominem, mitto in comitium;
 Qui mendacem et gloriosum, apud Cloacinæ sacrum.

Et quæ deinde sequuntur. Quod profecto est a pulpito ad plaus-trum redire. Legat cetera qui volet. Sed hæc, *ὡς ἐν προθεωρίας μέρει*, obiter sint dicta. Nunc, ingenii exercendi causa ac judicii ad singula eamus, et utrumque paulo quam plerique accuratius inspiciamus. Primum in Comœdia Tragœdiaque, est Dispositio. Neque dubitandum, quin, cum Aristoteles de Dispositione disputat Tragœdiæ, etiam Comœdiæ ex iis convenire pleraque existimaverit, nisi quod, ut Tragicus disponit, ita Comicus quoque invenit. Alter enim accipit ab aliis: alter ipse sibi dat quod disponendum est; nisi si ab alio desumat argumentum, certe apud Græcos. Nam Latini Fabulas Græcorum, Dispositione aliquantulum plerumque immutata et personis, expresserunt. Ut cum e Menandri Eunucho suam paucis immutatis Terentius expressit. Ea ratione, ut Davus Parmeno, Chrysis Thais, Chærestratus hic esset Phæ-dria. Plautus, in Tragico-comico Amphitryone, more Tragicorum Fabulam accepit et disposuit: sed et nomina retinuit ex parte, quod non solet in Comœdia: ex parte, fecit. Unde raro, invenisse argumentum Tragicus Poëta dicitur, (quod aut e relatione aliorum aut e scriptis, ut plerique ex Homero aut Cyclo Epico, petebant:) contra autem Comici. Aristoteles, *τὸ δὲ μῦθος ποιεῖν, Ἐπίχουρμος καὶ Φόρμος ἤρξαν.* Ita eam vocem, non ut quidam, hic accipio. *Μῦθος* enim, ut ubique fere Aristoteli, non drama est, sed ea actio, e qua drama constituitur, *ἢ πρῶξις, ἢ τῆς πραγματείας σύστασις*: quomodo et accipit, cum dixit, *μῦθος δ' ἐστὶν εἶς, οὐχ ὡσπερ τινὲς οἴονται, ἐὰν περὶ ἓνα ᾗ.* Et ipse *πολυμῦθος* eos vocat, qui vel varias, vel quæ tempore eodem, ab alio, non uno, et eodem gestæ sunt, conjungunt. Ideoque Fabulam eligere, et electam recte ac ordine disponere, ut prima virtus, ita primum maximumque opus est. In Amphitryone maneamus. Nam, ut argumentum hoc accepit, ita ipse ex animi sententia disposuit. Quare potuit, ut voluit, ligare Fabulam ac solvere. In ea igitur divina *δέσις*: mira enim ratione impeditur Fabula et intricatur actio. At trans-

itio, quæ non est Tragica sed Comica (*μετάβασις* vocavit Aristoteles), pars quæ opponitur τῇ δέσει (quam et λύσει seu solutionem vocant), ex sententia succedere non potuit. Quare, impeditus et oblitus sui, ire cogitur ad Deum; hoc est; ἀπὸ μηχανῆς finire: quod est ultimum refugium Poëtæ, cum τὴν δέσει hoc est, nodum, quem ligavit ipse, solvere non potest, et rem parum provide tractavit. Nam ceteræ, quæ ibi adhibentur machinæ, ad scenæ et choragii ornatum, καὶ τὴν ὄψιν, ut Philosophus de iis loqui solet, referuntur: quale est brontium, et ceraunoscopium, quorum altero ad tonitru, hoc ad fulmen exprimendum, in Amphitryone opus fuit. Finem vero, quæ a machina, lubentius in Tragico quam Comico excusat Aristoteles; quia argumento Tragicus astringitur, quod accipit. Quanquam ne huic quidem eam fecit gratiam, cum inquit: Φανερόν οὖν, ὅτι καὶ τὰς λύσεις τῶν μύθων ἐξ αὐτοῦ δεῖ τοῦ μύθου συμβαίνειν, καὶ μὴ, ὥσπερ ἐν τῇ Μηδείᾳ, ἀπὸ μηχανῆς, καὶ ἐν τῇ Ἰλιάδι τὰ περὶ τὸν ἀπόπλουον: id est: Manifestum ergo est, etiam exitum Fabulæ, e Fabula ipsa peti debere, non a machina, ut in Medea, aut quemadmodum in Iliade, in iis quæ circa reditum Græcorum fiunt. Medeam autem, non Euripideam, sed alterius intelligit Poëtæ. Idem et Horatius, e Pariano, credo, Neoptolemo, e quo pleraque præcepta sua in hoc scripto hausit, fugiendum monet:

Nec Deus intersit, nisi dignus vindice nodus
Inciderit.

Ubi nodus est ἡ δέσις, quæ interdum ope humana solvi non potest. Qui quidem, nisi præter Poëtæ voluntatem aut ex argumenti eveniat necessitate, non a Deo, quod cujusvis etiam imperitissimi est hominis, verum a Poëta solvi debet. Rursus, sicut pictor primo ambitum delineat, deinde singula absolvit, ita sapiens Poëta actionem suam circumscibit. Primum, ut sit tota: hoc est, ut principium, ut finem habeat, et medium: quæ in minimis quoque esse possunt. Minima autem sensum vix admittunt: magna nimium dispergunt. Sic formicam vix videmus: in conspectu elephantis visus vix colligitur. Quare Comædiæ Tragædiæque magnitudo, et periodus, ut cum Philosopho hoc dicam, e natura utriusque et ratione peti debent. Et, mutatione prima, hoc est, cum infelicitate ad felicitatem in Comædia, contra autem in Tragædia mutari potest actio; ita ut ex argumento nihil, quod ad rem spec-

tet, præmitti sit necesse. Summus Aristoteli ambitus unius Solis est: potest esse aliquot horarum. Qua in parte admirandus Sophocles Terentiusque. Plautus vero novem menses uno dramate complexus est. Ut vix major ampliorque Homericæ Iliados, quam Amphitryonis sit periodus. Alcumena autem concipit et parit. Quod si fieret ubique, nullo episodio jam opus esset: ideoque nec ars esset, scribere Comœdiam. Præterquam quod sit monstri instar, et cum ratione ac natura pugnet, ut quæ simul et concipiat et pariat. Qualia nonnulla in scriptore hoc summus Criticorum Cæsar Scaliger notavit. Atque hæc vitaverant Poëtæ Græci, quorum scripta hic tantopere commendat Flaccus: Technici Græcorum, quomodo vitanda essent ac cavenda, sæpe inculcarunt suis. Plautus susque deque habuit, ut in Captivis. Quam incuriam Poëta cum videret, continere se non potuit, quin exclamaret:

Vos exemplaria Græca
Nocturna versate manu, versate diurna:

contra negligentiam suorum et incuriam gravissime taxaret. Quidni enim, qui hoc tum agebat, quod ante eum Aristoteles? qui ubique Euripidem et alios in illis reprehendit: nam de Comicis quæ scripsit, hodie non extant. Porro simul ac Poëta Actionem habet, locum quoque ut actioni det, necesse est, quia sine loco fieri nil potest. Hic autem locus *σκηνή δράματος* a Criticis vocatur, cujus finem transilire nefas. Nemo enim tempore eodem, quod a Plauto recte dicitur, alibi atque alibi versari potest: nisi aliquid monstruosum fiat in Comœdia. Idem tamen, cum Curculionis scenam Epidauri posuisset, Romam transit in eadem, et in Romanorum mores, scenæ suæ jam oblitus, libere invehitur; et quidem, ut antiqui Comici, tributim, ita ut et singula describat loca, Act. iv. Scena 'Ædepol.' Jam *τὰ ἄλογα* in Fabulis quam multa? ita voco, quæ nihil verisimile habent. Tale est, Sosiclem Menæchmum, qui veniret e Sicilia, surreptum item qui in Illyria jam habitaret, habitu, eodem tempore, ita simili fuisse, ut dignosci a spectatoribus non possent; cum nil simile haberent istæ gentes. Quod vitium ne a chorago quidem emendari potest. Nam Mercurius Amphitryone et Jupiter Dii sunt: quibus omnia concedi, etiam hic, solent. Quare incurrere *τὸ ἄλογον* non possunt. Ubi enim Dii agunt, cessat ratio. Quidvis enim posse eos, nemo est

qui non intelligat. In Terentio, cui soli Artem Flaccus noster assignavit, nihil tale. Omnia cum iudicio, cum ratione, circumspice, ex arte, et cum cura. Nam et Fabulæ insignem fere cum agnitione mutationem habent: quas, inter τὰς μὴ ἀπλᾶς sive πεπλεγμένας, esse perfectissimas necesse est. Qualis et in reliqua ubique Dispositione est. Quod ad Dictionem autem, quis negabit, quædam esse in Plauto, quæ nec locum extra scenam, neque usum nisi inter histriones habent? unde solo et exiguo theatri ambitu circumscribuntur. Nam et ἀγωνιστικὸν in foro, neque minus γραφικὸν, sive usitatum in scribendo characterem, longe excedunt: quo ubique Nova, et jam emendata, respicit Comœdia. Quare Varro, cum sermonis laudem illi tribuit, idem quod ubique in scriptis, quanti faceret antiquitatem, profitetur: ut qui τὰ ἀπηρχαιωμένα, quæ in Plauto partim ævum quo hæc scripsit, partim, quæ plerisque placet, ipsa desita excusat antiquitas, commendat. Unde et ipse qui sic iudicavit, ut nimium antiquitatis in scribendo studiosus, neque satis ævi sui memor, Varro ab antiquis Criticis notatur. Qui cum sentiant sic, iudicentque, nobis, qui ab illis merito pendemus, equidem tacendum reor. Auctor de Causis Eloquentiæ Corruptæ: ‘Neminem nominabo; genus hominum signasse contentus: sed vobis utique versantur ante oculos, qui Lucilium pro Horatio, et Lucretium pro Virgilio legunt: quibus eloquentia tui Aufidii Bassi aut Servilii Noviani ex comparatione Sisennæ aut Varronis sordet.’ Quod ex vocibus antiquis patet, quas ex libris ejus Critici legerunt, cum non pauca alia ex scriptis ejus peti possint. Ideoque Cicero, qui de ætatis suæ et sermone et venustate maxima cum cura iudicabat, laudem hanc Terentio cecisisse merito pronuntiat. Sic enim ad Atticum: ‘Secutus sum, non dico Cæcilium; ‘Mane ut ex portu in Piræeum:’ malus enim Latinitatis auctor est: sed Terentium, cujus Fabellæ, propter elegantiam sermonis, putabantur a Lælio scribi:

Heri aliquot adolescentuli coimus in Piræeum.’

Et Servius proprietate ceteris præpositum hunc notat. Idem de sententiis, quas διανοίας vocant, iudicari potest. Omnes enim fere Plauti et θυμελικάι sunt, et ab usu alienæ, quales passim habet. Inprimis cum philosophatur καὶ γνωμοτυπῶ. Ut ecce:

Insanum est malum, in hospitium divorti ad Cupidinam.

Vere scenicum et illud :

Et postremo, nisi me auscultas, atque hoc, ut dico, facis,
Tute pone te latebis facile, ne inveniatur te honor.

Et quis illud extra scenam usurpare ausit ?

Benefacta benefactis aliis pertegito, ne perpluant.

Quare nunquam effugient quin sint inepti, qui hæc et alia id genus ad serium dicendi genus transferunt. Consequuntur enim, quod non vident, ut inviti risum moveant; quod non pauci hodie in scriptis maximo molimine a Lectore impetrant. Sequitur τὸ ἦθος, quod, ut docet Aristoteles, in oratione, uniuscujusque institutum indicat et voluntatem. Quod in singulis repræsentare, nisi viri aut prudentis aut Philosophi, nullius est. Nam quemadmodum e singulis experientia, ita nemo singulorum mores sine hac exprimit. Quare omnium accuratissime et optime, quid sit facere ut sit ἡθικὴ oratio, Philosophus ostendit. Quod vel solum tanti est, ut nihil minus nonnulli, qui ad Rhetoricarum suarum leges magnorum quoque et sublimium ingeniorum orationes exigere audent, hæc in parte videant: in qua, ad ipsius quoque antiquitatis stuporem, Afer iste regnat. Recte ergo Varro: 'In argumentis Cæcilius poscit palmam, in ethesin Terentius.' Significat enim, Cæcilium εὐρητικὸν, aut potius εὐνοικονόμητον fuisse: quemadmodum ἀνοικονόμητος nonnunquam præ reliquis videtur Plautus, cui sermonis idem assignavit laudem. Quod, si quicquam sapimus, Terentium est Plauto præferre. Ut cum eum, qui excellit in majori, magis quam qui in minori, dicimus excellere. Neque causa fuit alia, quare, quod observant Veteres, idem Varro, etiam Menandro, in quibusdam prætulit Terentium, exempli causa, Adelphorum initio. Neque immerito. Mirifice enim, cum alibi, tum ibi regnat τὸ ἦθος. Idem Varro, cum Tragædiæ, Comædiæ, ac Satiræ effingat formas, quid de nostro judicet, diserte expressit. Ubertatem enim tribuit Tragædiæ, quam dat Pacuvio: gracilitatem Satiræ, quam tribuit Lucilio: mediocritatem vero, Comædiæ, quam dat Terentio. Ut si quis uberrimo sermonis genere heroicum definiat Poëtam; et hoc tribuat Virgilio. Aulus Gellius lib. VII. cap. 13. 'Vera autem et propria hujusmodi formarum exempla, in lingua Latina, M. Varro esse dicit, ubertatis Pacuvium, gracilitatis Lucilium, mediocritatis Terentium.' Quæ est de Comædiæ, quemadmodum in

scholis loquimur, essentia. Cum Plautus sæpe Tragico, nonnunquam quoque serio, utatur. Quanquam ibi sane sermo, ut priore loco a Varrone accipitur. Sermo enim et τὸ ἦθος differunt, ut homo prudentissimus, et fœmina quæ pure loquitur; qualis dicitur Gracchorum mater. Unumquemque enim recte exprimere, et humanam optime delineare vitam, summus atque extremus viri atque auctoris maximi conatus est. Recte Grammatici ad Sophoclem: "Ἔστι δὲ τοῦτο μέγιστον ἐν ποιητικῇ, δηλοῦν ἦθος: 'Est autem illud maximum in Poëtice, exprimere ethos.' Debebat addidisse, in Dramatica præsertim. Et Horatius tam multis vitam Tragœdiæ τὸ ἦθος esse docuit. Aristoteles vero, etiam in Tragœdia, post Actionem, (quam Fabulam plerumque vocat,) quæ essentiæ pars prima, partem essentiæ secundam constituit τὸ ἦθος. Mirum est autem, locum Varronis a nemine intellectum. Qui cum palmam in argumentis Cæcilio concedit, principem Comœdiæ haud dubio Cæciliū constituit. Quare? Pars Tragœdiæ præcipua est Argumentum. Aristoteles modo μῦθον, modo τῶν πραγμάτων σύνθεσιν, vocare solet. Qui et multis probat, eum, qui hac parte excellit, etiamsi ceteris destituatur, Dramaticum Poëtam dici posse. Pars secunda est τὸ ἦθος, quod cum Terentio assignat Varro, locum illi proximum concedit. Quod non potest ignorare, qui antiquos Criticos, imprimis autem Aristotelem, cum cura legit ac intelligit. Sermonis enim laus, quam Plauto tribui ab eo volunt, tantum abest ut cum reliquis conferri possit, ut postremo loco, et post τὴν διάνοιαν, ponatur. Quare ex sententia Varronis, qui hic Aristotelem expressit, primus est Cæcilius, secundus est Terentius: quos deinde Plautus sequitur. Quod debebat cogitasse Siren ævi nostri Justus Lipsius: qui profecto locum summi Romanorum Critici non penetravit. Τὸ ἦθος autem Plauto Horatius adjudicat, cum inquit:

Aspice Plautus

Quo pacto partes tutetur amantis ephēbi.

Et videtur Charinum habuisse in animo, qui Mercatore τὸ μακρὸν καὶ τὸ ἐρωτικὸν confundit ἦθος, hoc est, ita amat, ut Menæchmus furit. Furere autem præ amore, Comœdiæ non ἦθος, sed Tragœdiæ est πάθος: ut ex Phædria aliisque patet. Quare? quia πάθος aliquod immane expectatur. Quod Tragœdiam constituit, ut μετάβασις conveniat furenti. Sed hæc triviales non intelligunt: qui summum Virum Aristotelem tam facile contemnunt, quam nos et judicia illorum et magistros merito contemnimus, quibus persua-

sum est, omnem veram eruditionem ex hoc uno fonte limpidissimo petendam. Charinus autem Plauti ad frigiditatem usque calet, quam non potuit vitare. Qualia sunt ista, Scena ‘ Divum atque hominum :’

Jam Cyprum veni, &c.

Item,

Porro proficiscor quæsitum. Nunc perveni Chalcidem.

Video ibi hospitem Zacyntho. Dico quid eo advenerim :

Rogito quis eam vexerit, quis habeat si ibi inaudiverit.

Hospes respondit, Zacyntho ficus fieri non malas.

Vides hominem tam tristem, ut festivus esse quærat. At divinus hac in parte, duos amatores in Eunuchō, suo more, Phædrīam et Chæream, divinitus utrumque, ἰθοποιεῖ. Quare cum Poëtæ omnes, quorum imitatione constat institutum ac consilium, pictorum instar, teste Criticorum Rege ac Principe, aut similes, aut (quod non raro evenit, vel imperite καὶ ἐξ ἀσθενείας, vel captandi risus causa) nunc pejores quam sunt exprimant, nunc meliores ; servos pejores Plautus, ut plurimum ; Terentius hos semper similes, non meliores ; meretrices vero partim similes partim meliores aliquando introducit : similes, ut Thaidem : meliores, ut Bacchidem. Parasitos semper deteriores et voraciores Plautus, nunquam meliores. Ut et Dossennus, qui hos solos propemodum curabat, in personis reliquis ἐκπίπτων. Phormio Terentianus plane est admirandus : ut et Gnatho. Plautini, quia risum quærent, veritatem et sermone et sententiis amittunt. Tres virtutes enim sermo, quem non sine causa Ἠθικὸν dixerunt Græci, nos Moratum dicimus, Æquitatem, nempe, Veritatem, et Simpliciter, postulat : quæ τὸ ἐνδιάθετον, hoc est, id quod unicuique est insitum, ob oculos proponit. Cum ridiculum, ut violentum, quia a natura alienum, quod recte de eo Aristoteles pronuntiat, corruptum sit, et a corruptis causis, quod jam dixi moveatur. Moratum, quia simile est naturæ, leniter delectat : quod ætatum singularum, hominum, ac nationum, totiusque vitæ, simulacrum quoddam ac imaginem, in scena repræsentat. Plane ut pictura quæ a vero abit, et vel cubitalem nasum, vel distortum os facete repræsentat, risum movet : similis delectat. Atque hoc est quod omnes tribuunt Menandro, quem Terentius expressit. Ut Hermogenes : Παρά τε αὐτῷ Μενάνδρῳ ἂν μυρία εὖροις τοιαῦτα καὶ γυναικῶν λεγούσας, καὶ νεανίσκους ἐρωήτας, καὶ μαγεύρους, καὶ παρθένους βρυπτομένους, καὶ τινὰς ἄλλους· ὅλως τε διὰ τὸ ὑποπίπτειν τῷ ἠθικῷ

λόγῳ καὶ τῶν ὁμοίων, ταῦτά γε πάντα, ἢ τάγε πλεῖστα αὐτῶν, ὑποκείσθαι τῇ ἀφελείᾳ δεῖ. Quemadmodum Hieronymus Menandrum et Terentium cum maximo iudicio conjungit. Ad Paulinum enim : ‘Poëtae æmulentur Homerum, Virgilium, Menandrum, Terentium.’ Audi orationem patris irati. Heaut. Act. v. Scena 4.

Non, si ex capite sis meo

Natus, itidem ut aiunt Minervam esse ex Jove, ea causa magis Patiar, Clitipho, flagitiis tuis me infamem fieri.

et quæ sequuntur. Audi mitis viri potius quam boni :

Ausulta, ne me obtundas de hac re sæpius.

Tuum filium dedisti adoptandum mihi.

Is meus est factus. Si quid peccat, Demea,

Mihi peccat : ego illi maxumam partem feram.

Obsonat? potat? olet unguenta? de meo.

Amat? dabitur a me argentum, dum erit commodum :

Ubi non erit, fortasse excludetur foras.

Fores effregit? restituentur. Discidit

Vestem? resarcietur. Est, Dis gratia,

Et unde hæc fiant, et adhuc non molesta sunt.

Et divina illa :

Credo hercle : nam ingenium novi tuum

Liberale. Sed vereor ne indiligens nimium sies.

In qua civitate tandem arbitrare te vivere?

Et quæ sine motu animi et suavissima voluptate legi non possunt Hecyra :

Odiola hæc est ætas adolescentulis :

E medio æquum excedere est. Postremo jam nos fabula

Sumus, Pamphile, senex atque anus.

et cetera : pluscula sunt enim. Quis, cum illa Phormione legit, non uxorem honestam adulteri agnoscit?

An quicquam hodie est factum indignius?

Qui mihi, ubi ad uxores ventum est, tum fiunt senes.

Hæccine erant itiones crebræ et mansiones diutinæ

Lemni? hæccine erat quæ nostros fructus minnebat calamitas?

Quid? ego æquo animo cupio misera in hac re defungier.

Sed quid sperem? ætate porro minus peccaturum putem?

Jam tum erat senex, senectus si verecundos facit.
 An mea forma atque ætas jam magis expetenda est, Demipho?
 Quid mihi nunc affers, quamobrem expectem, aut sperem,
 porro non fore?

Et, quandoquidem simplicitas, maxima moratæ orationis virtus,
 si intendatur, suavitatem parit; nemo sine incredibili ac summa
 voluptate illud Bacchidis leget:

Recte amasti, Pamphile,
 Uxorem tuam: nam nunquam ante hanc diem meis oculis
 eam, quod nossem, videram.
 Perliberalis visa est.

Ideoque Fabulæ Terentianæ doctiorem histrionem, quam reliquo-
 rum, desiderabant. Semper enim, quæ morata est oratio, τῇ
 ὑποκρίσει fulcienda. Nam quæ moribus affectibusque destituitur,
 teste Philosopho, est ἀνυπόκριτος. Neque ulla fere apud eum
 syllaba extat, quæ non animi aut affectus alicujus sit index. Jam
 ut ad lepores, sales, gratias, et venustates veniamus; certum est,
 fere omnes eas tolli a ridiculo, non secus quam in vita ab excessu
 morum virtus, ab excessu apparatus in scena tollitur voluptas.
 Quare Menandro ac Terentio lepores tribuunt antiqui, sales Plauto
 Horatius concedit: quos nonnunquam inurbanos esse notat.
 Audi Paterculum: ‘Dulcesque Latini leporis facetiæ per Cæci-
 lium, Terentiumque, et Afranium sub pari ætate floruerunt.’ Græci
 χάριτας et χαριεντισμοὺς vocant. Remissiores sunt enim, quam ut
 risum violenter moveant: circumspectiores, quam ut frigeant.
 Absurdum enim sæpe causa est risus, aut inusitatum. Contra
 autem sermo, qui et usitatus et moratus, quique leniter decorum
 servat, sicut eo ipso fit venustus et delectat; ita quidam eminere
 joci possunt. Qui quidem in hoc Afro, (nisi Lælio eos potius
 ac Scipioni tribuendos putes) et Menandro, si judicium Horatii et
 antiquorum sequimur, ex eodem sale, e quo nata Venus est, de-
 prompti videntur. Ecce statim Andria, Act. v. Scena 4.

Davo istuc dedam jam negoti. S. Non potest.

P. Qui? S. Quia habet aliud magis ex sese, et majus.

P. Quidnam? S. Vincetus est.

P. Pater, non recte vincetus est. S. Haud ita jussi.

Jam Guathonem vide: qui cum putidos Thrasonis mores Phæ-

driæ ac Chæreæ exposuisset, contra autem illi persuasisset, et jam gratias ineptus homo ac ridiculus haberet :

Bene fecisti: gratiam habeo maximam.

Nunquam etiam fui usquam, quin me omnes amarent plurimum.

respondet ad utrumque conversus :

Dixin' ego in hoc inesse vobis Atticam elegantiam ?

Certe tota Scena tertia tertii Actus in Adelphis, in qua luditur a Syro Demea, divina est. Qualia enim illa ?

Mihi quidem non placent,

Et clamo sæpe: Salsamenta hæc, Stephanio,

Fac macerentur pulchre.

Plane enim præter expectationem omnia. Jam cum Vetus Comœdia nihil æque ac *παρρηδία* amet, quæ plerumque et acerba est, et extra Scenam quæritur, urbanissimus virorum rationem, qua ex actione ipsa, parodiam, lepidam sane et venustam, peteret, invenit. Nam, cum Demea dixisset,

Fit sedulo,

Nihil prætermitto, consuefacio: denique,

Inspicere, tanquam in speculum, in vitas omnium

Jubeo: atque ex aliis sumere exemplum sibi.

Hoc facito.

et quæ sequuntur: respondet Syrus:

Conservis ad eundem istunc præcipio modum;

Hoc salsum 'st, hoc adustum 'st, hoc lautum 'st parum.

Illud recte: iterum, sic memento. Sedulo

Moneo, quæ possum, pro mea sapientia.

Postremo, tanquam in speculum, in pativas, Demea,

Inspicere jubeo: et moneo, quid facto usus sit.

Ita sane et Plato, et Xenophon, omnesque Socratici jocantur. Nunquam frigide, nunquam obscène, nunquam inepte, nunquam putide. Videamus jam Plantina quædam. Ac Plutarchus quidem illud tanquam frigidum ex Aristophanis Thesmophoriazosis de Euripidis matre adducit:

"Λγρια γὰρ ἡμᾶς, ὧ γυναικες, εἰρᾷ κακὰ,

"Ἄτ' ἐν ἀγρίοισι λαχάνοις αὐτὸς τραφεῖς.

Cui illud, quamvis non in simili omnino genere, adjungas licet :

Nam mulier olitori nunquam supplicat, si qua est mala :

Domus habet hortum et condimenta ad omnes mores maleficos.

Rhetores *θυμελικόν*, sive theatrale, vocarent. Ridiculum enim potius quam festivum est : et, ut sit festivum, nemo, vere in his subactus, dixerit venustum esse : ab usu enim quam longissime remotum est. Jam vero, cum in verbis frigidum aut in rebus ; de verbis Aristoteles, de rebus alii egerunt. Frigidum autem jam vocamus, non magniloquentiæ vicinum illud vitium (quanquam illud quoque habere hic locum potest) quod discedere ab urbanitate dicitur. Quod, ut non nihil a dicendi hic magistris abeamus, modis fit pluribus. Vel in frigida translatione. Ut cum dentes calceati dicuntur. Capt.

Cum calceatis dentibus veniam tamen.

Et cum victus, 'senteis esitare,' et 'scruposam viam commeare' dicitur : quæ sane frigent. Vel in minimis allusiunculis et longe petitis. Ut Pænulo :

MR. Assum apud te eccum. AG. At ego elixus sis volo.

Et quod illi placuit non semel :

Magis calleo quam aprugnum callum callet.

Item,

Callum aprugnum æque callere non sinam.

Et,

Quanta sumini absumedo, quanta callo calamitas!

Et Curcul.

Facite ventum ut gaudeam.

PH. Maxime. CV. Quid facitis? quæso. PH. Ventum.

CV. Nolo equidem mihi

Fieri ventulum. PH. Quid igitur vis? CV. Esse, ut ventum gaudeam.

Quas cum Grammatici Latini, qui citius cælum digito, ut ita loquar, expugnassent, quam ut minimam Horatii Oden expressissent, Morologias in Plauto dixerint; nondum video, quare Horatio, ut summo maximoque Poëtæ, ita Critico incomparabili, quem acutum doctumque Virum ipse D. Hieronymus ad Pammachium vocavit, idem non licuerit. Ejus sane generis sunt, quæ in Aristophane accusat, quæque trivialia potius, quam ut Viris

eruditus, etiam in scena placere aut debeant aut possint, accuratus censor Plutarchus iudicavit. Καὶ γὰρ ὁ μὲν ἀπαίδευτος καὶ ἰδιώτης οἷς ἐκεῖνος λέγει ἀλίσκεται· ὁ δὲ πεπαιδευμένος δυσχερανεῖ. λέγω δὲ τὰ ἀντίθετα, καὶ ὁμοιώπρωτα, καὶ παρονομασίας. τοῦτοις γὰρ ὁ μὲν μετὰ τοῦ προσήκοντος λόγου καὶ ὀλιγάκις χρῆται, ἐπιμελείας αὐτὰ ἕξιων· ὁ δὲ πολλάκις, καὶ οὐκ εὐκαίρως, καὶ ψυχρῶς. Et adducit exemplum: ut cum τοὺς ταμίας, λαμίας vocat. Nam, quæ ille de Menandro, ad Terentium fere omnia referri possunt; in quo nihil putidum est aut ineptum. Quanquam multa, quæ notavit, potius Antiqui Comici virtutes, quam illius, de quo ibi iudicavit, vitia censenda sunt. Princeps enim inter illos fuit, et ad leges eas plane se composuit: quod de Plauto nemo dicet. Est et frigidum, quod longe ab eo abest, quod aut esse aut posse fieri putatur. Quale est, ‘pugno frangere elephanto brachium,’ ‘horiola in cœlum pervenire.’ Est et frigidum, cum ita a familiari sermone oratio recedit, ut ad usum amplius transferri nequeat. Tale est illud ibidem:

Si ante lucem ire occipias a meo primo nomine,

Concubium sit noctis, priusquam ad postremum perveneris.

Crescit tamen frigidum, cum addit alter:

Opus face est et viatico ad tuum nomen, ut tu prædicas.

Quæ si pedem unum extra scenam feras, protinus putiscent: neque ad usum applicari poterunt. Qualia nec Scipio nec Lælius, flos nobilitatis, vel in scena, approbassent. Plutarchus certe, extra liberalium Theatra ac doctorum, libere relegat. Ridiculi enim ac inepti sunt, qui plebeiis tantum scribi Comœdiam existimant; cum non minus eruditus scribatur. Quod et Flaccus sciuit; qui non sine causa:

Creditur, ex medio quia res arcessit, habere

Sudoris minimum; sed habet Comœdia tanto

Plus oneris, quanto veniæ minus.

Deinde autem Plauti et Dossenni utitur exemplo, quos securos de iudiciis doctorum ait. Et hæc ad divinum, ut jam dixi, ac subactum in his Principem, cujus nec iudicium nec ceterorum ignorare ea tempestate potuit. Et, cujus iudicium vereri debuisset, nisi idem aliorum fuisset. Jam illa Epicharmi imitatio, ut festivissima, ita, si sit frequens, frigore non caret. Quæ fit, cum vel falsa op-

ponuntur, aut subjectum idem est cum prædicato. Ut cum Epicharmus dixit :

Τόκα μὲν ἐν τήροισ ἐγὼ ἦν, τόκα δὲ παρὰ τήροισ.

Tunc inter illos ego eram, tunc apud illos.

Bis enim idem dicit; quæ est fraus in verbis præter expectationem. Idem autem est cum prædicato subjectum : ut in illis Curcul. Act. v. Scena 4.

Quoi homini Dii sunt propitii, ei non esse iratos puto.

Sticho :

E malis multis, malum quod minimum est, id minimum est malum.

Captivis :

Hos quos videtis stare captivos duos,

Hi stant, non sedent.

Quæ jam docti collegerunt. Unde et istam summi Critici censuram meruit :

Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi

Dicitur.

Quanquam sane alibi non invenuste iis usus est. Quæ Menander tamen, et imago ejus, de quo nunc agitur, Terentius, tanquam cum periculo conjuncta, serio fugerunt. Hæc pro Viro maximo Horatio; neque adversus Plautum dicta sunt, quem amamus, suspicimus, diligimus, ac veneramur; verum, ut judicium sic acuumus; simul ut aenti isti, quod videntur sibi, ita facetissimum scriptorem ament, legant, tractent, atque ediscant (quod et recte et ordine ab iis fieri fatemur: neque enim satis commendari potest) ut nec plane et ubique Veteribus probasse se meminerint: et, quod hic præcipue spectamus, de Horatio ejusque crisi minus libere loquantur: Terentii autem miram ac prope ineffabilem amœnitatem, elegantiam, judicium, ac venustatem, intelligere paulatim discant. Cujus incredibiles lepores, ut Josephus Scaliger dicebat olim, vix centesimus eruditorum quisque videt. Ne cum illo simul et Afranium, antiquum Comicum, condemnent, cujus verissimum atque absolutum extat judicium :

Terentio non similem dices quempiam.

Nobis Eruditi ignoscent, quod hæc fasius, si cogitent præsertim, munus veri Critici esse ac Censoris, non literulam ejicere alibi, aut

innocentem syllabam damnare, vocem tollere alibi aut emendare, sed sincere de auctoribus ac rebus judicare : quod et solidæ et absolutæ eruditionis est. Quo, ni fallor, omnes aspiramus. Neque ulla in re magis antiquitas præiit nobis. De Auctoribus autem Comicis, uter melius judicare potuerit ; isne qui ætate illa vixit, qua ad summum culmen poësis pervenit, qui Poëta Summus, summus Criticus, familiariter cum Cæsare Augusto ac Mæcenate vixit, eorumque atque aliorum quotidie de his judicia audivit ; an qui hodie harum rerum plane imperiti judicant ; ipsi viderint.

PETITUS

DE ORDINE COMÆDIARUM

PUB. TERENTII.

OMNIA non sunt plana atque liquida. Primam omnium ANDRIAM esse, liquet ex Donato, Præfatione in Andriam : ‘ Hæc prima acta est Ludis Magalensibus,’ &c. Suetonius Tranquillus in Vita Terentii : ‘ Scripsit Comædias sex, ex quibus primam Andriam cum Ædilibus daret.’ Quod et testantur hi versus in Andriæ Prologo :

Favete, adeste æquo animo, et rem cognoscite,
 Ut pernoscat, et quid spei sit reliquum :
 Posthac quas faciet de integro Comædias,
 Spectandæ, an exigendæ sint vobis prius.

Editam testantur cum Didascalix, tum Suetonius, M. Marcello, Cn. Sulpicio Coss. hoc est, anno ab Urbe Condita 588.

HECYRA, semel atque iterum exacta, tertio stetit ; unde factum, ut, quo loco edita primum sit a Terentio, non ex vero proditum sit a Donato, Præfatione in hanc Comædiam : ‘ Factaque et edita quinto loco, Cn. Octavio et T. Manlio Coss.’ Atqui, si facta editaque est Cn. Octavio, T. Manlio Coss. non igitur quinto loco : nam Cn. Octavius et T. Manlius consules fuerunt anno ab U. C. 589. Ergo facta est post Andriam, quam edidit Terentius anno proxime præcedenti ; proinde Hecyra secunda est, ordine Fabularum, quas fecit Terentius.

Tertia fuit HEAUTONTIMORUMENOS, ut constat ex Didascaliis, quæ in fronte illius leguntur, in hæc verba: 'Acta tertia M. Juventio et M. Sempronio Coss.' Qui consules fuerunt anno ab U. C. 591.

Sequitur quarta PHORMIO, de qua Didascalix: 'Facta est IV. C. Fannio, M. Valerio Coss.' Quod etiam testatur Donatus, Præfatione in hanc Fabulam: 'Edita est quarto loco M. Valerio et C. Fannio Coss.' Post Phormionem quinta est edita EUNUCHUS, iisdem Coss. iisdem Ædilibus; habes id ex Didascaliis, et Donati Præfatione in hanc Fabulam: anno nimirum ab U. C. 593.

Bis eodem die producta in scenam, tertium denique acta: premium octo millibus sestertium numeratum est Poëtæ.

ADELPHÆ sexta est Comœdia a Terentio facta, eaque edita est Lucio Anicio, M. Cornelio Coss. hoc est, anno ab U. C. 594. Ludis funebribus L. Æmilii Pauli, ut habes in Didascaliis. Iisdem Ludis funebribus relata Hecyra, sed non placuit, ut est in Didascaliis. Prius tamen in scenam producta est Hecyra, quam Adelphæ, ut colligo ex Donato, qui dicit: 'Factam et editam quinto loco.' Male, ut audivimus; nisi perinde habueris primam illius editionem, Cn. Octavio, T. Manlio Coss. quasi omnino edita non esset, cum neque spectata, neque acta tunc sit; neque tum male dices 'quinto loco,' cum producta est his ludis funebribus Æmilii Pauli ante Adelphæ. Quare audiendus non est Donatus, qui eam 'secundo loco actam dicit, etiam tum rudi nomine Poëtæ; itaque sic pronuntiatum Adelphæ Terentii, non Terentii Adelphæ. Quod adhuc de Fabulæ magis nomine Poëta, quam de Poëtæ nomine Fabula commendaretur.' Quæ futilis argumentatio est: nam nulla Fabularum Terentii pronuntiata est TERENTII, exempli gratia, PHORMIO, HEAUTONTIMORUMENOS, antequam tertium edoceret Eunuchus. Idque observat Donatus Præfatione in Eunuchum, tertium editam fuisse post Adelphorum editionem.

JOANNIS THEODORICI BELLOVACI

NOMINUM COMICORUM RATIO.

Nox est de nihilo, quod poëtæ Comici aut hæc aut illa nomina indiderunt suarum personis fabularum. Hujus rei amplissima tibi

damus testimonia. Donatus in *Adelphos*, Nomina, inquit, personarum in Comœdiis habere debent rationem et etymologiam. Et enim absurdum est Comicum aperte argumenta confingere, vel nomen personæ incongruum dare, vel officium quod sit a nomine diversum. Hinc servus fidelis, Parmeno: infidelis, vel Syrus, vel Geta: miles Thraso, vel Polemon: juvenis Pamphilus: matrona Myrrhina: et puer, et ab odore Storax: et a ludo, et a gesticulatione Circus: et item similia, in quibus summum poëtæ vitium est, si quid e contrario repugnans contrarium diversumque protulerit: nisi per Antiphrasin nomen imposuerit joculariter: ut Misargyrides in Plauto dicitur trapezita. Et fere hoc modo apud alios a poëtis nomina componuntur describenda per Antiphrasin, quod designat Storax.

Idem in *Andriam*, Semper, inquit, nomina Comicorum servorum aut a nationibus sunt indita: ut Mysis, Syrus: aut ex accidentibus, ut Lesbia, velut ebriosa, a Lesbo insula, quæ est ferax suavissimi candidissimique vini: aut a vernilitate, ut Pseudulus: aut ex negotio, ut Chrysalus: aut ex qualitate corporis, ut Chylacus: aut ex specie formæ, ut Pinacium.

Strabo libro septimo: Fuit et alia regionis divisio, ex antiquis permanens temporibus. Alios enim Dacos, alios Getas appellant. Getas quidem, qui ad Pontum in Orientem vergunt: Dacos autem, qui in oppositum versus Germaniam, et ad Istri fontes, quos olim Davos vocatos esse reor. Ex quo apud Athenienses Davorum et Getarum nomina servilia plurimum abundabant. Hoc sane credibilius est, quam a Scytharum gente derivari, quos Daas vocant. Longe enim illi ad Hyrcaniam positi sunt, nec ex eo loco Athenas mancipia deportata putandum est. Servos enim aut e populorum nominibus vocabant, a quibus vectabantur, ut Lydum et Syrum: aut iis maxime quæ illis in locis magis ac magis usurpata erant, ut Manem et Midam, ex Phrygia: Tibiumque, e Paphlagonia.

Servius in primam *Eclogam Virg.* Etiam hoc sciendum, et personas hujus operis ex majori parte nomina de rebus rusticis habere conficta: ut Melibœus, ὅτι μέλει αὐτῷ τῶν βοῶν, quod curam gerit boum. Et Tityrus: nam Laconum lingua Tityrus dicitur aries major, qui gregem anteire consueverit: sicut etiam in Comœdiis invenimus. Nam Pamphilus est totus amans: Glycerium, quasi dulcis mulier: Philumena, amabilis.

Qui de nominum propriorum etymo et interpretatione plura scire volet, huic adeundus est Cratylus Platonis.

Erasmus in Commentario de Rerum Copia: Comici præcipue varietatem in ejusdem quoque generis personis affectasse videntur. Quid enim dissimilius, quam Demea ac Mitio apud Terentium? Quorum hic cum etiam gravissime filium objurgat, blandus est: ille, cum maxime blanditur, amarulentus: et tamen uterque senex, atque adeo fratres. Quid diversius, quam Chremes semper placidus ac civilis, et Simo vehemens ac suspiciosus? Item quam Pamphilus cordatus, et Charinus inops animi consiliique? Quid tam dissimile, quam Phædria cum morbo pugnans, et Chærea nihil habens pensi? Multum item interest inter Davum pertinacissimum sperandi auctorem, et Byrrhiam nihil præter desperationem afferentem. Plurimum inter parasitum Gnathonem, et Phormionem: et ab utroque longe dissident parasiti Plautini, quemadmodum et hujus meretrices a Terentianis plurimum discrepant. Terentius meretrices propemodum bonas fingit, veluti Philotin et Bacchidem in Hecyra: Plautus senes amantes, ac festivos, et uxoribus veteratorie imponentes: quanquam alias Euclionem prodigiose tenacem ac suspiciosum facit. Hactenus Erasmus.

Andros insula est, una ex Cycladibus, in Mari Ægæo, ab Andro, Anii filio, qui in ea regnavit, nomen sortita. Porro Ægæum Mare hodie nautis vulgo dicitur *Archipel*, nonnullis *Archipelago*. Andros nunc iisdem vocatur Andro, plerisque Andria. Hinc adjectivum Andrius, unde et huic Fabulæ nomen. Æneas, ait Lactantius, cum patre Anchise et filio Ascanio profugus Delum venit. Hic ab Anio, sacerdote Apollinis, recipitur hospitio, qui illis indicat, quinque se filiarum parentem orbum relictum. Andrum enim, a quo Andros insula, reliquisse patriam, &c. Ovidius libro decimo tertio *Metamorph.* de Ænea loquens:

Hunc Anius, quo rege homines, antistite Phœbus
Rite colebatur, temploque domoque recepit.

Virgil. quoque libro tertio *Æneid.* de insula Delo verba faciens:

Egressi veneramur Apollinis urbem.
Rex Anius, rex idem hominum, Phœbique sacerdos,
Vittis et sacra redimitus tempora lauro
Occurrit: veterem Anchisen agnoscit amicum.
Jungimus hospitio dextras, et tecta subimus.

Pasibula verti potest, Omnibus consulens : πᾶς, omnis, universus : βουλή, consilium. Ejus quippe agnitio nemini non consuluit, omnium animos alioqui turbatissimos feliciter tranquillans. Id quod luculentissime docet hujus Comœdiæ catastrophe.

Philumena, In amore perseverans ac persistens. Manens in amicitia. Φίλος, amicus : μένω, maneo. Scribendum autem esset Philomena, secunda et tertia brevibus : at causa productionis assumit *v* post *o*, ut sit diphthongus *ou*, quam nos in *u* longum vertimus, dicentes Philumena. Sic dicunt Græci νοῦστος, οὐνομα, pro νόστος, ὄνομα. Sic dixit Virg. ‘Upilio,’ pro, Opilio. Nisi forte quis malit ducere a verbo φιλοῦμαι, id est, concilior : ut sit participium fœmininum, quasi conciliata, vel amata.

Chrysis, Aurea. Χρυσός, aurum. Chrysidēs, aureæ crepidæ, vel phialæ. ‘Aureos mores’ apud Horatium libro quarto Carm. ode secunda, enarratores intelligunt bonos et sanctos, pulcherri- mos, elegantes, et amabiles, ut apud Virgil. libro octavo Æneid. ‘Aurea sæcula.’ Et rursus apud eundem libro x. ‘Aurea Venus.’ Erit igitur Chrysis, aurea, elegans, amabilis.

Simo, Pamphili pater, senex naso simo et presso, a specie no- men habet, quod simi sunt iracundi et biliosi.

Pamphilus, adolescens, a fideli amore. Totus amans, vel Om- nibus amicus. Πᾶς, totus, omnis : φίλος, amicus.

Davus, servus, a patria : ut paulo ante ex Strabone.

Dromo, servus, a cursu. Δρόμος, cursus : δρομαῖος, velox. Ser- vorum est, velociter currere, quo jusserint domini.

Sosia, libertus, Quod sit in bello servatus. Unde et servis no- men inditum. Σώζω, servo.

Charinus, adolescens. Ab animi benevolentia. Χαρίζομαι, fa- cio grata, obsequor, et beneficium gratiamque confero.

Byrrhia, servus. A patria, inquit Donatus. Sunt qui Phry- giam his Donati verbis putent innui. Didymus certe existimavit Aphroditem nuncupari παρά τὸ ἀβρόν τῆς διαίτης, hoc est, a molli- tie vitæ. *B* enim cognata videtur literæ φ : nam Philippum, ali- qui Βίλιππον appellant : sicut Phrygas, Brygas. Auctor Cælius lib. XXI. cap. 18. Idem quoque tradit Lilius lib. XIII. A Phry- gia igitur seu Brygia nomen esset Byrrhiæ : idque per literarum metathesin. Porro Phryges ingenio fuisse servili, vulgatum testa- tur adagium : Phryx plagis emendatur. Plinius lib. v. cap. 29. Pyrrham urbem facit Cariae. Quintilianus lib. I. docet *B* literam

fuisse interdum pro *P* usurpatam : ut Byrrhus, pro, Pyrrhus. Itaque fieri potest, ut a Pyrrha urbe nomen ductum sit Byrrhia, idem prorsus valens quod Car. Herodotus in Euterpe ostendit Cares barbaro servilique fuisse ingenio, et ad quidvis malorum ferendum paratos, mercede proposita : unde et natum proverbium : In Care periculum ; subaudi, facito ; hoc est : in homine aut re viliori fac periculosam experientiam, in qua si parum feliciter cesserit, non multum dispendii capiendum.

Crito, Quod controversiam dirimat. *Κριτής*, iudex, arbitrator : *κρίνω*, judico, interrogo, examino, quæstionem de aliquo habeo. Sane Crito Andrius, Athenas veniens, totam hujus Comædiæ litem et controversiam diremit, indicans quæ esset Pasibula.

Chremes, Pasibulæ et Philumenæ pater, senex. A screando, quod senes tussi expurgent pectus. *Χρέμπτομαι*, screo.

Glycerium, meretrix. A voluptate, vel dulcedine. *Γλυκερός*, duleis. Hinc Glycyrrhiza, dulcis radix. Vulgus Liquiritiam vocat. Glycere, hujus Glyceres, nomen mulieris proprium, verti etiam potest, duleis : ejus diminutivum Glycerium, dulcicula.

Mysis, ancilla. A Mysia patria. Strabo refert Mysorum populum usque adeo contemtum fuisse, ut proverbio locum fecerit. Id usurpat M. Tullius in Oratione pro Flacco : ‘ Quid,’ inquit, ‘ porro in Græco sermone tam tritum atque celebratum est, quam, si quis despiciatui ducitur, ut Mysorum ultimus esse dicatur ?’

Lesbia, obstetrix. A Lesbo insula. Rationem habes paulo ante.

LOCA MENANDRI, ET APOLLODORI,

QUÆ TERENCEIUS LATINE EST INTERPRETATUS.

SCHREVELIUS LECTORI.

SUBJECTI editioni Terentianæ a se recensitæ Nobil. ac celeberrimus Dan. Heinsius Loca aliquot Menandri, quæ Terentius Latine est imitatus, ex collectione Andreæ Scotti : nos iis alia ex eodem Menandro adjunximus, atque insuper ex Apollodoro, quod illos duos proprie imitatus fuerit atque expresserit Poëta, quod ex Comædiarum ejus *ἐπιγραφαῖς* est manifestum. Ea autem nobis suppeditarunt, partim excerpta Grotiana ex Tragædiis et Comædiis

Græcis, partim quædam Terentii editio a Martino Hainneccio procurata, partim Doctiorum in Terentium Commentaria.

ANDRIA. Act. I. Sc. I.

‘Feci e servo ut esses libertus mihi.’ Versus Menandri legitur etiam in Elenchis :

Ἐγὼ σε δοῦλον ὄντ' ἔθηκ' ἐλεύθερον.

Ego te, cum servus esses, liberum feci.

‘Mala mens, malus animus.’ Videtur Terentius alluisse ad illud Menandri :

Γνώμης γὰρ ἐσθλῆς, ἔργα χρηστὰ γίγνεται.

Bonæ mentis, bona sunt opera.

Act. I. Sc. II.

‘Nihil me fallis.’ Menandri apud Donatum :

Νῦν δὲ οὐδὲν λέληθιάς με ἄν.

Neque tu nunc me clam es.

Act. II. Sc. II.

‘Olera et pisciculos.’ Menandri verba e Perinthia huc pertinentia, quæ ab Athenæo l. VII. Deipnosophist. referuntur :

Τὸ παιδίον δ' εἰσηλθεν ἐψητοὺς φέρον.

Intravit puer minutos pisciculos ferens.

Act. III. Sc. II.

‘Nunc primum fac isthæc ut lavet.’ Menander :

Λούσατε αὐτὴν τάχιστα.

Lavate illam actutum.

Act. III. Sc. III.

‘Amantium iræ.’ Expressit Terentius illud Menandri, et explicat Victorius Var. Lect. l. IV. c. XIV.

Ὅργῃ φιλοῦντων ὀλίγον ἰσχύει χρόνον.

Amantium iræ exiguo durant tempore.

Act. IV. Sc. IV.

‘Mirum vero, impudenter mulier si facit meretrix.’ Menander :

Οὐδέ ποθ' ἑταίρα τοῦ καλοῦ πεφρόντικε.

Meretrix pudorem pensî nunquam habet.

Act. v. Sc. iv.

‘ Sycophantas.’ Menander Γεωργῶ :

Καὶ συκοφάντης εὐθὺς ὁ τὸ τριβῶνιον

Ἔχων καλεῖται, κἄν ἀδικούμενος τύχη.

Cui vestis squalida, sycophanta dicitur

Statim, quamvis patiatur ipse injuriam.

‘ Sic est hic.’ Menander :

Οὗτος αὐτός ἐστιν.

EUVUCHI. Prologo.

‘ Responsum non dictum esse, quia læsit prius.’ Hic versus congruit senario, ex Menandri Olynthia :

Ἦς οὐχ’ ὑπάρχων, ἀλλὰ τιμωρούμενος.

Ut qui non prior incipiam, sed me vindicem.

Act. i. Sc. i.

‘ Sed ipsa egreditur.’ Menander in Prologo Fabulæ, Thais inscriptæ, elegantissimis verbis ejus ἦθος expressit, quos Plutarchus in Commentario de Audiendis Poëtis refert hoc modo :

Ἔμοι μὲν οὖν ἕειδε τοιαύτην, Θεὰ,

Θρασεῖαν, ὠραῖαν δὲ, καὶ πιθανὴν ἄμα,

Ἄδικοῦσαν, ἀποκλείουσαν, αἰτοῦσαν πυκνά,

Μηδενὸς ἐρῶσαν, προσποιουμένην δ’ αἰεί

Nunc illam talem cane, quod te veneror, Dea,

Ferozem, sed pulchellam, et illecebriloquam ;

Injustificam, clusiforem, poscinummiam,

Et neminamantem, semper simulantem tamen.

Act. ii. Sc. ii.

‘ Is quæstus.’ Menander :

Πράττει δ’ ὁ κόλαξ ἄριστα πάντων.

Cum adulate agitur nunc omnium optime.

‘ Ne sursum.’ Menandro est, στρέφεσθαι ἄνω κάτω. Sic enim :

Ἦμην ἐγὼ τοὺς πλουσίους, ᾧ Φανία,

Οἷς μὴ τὸ δανείζεσθαι πρόσεστιν, οὐ στένειν

Τὰς νέκτας, οὐδὲ στρεφομένους ἄνω κάτω,

Οἶμοι, λέγειν. —

Putabam ego, divites, o Phania !

Quibus nulla fœnore accipiendi necessitas incumbit, neque gemere

Noctu, neque sursum deorsum versando sese

Ejulare. —

Versus hi ita recte leguntur in Plutarchi libellis, non modo impressis, verum etiam Ms. duobus *Περὶ Εὐθυμίας*. Nam apud Stobæum cap. 95. mendose est, *σπρεφομένους ἂν νύκτα*.

Act. II. Sc. III.

‘Liquet mihi dejerare.’ Menander :

“*Ορκον δὲ φεῦγε, κἄν δικαίως ὀμνύης.*

Jusjurandum devitato, etiam cum juste jurare poteris.

Act. III. Sc. I.

‘Nunquam tibi dixi.’ Menander :

“*Ἔχω δ’ ἐπίκληρον Λαμίαν· οὐκ εἴρηκά σοι ;*

Est mihi Lamia, quæ nullos cohæredes habet. Nonne dixi tibi ?

Act. III. Sc. II.

‘Tacent ; satis laudant.’ Menander :

Κἄν ὄλως μηθὲν λαλεῖ,

Διὰ τοῦ σιωπᾶν, πλεῖστα περὶ αὐτῆς λέγει.

Eo ipso, dum plane nil loquitur, tacendo quamplurima de se ipsa dicit.

Act. IV. Sc. IV.

‘Hic est vietus, vetus, veterinosus senex, colore mustellino.’ Voluit exprimere locum Menandri :

Οὗτός ἐστι γαλεώτης γέρων.

Hic est mustella senex.

Act. V. Sc. VI.

‘Sed tu quod cavere possis.’ Translata a Menandro sententia, cujus hi citantur a Stobæo senarii :

Εὐθήθειά μοι φαίνεται δηλουμένη,

Τὸ νοεῖν μὲν ὅσα δεῖ, μὴ φυλάττεσθαι δ’ ἂ δεῖ.

Manifesta mihi videtur hæc esse fatuitas,

Assequi, quid fieri oporteat, neque facere tamen.

Act. V. Sc. IX.

‘Quodvis donum et præmium.’ Menander :

Ἐῤῥαί τι βούλει, πάντα σοι γενήσεται.

Elige quod optes, optata feres omnia.

HEAUTONTIMOR. Act. I. Sc. II.

‘Illum insimulat durum.’ Menander :

Σκληρόν πρὸς υἱὸν ἐν τῷ νουθετεῖν.

Quod in increpando erga filium sit sævus.

‘Periculum ex aliis.’ Huc pertinet illud Menandri :

Βλέπων πεπαιδευμ' εἰς τὰ τῶν ἄλλων κακά.

Mala intuens aliorum, doctus ego fui.

Act. II. Sc. II.

‘Occasio, locus,’ &c. Menander :

Μικρὰ πρόφασίς ἐστὶ τοῦ πρᾶξαι κακῶς.

Ad prave agendum, parva satis occasio est.

Act. II. Sc. III.

‘Texentem telam studiose,’ &c. Menander apud P. Victor. lib. IX. cap. 15. Var. Lect.

Ἐξ ἱσταρίου γὰρ ἐκρέματο φιλοπόνως πᾶνν.

Animum a tela suspensum omnino studiose occupabat.

‘Una ancillula erat,’ &c. Menander apud Politianum :

Καὶ θεραπαινὶς ἦν μία· αὐτῆ

Συνύφαινε ῥυπαρῶς διακειμένη.

Et una ancillula erat ;

Hæc, sordidi animi plena, texturam una faciebat.

‘Facinus magnum et memorabile.’ Menander :

Μέγα καὶ περιβόητον ἔργον.

‘In aurem utramvis ut dormias.’ Menand. Plautio :

Ἐπ' ἀμφοτέραν, ἴν' ἐπὶ κληρὸς ἦ, μέλλει καθενδῆσειν.

In aurem utramque, quandoquidem dotata est, cubet.

‘In eum jam res rediit locum, ut sit necesse.’ Menander :

Τρία γὰρ ἐστὶ, δέσποτα, δι' ὧν ἅπαντα γίγνεται·

Ἡ κατὰ νόμους, ἢ ταῖς ἀνάγκαις, ἢ γε τρίτον, ἔθει τινί.

Ad res gerendas his tribus compellimur,

Necessitate, lege, consuetudine.

Act. II. Sc. IV.

‘Formæ mores consimiles sient.’ Menander apud Stobæum :

Ὅταν φύσει τὸ κάλλος ἐπικοσμεῖ τρόπος

Χρηστὸς, διπλασίως προσιῶν ἄλισκεται.

Quando mores faciles naturali formæ ornatum afferunt, ventitans dupliciter capitur.

‘Nos quoque senes est æquum senibus obsequi.’ Menander :

Γέρων γέροντι γλῶσσαν ἠδίστην ἔχει.

Παῖς παιδί, καὶ γυναικὶ πρόσφορον γυνή.

Νοσῶν τ' ἀνὴρ νοσοῦντι, καὶ δυσπραξίᾳ

Ληθθεὶς ἐπ' αὐτῷ ἐστὶ τῷ περρωμένῳ.

Seni senilis lingua jucundissima :

Puerque puero, et apta mulieri mulier :

Et æger ægro : pressus infortunio

Lenimen est homini malis exercito.

'Aliena melius ut videant.' In hanc sententiam Menander :

Οὐθεὶς ἐπ' αὐτοῦ τὰ κακὰ συνορᾷ, Πάμφιλε,

Σαφῶς, ἕτερον δ' ἀσχημονοῦντος ὄψεται.

Aperte sua mala nemo videt, o Pamphile,

Sed alterius peccatum conspicabitur.

Act. iv. Sc. ii.

'Nihil tam difficile quin quærendo.' Menander apud Stobæum

Λόγῳ κ'.

Ἄλωτὰ γίνεται ἐπιμελείᾳ καὶ πόνῳ ἅπαντα.

Omnia queunt laboribus et industria comprehendi.

Act. iv. Sc. v.

'Jus summum, summa injuria.' Menander apud Stobæum Ser-
mone μβ'.

———— 'Οδ' ὁρῶν τοὺς νόμους

Λίαν ἀκριβῶς, συκοφάντης φαίνεται.

———— Qui leges intuetur optimas

Nimis accurate, ille sycophanta prorsus est.

Act. v. Sc. i.

'Argentum ut dares.' Expressit hunc Menandri versiculum :

Λουτρὸν, θεραπαίνας, καὶ ἀργυρώματα.

Balneas, ancillas, et pecunias.

Act. v. Sc. ii.

'Modo liceat vivere, est spes.' Apollodorus :

Οὐδέ ποτ' ἀθυμεῖν τὸν κακῶς πράσσοντα

Ἄνδρα, τὰ βελτίω δὲ προσδοκᾶν ἄεί.

In miseriis nullis labascere convenit,

Meliora sed sperare semper affore.

Act. v. Sc. v.

'Quid istic? video non licere, ut cœperam, hoc pertendere.' Me-
nander :

Delph. et Var. Clas.

Terent.

H

‘Ο σκληρότατος πρὸς υἱὸν ἐν τῷ νουθετεῖν,
 Τοῖς μὲν λόγοις πικρός ἐστι, τοῖς δ’ ἔργοις πατήρ.
 Valde in monendo si quis asper filio,
 Verbis acerbus est quidem, sed re pater.

Sic idem Menander :

Πρὸς υἱὸν ὀργὴν οὐκ ἔχει χρηστὸς πατήρ.
 Boni parentis ira nulla in filium.

‘Rufamne illam virginem, cæsiam, sparso ore, adunco naso? non
 possum, pater.’ Menander :

Δύ’ ἔσθ’ ἃ κρῖναι τὸν γαμεῖν μέλλοντα δεῖ,

Ἦτοι προσηνῆ ὄψιν, ἢ χρηστὸν τρόπον.

Τὴν ὁμόνοιαν γὰρ τὴν πρὸς ἀλλήλους ποιεῖ.

In nuptiis spectare res decet duas,
 Amabilem aut speciem oris, aut mores probos.
 Concordiam nam continent hæc mutuam.

Formam cum probis moribus conjungit hoc versiculo idem Me-
 nander :

Ὡς ἡδὺ τὸ κάλλος ὅταν ἔχη νοῦν σώφρονα!

Quam grata forma est, cui comes modesta mens!

ADELPHIS. Act. I. Sc. I.

‘Et, quod fortunatum isti putant, Uxorem nunquam habui.’
 Menand.

Ἐκάρτιόν με! γυναῖκα οὐ λαμβάνω.

O me beatum, qui uxorem habere nolo!

Act. I. Sc. II.

‘Quem neque pudet quicquam, nec metuit quemquam.’ Menan-
 der apud Priscian. lib. VIII.

Ὅς δ’ οὔτ’ ἐρυθριᾶν οἶδεν, οὐδὲ δεδιέναι,

Τὰ πρῶτα πάσης τῆς ἀναιδείας ἔχει.

Ille vero, qui nec erubescere novit, neque metuere,
 Universæ impudentiæ primas tenet.

‘Homine imperito nunquam quicquam injustius.’ Menander :

Οὐκ ἔστ’ ἀνοίας οὐδὲν, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ,

Τολμηρότερον.

Nihil imperito videtur esse audacius.

Act. II. Sc. I.

‘Minime miror, qui insanire occipiunt ex injuria.’ Menander :

Οἱμοι! τὸ γὰρ ἄφνω δυστυχεῖν μανίαν ποιεῖ.

Hei mihi, ut repentinum infortunium insaniam parit!

Act. II. Sc. III.

‘Fratrem homini nemini esse.’ Menander:

Ὡς ἡδὺν γ’ ἐν ἀδελφοῖς ἐστὶν ὁμοιοῖας ἔρωσ.

Quam jucundus est inter fratres concordiae amor.

Act. III. Sc. II.

‘Quid credas jam? aut cui credas?’ Menander:

Μὴ πάντα πειρῶ πᾶσι πιστεύειν ἀεί.

Credenda cunctis esse cuncta ne puta.

Act. III. Sc. IV.

‘Quod vos vis cogit,’ &c. Vide locum Menandri, quem hic et supra expressit ad Heautontim. Act. II. Sc. III.

Act. IV. Sc. V.

‘Tacet.’ Menander:

Πολλοῖς ἀπόκρισις ἢ σιωπὴ τυγχάνει.

Apud multos silentium loco responsionis est.

‘Erubuit, salva res est.’ Menander:

Ἐρυθριῶν πᾶς χρηστὸς εἶναι μοι δοκεῖ.

Qui erubuit, esse mihi videtur vir bonus.

‘An sedere oportuit domi virginem tam grandem?’ Menander:

Θυγάτηρ ἐπίγαμος, κἂν ὄλως μὴδὲν λαλῇ,

Διὰ τοῦ σιωπᾶν πλεῖστα περὶ αὐτῆς λέγει.

Filia nubilis, etsi plane nihil loquatur,

Ipsa tamen silentio plurimum de se prædicat.

‘Menses abierunt decem.’ Menander Plotio:

Γυνὴ κύει δεκάμηνος.

Mulier, postquam concepit, mensem agit decimum.

‘Dormienti confecturos Deos.’ Menander:

Αὐτόματα γὰρ τὰ πράγματα’ ἐπὶ τὸ συμφέρον

Ῥεῖ, κἂν καθευδῆσθαι, πάλιν τᾶναντία.

Sponte sua nam res ad usum manant; sed et, dum quis dormit, rursum contrariæ.

Act. V. Sc. III.

‘Communia esse amicorum inter se omnia.’ Menander in Adelphis, Erasmo citante:

Τὰ τῶν φίλων κοιν', οὐ μόνον τὰ χρήματα,
 Καὶ νοῦ δὲ καὶ φρονήσεως κοινωνία.
 Communia amicos inter, non pecuniæ
 Tantum, sed et mens pariter et prudentia.

Act. v. Sc. iv.

'Duxi uxorem.' Huc spectat illud Menandri apud Stobæum :
 Τὸ γυνυῖκ' ἔχειν, εἶναι τε παίδων, Παρμένων,
 Πατέρα, μερίμνας τῷ βίῳ πολλὰς φέρει.
 Uxorem habere, liberorum, Parmeno,
 Patrem esse, curas multas in vitam invehit.

Et :

Τὸ γενέσθαι πατέρα παίδων, ἦν λύπη, φόβος, φροντίς.
 Liberorum patrem esse factum, mœror fuit, formido, et anxietas.

HECYRA. Act. II. Sc. I.

'Neque declinatam quicquam ab aliarum ingenio ullam reperias.'
 Menander :

Γυνὴ γυναικὸς πώποτ' οὐδὲν διαφέρει.
 A fœmina nil fœmina unquam discrepat.
 'Postmodum rescisces.' Menander :
 Ταῦθ' ὕστερον λάβοις ἂν ἡμαρτημένα.
 Quænam sint commissa, hæc tu postmodum rescisces.

Act. III. Sc. III.

'Omnibus nobis ut res dant sese, ita magni atque humiles sumus.'
 Apollodorus :
 Οὔτως ἕκαστος διὰ τὰ πράγματα σεμνὸς ἦν καὶ ταπεινός.
 Ita quisque, ut res dant sese, et gravis et humilis esse solet.

Act. III. Sc. v.

'Salvum atque validum.' Menander :
 Εὐτυχοῦντα καὶ σεσωσμένον.
 Fortunatum salvumque.

Act. IV. Sc. II.

'Ut ne cui meæ longinquitas ætatis obstat, mortemve expectet
 meam.' Menander.
 Πικρόν ἐστι θρέμμα γέρων ἐν οἰκίᾳ μένων.
 Amarulentus est alumnus senex domi manens.

Act. IV. Sc. IV.

‘Amaræ mulieres sunt.’ Menander apud Stobæum :

Φύσει γυνή δησήμερόν ἐστι καὶ πικρόν.

Natura mala mulier atque effrænis est.

Act. V. Sc. III.

‘Abhinc menses decem fere.’ Vide dictum Menandri, Adelph.

Act. IV. Sc. V.

PHORMIONE. Act. I. Sc. II.

‘Quod fors fert, feremus æquo animo.’ Menander :

Ἐνεγκ’ ἀτυχίαν καὶ βλάβην εὐσχημόνως.

Fortunam adversam, dispendiumque, decenter fertō.

‘Istuc viri est officium.’ Menander :

Τοῦτ’ ἐστὶν ἀνδρός.

Hoc viri est.

Act. I. Sc. IV.

‘Fortes fortuna adjuvat.’ Menander apud Stobæum :

Τόλμη δικαίη καὶ Θεὸς συλλαμβάνει.

Audaciam justam vel adjuvat Deus.

Act. II. Sc. II.

‘Injuriam audisti.’ Menander Misogyno.

——— Ὅμνυμί σοι τὸν ἥλιον

Ἡ μὴν ποιήσειν σοι γραφήν κακώσεως.

——— Juro Solem tibi,

Injuriarum me tibi scripturum dicam.

‘Cum ratione.’ *Rationem*, quod est in Palatino codice, magis placet. Nam ita quoque citat Victor. l. v. c. xx. ubi inter alios versus Menandri hunc adducit :

Τὸ γὰρ τρέφον με, τοῦτ’ ἐγὼ κρίνω Θεόν.

Nam quod me alit, id ego plane judico Deum.

Act. III. Sc. III.

‘Solus amico amicus.’ Apollodorus :

Μόνος γε ἐπίσταται φιλεῖν τοὺς φίλους.

Ut qui solus amicos amare didicit.

Act. IV. Sc. I.

‘Senectus ipsa morbus.’ Apollodorus :

Τὸ γῆρας ἐστὶν αὐτὸ νόσημα.

‘Ego meorum solus sum meus.’ Apollodorus :
 ‘*Ἐγὼ γὰρ εἰμι μόνος τῶν ἐμῶν ἐμός.*

Act. IV. Sc. IV.

‘Dicis quod mali est,’ &c. Menander :

——— *Λέγεις ἀεὶ τὸ λυποῦν,*

Μηδὲν ἀντιπαραιθεὶς τῶν προσλεγόμενων.

Semper quod mœrorem affert narras, nihil eorum addens, quod
 exadversum alloquii sit idoneum.

COMMENTARIUM

RUFINI V. D. GRAMMATICI ANTIOCHENSIS IN METRA TERENTIANA.

EVANTHIUS in Commentario Terentii de Fabula, hoc est, de Comœdia, sic dicit : Concinna argumento, consuetudini congrua, utilis sententiis, grata salibus, apta metro : et postea sic : Veteres etsi usi ipsi quoque metris negligentius iambici versus duntaxat in secundo et quarto loco, tamen a Terentio vincuntur resolutione hujus metri quantum comminuti ad imaginem prosæ orationis. Asper in Commentario Terentii sic : Hosce versus agere cœpisset : ἵτᾱ νῆ πατρὶς αἰς ἀδωντὺν βῆρτὺ ἠνὶ ἀβῆσῃ δῶμῳ. Et deinceps quæ sequuntur quadrati. Diomedes sic : Septenarium versum Varro fieri dicit hoc modo, cum ad iambum trisyllabus pes additur, et fit tale : quid immērentībūs nōcēs? quid invīdēs ἀμῖcis? Similiter in Terentio versus est : Nām sī rēmittānt quipp̄ām Philūmēnæ dōlōrēs. Et in Plauto sæpe tales reperiuntur. Varro de Lingua Latina ad Marcellum sic : Quare in hujusmodi locis poni oportet notam in transversum inter syllabas, frequentius ad extremum versum, senarium, et similes, si pro longa brevem habebunt, ut in hoc : ἀμῖcūs sūmmūs mēūs ἔτ ποπῖλᾱρῖς Gēta. Charisius sic : Septenarium versum fieri dicit Varro hoc modo, cum ad iambum trisyllabus pes additur, ut præfatum est. Bassius ad Neronem de iambico sic dixit : Iambicus autem cum pedes etiam dactylici generis assumat, desinit iambicus videri, nisi percussione ita moderaveris, ut, cum pedem supplodis, iambicum ferias : ideoque illa loca per-

cussionis non recipiunt alium quam iambum, et ei parem tribrahum: aut si alterius exhibuerint metri speciem: quod dico, exemplo faciam illustrius. Est in Eunucho Terentii statim in prima pagina hic versus trimetrus: *ēclūsīt, rēvōcāt, rēdēām? nōn sī mē obsēcret.* Hunc incipe ferire, videberis heroum habere inter manus ad summam: paucis syllabis in postremo mutatis, totus erit herous: *Exclussit, revocat, redeam? non si mea fiat.* Ponam dubium secundo loco pedem, propius accedam. *Hēros ātridēs cēlītūm tēstor fidem.* Varro in VII. Clausulas quoque primum appellatas dicunt, quod clauderent sententiam, ut apud Accium: *an hęc jam obliti sunt Phryges?* Nonnunquam ab his initium fit, ut apud Cæcilium: *Dī bōnī quīd hōc?* Apud Terentium: *discrūciōr ānīmī.* Idem Varro in eodem lib. VII. de Lingua Latina ad Marcellum sic dicit: *Aut in extremum senarium totidem semipedibus adjectis fiat comicus quadratus, ut hic: Heri aliquot adolescentuli coimus in Piræeo.* Trimetros versus iambicos Terentii et Plauti et ceterorum comicorum et tragicorum M. Tullius senarios dicit et nominat. Quintilianus etiam trimetros senarios nominavit. Et Flavius Caper in Artibus suis trimetros versus iambicos Terentii senarios appellavit. De metris Terentii et Plauti et ceterorum comicorum et tragicorum Victorinus sic dicit: *Quantum aut ad versum comicum spectat, ut paululum evagemur, scio plurimos affirmare, Terentianas vel maxime Fabulas metrum ad disciplinam Græcarum Comædiarum non custodisse, i. quas Menander, Philemon, Diphilus, et ceteri ediderunt. Nostri n. in modulandis rhythmis seu metris, Veteris Comædiæ scriptores sequi maluerunt, i. Eupolim, Cratinum, Aristophanem: prologos itaque, et primarum scenarum actus trimetris comprehenderunt: deinde longissimos i. tetrametros subdiderunt qui appellantur quadrati: postea in sequentibus variaverunt: modo n. trimetros, modo addito quadrante vel semisse posuerunt, i. semipede adjecto, vel integro pede iambo vel sesquipede: hęc per medios actus, varie rursus in exitu Fabularum quadratos, quales diximus in secunda scena locaverunt. Sed idem quadrati legitimi cum XVI. syllabis juxta jus proprium constare debeant, plerumque inveniuntur XX. aut amplius syllabarum: hinc existimantur metrum non tenuisse, nec sua lege composuisse. Quod vero ad clausulas, i. minuscula cola pertinet, quot genera versuum sunt, totidem membra pro clausulis poni possunt, et solent in canticis magis quam diverbiis quæ ex*

trimetro magis subsistunt, collocari, et præcipue apud Plautum et Nævium et Afranium. Nam hi maxime ex omnibus membris versuum; colis ab his separatis licenter usi reperiuntur in clausulis. Idem Victorinus in alio loco de iambo sic dicit: Improbatur autem apud tragicos, versus ex omnibus iambis compositus; nam quo sit amplior, et par tragicæ dignitati, interponunt frequentius locis duntaxat imparibus pedum dactylicorum moras et spondæum. Similiter apud comicos laxius spatium datum est: nam et illi loca, quæ proprie debentur iambis, spondæis occupant, dactyloque et anapæsto locis adæque disparibus. Ita, dum quotidianum sermonem imitari nituntur, metra vitiant, studio, non imperitia: quod frequentius apud nostros quam apud Græcos invenies. Genera autem iambici metri sunt duo: nam ex iis alia integra, alia clauda, quæ scazonta seu choliamba vocant, sunt: quorum differentiam penultima versus syllaba demonstrabit. Nam, si brevis contigerit, erit rectum et integrum iambicum, ita: Vigōris āddē cōncītūm cēlērēm pēdem. Sin vero longa, delumbe et claudum, ut est: Novītātē dūctūs nōn ēst inscīūs lēgis. Lē longa, quæ penultima reperitur, metrum corrumpit: hujus repertor Hipponax. Nam, pro iambo inductis trochæis contra legem trimetri iambici, metrum innovavit, quod adæque ex spondæo contingit.

VERSUS RUFINI GRAMMATICI

DE METRIS TERENTII ET PLAUTI ET ALIORUM.

AGNOSCIT metrum, servatque Terentius artem,
 Nam prologos trimetro didicit componere versu,
 Scenarumque actus primos pede claudit eodem.
 Ut sunt hi versus prologi:
 Pōētā cūm p̄imum ān̄imum ād scribēndum āppūlit,
 id sibi nēgōtī crēdīdī sōlūm dāri
 Pōpūlo ūt plācērēnt quās fēcissēt Fābūlas.
 Vōs istæc intro aūferte, ābitē; Sōsīa
 ādesdūm paūcis tē vōlo. Dīctūm p̄ta.
 Tetrametros sequitur quem finxerat ille Boiscus.

Quales sunt isti versus :

Mirābār hōc sī sic ābīrēt, ēt hēri sēmpēr lēnītas.

Qui sequitur dimetrus est, id est, quatuor simplices pedes habet :

Vērēbār quōrsūm ēvādērēt.

Item tetrametri similes hi de iambo :

ēnīmvērō Dāvē nīhil lōci ēst sēgnītiāe, nēquē sōcōrdīae.

De iambo trochaicum archilochicum unde fieri dicunt metrum.

Creticon Archilochus supra caput addit iambi.

Quales sunt isti :

Dī bōnī quīd pōrtō.

Sēd ūbi invēnīām Pāmphilum.

Lētīs ēst nēscīō quīd.

Nīhil ēst, nōndūm hāc rēscīvit māla.

De iambo Hipponactico,

Ultimus amphibrachys velocem claudit iambum,

Aut bacchius erit finis discrimine nullo,

Utitur Hipponax hoc metro maximus auctor.

Quales sunt hi versus :

Nē forte imprūdēns faciām quōd nōlim, sciēs cavēbo.

Nām sī rēmīttānt quīppiām Philūmēnāe dolores.

Legitimum interdum sub scenis ponit iambum.

Obsequium amicos, veritas odium parit.

Utitur his Plautus metris et mille poētāe.

De pedibus quibus hāc consistunt metra notabis :

Dactylus aut spondæus inest, vel cursor iambus,

Aut anapæstus erit, positi discrimine nullo

Partibus in quinis : nam post celer extat iambus.

Pyrriehiusve citus finem concludere possit.

Ut sunt hi tales :

Exclisit, revocat, redeam ? non si me obsecret :

Quod plerique omnes faciunt adolescentuli.

De nomine talium versuum sive metrorum.

Græcus apamphænonta solet memorare poēta.

Immanifesta vocant hāc carmina voce Latini.

Hunc trimetrum veteres Graii cognomine dicunt,

Quod pedibus junctis hunc scandere sæpe solebant.

Ponitur aut scazon, spondæum finis habebit.

Quales sunt isti :

Nec fonte labra proluī caballino :

Nec in bicipiti somniasse Parnasso.

De metris comicis :

Tetrametros trimetrosque capit Comœdia versus.
 Tetrametrum primus fertur posuisse Boiscus,
 Creticon Archilochus trimetro superaddidit ingens,
 Amphibrachum trimetro Hipponax supponit iambo.
 Fulserat hac Plautus, pulcherque Terentius arte.

Terentianus de iambis Fabularum sic dicit.

Culpatur autem versus in Tragœdiis,
 Et rarus intrat ex iambis omnibus,
 Ut ille contra qui secundo et talibus
 Spondæon, aut quem comparem receperit :
 Sed qui pedestres fabulas socco premunt,
 Ut quæ loquuntur sumta de vita putes,
 Vitiant iambum tractibus spondaicis,
 Et in secundo, et in ceteris æque locis.
 Fidemque fictis dum procurant fabulis,
 In metra peccant arte, non inscitia,
 Ne sint sonora verba consuetudinis,
 Paulumque rursus a solutis differant.
 Mage ista nostri : nam fere Græcis tenax
 Cura est iambi, vel novellis comicis,
 Vel qui in vetusta præcluent Comœdia.
 Aristophanis ingens emicat solertia,
 Qui sæpe metris multiformibus novus
 Archilochon arte est æmulatus musica.

Sisenna in Commentario Pœnuli Plautinæ Fabulæ sic : Halonium Pœni dicunt Deum, et producenda syllaba metri gratia exigit iambus.

Scaurus in commentario Plauti in Pseudulo dicit : Μαλαί διαίρεσις metri causa. Scaurus in eadem Fabula sic : Nunc iam ; jam divisit in duas syllabas metri causa.

Sisenna in Rudente sic : Fuit extenta prima syllaba metri causa : et postea sic : Habiliore metro usus est, ut solet in mulierum oratione. Postea sic : Latronem producit metri causa.

Idem Sisenna in Amphytrione sic : His quatuor generibus quintum accedit, de genere versuum qui non sunt uniusmodi.

Idem Sisenna in Captivis sic : Hic ornato S literam metri causa amisit.

Idem Sisenna in Aulularia sic : Hæc scena anapæstico metro est, sed concisa sunt, ut non intelligas.

Juba in libro quarto sic dicit : Iamborum itaque exempla quæ maxime frequentata sunt subdidi : *πάτερ Λυκάμβρα, ποῖον ἐφράσω τόδε. Δαναὸς ὁ πεντήκοντα θυγατέρων πατήρ. ξανθῇ παλαιῇ γρηῖ, πολλῆσιν φίλῃ. οἶδ' ὑπὸ γὰρ ὑμῶν παρετάθη καὶ Περικλέους. ἰμάτιον ἐφέρει μαλακὸν ἐρίων Σικελικῶν. τόδε προσκεφάλαιον, φησὶν, ἅμα σοὶ βούλομαι.*

Videre non vult Cœlium Panætius.

Misera marino quæ tumida littore.

Valles per imas amne labens cœrulo.

Armiger in Ida pede vago littora petens.

Cœrula, non aliter superans liquida malaciæ.

παρὰ σοφοῦ μάθε κλύων ὅσα τίσαν καταμάθει.

Rape faces, cape puer, sopor abit, cane melos.

In alio loco sic : Iambicum metrum non ex solis iambis conscribitur, sed quinque suscipit pedes, id est, iambum, tribrachum, anapæstum, dactylum, et spondæum, hoc est, iambum et spondæum et solutiones eorum, scilicet ex iambi solutione tribrachum. Nam, si sequentem longam syllabam in duas breves solvas, fiet de iambo tribrachus. Spondæi autem solutiones duas, dactylum et anapæstum. Nam, si prior syllaba spondæi solvatur in duas breves, fiet anapæstus : si vero secunda, fiet dactylus. Unde datur intelligi, iambica metra de iambo et spondæo fieri, et de eorum solutionibus.

De choliambo sic : Est autem proceritas ejusdem versus qui unius pedis differentia nomen amittit ; nam, quod sexto loco, qui locus par est, non iambus, sed spondæus vel trochæus accipitur, et a longa incipit syllaba, claudum carmen facit, et choliambicum nominatur, ut est : *Ἦ κλαζομένοιο βούπαλος κατέκτειθεν Ἀκούσαθ' Ἴπ- πώνακτος. οὐ γὰρ. ἀλλ' ἦκω :* ‘O quæ tenerulæ comparis tenes crinem, Sudes in ista via latet fossa.’ Quod autem binis pedibus, et non singulis scanditur, vetus institutum est : quippe Herodotus, antiquus historiæ auctor, cum de heroico diceret versu, quem singulis partiri pedibus moris est, ita dixit : *καὶ σφιν ἠπίθυνα φήσω ἄλυσιν.* Unde apparet heroicum singulis pedibus scandi etiam apud Veteres solitum, iambicum autem binis. Idem autem ait, cum de Archilocho Pario refert, qui Gigæ fabulam optime com-

plexus est ita: *Γίγω αὐτοῦ καὶ Ἀρχίλοχος Πάριος κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον γεγωνὸς ὑπέμνησεν ἰάμβῳ τριμέτρῳ.* Meminit autem versus ejus Herodotus, quem applicui, *ᾧ μήτε Γίγω πολυχρόσου μέλει.* Et hactenus de catalectico trimetro dictum. De octometro Boisicio idem sic dixit: Octometrum catalecticum quod appellatur Boisicium. *Βοίσκος, ὁ ἀπὸ Κυζικοῦ, παντὸς γραφεὺς ποιήματος, τὸν ὀκτάπουν εὐρῶν στίχον Φοίβῳ τίθησι δῶρον.*

Boiscus iste Cyzico novi repertor carminis :

Nam primus versum octonum pedum Deo dicaverat.

Firmianus ad Probum de metris Comœdiarum sic dicit : Nam quod de metris Comœdiarum requisisti, et ego scio plurimos existimare Terentianas vel maxime fabulas metrum non habere Comœdiæ Græcæ, i. Menandri, Philemonis, Diphili, qui trimetris versibus constant. Nostri enim Veteres Comœdiæ scriptores in modulandis fabulis sequi maluerunt Eupolim, Cratinum, Aristophanem, ut præfatum est. Mensuram esse in fabulis, hoc est *μέτρον*, Terentii, et Plauti, ac ceterorum comicorum et tragicorum dicant hi : Cicero, Scaurus, Firmianus, Varro, Victorinus, Cæsius Bassus, Terentianus, Cæcilius Vindex, Sisenna, Cinna, Diomedes, Albinus, Quintilianus, Sosipater Charisius, Helenus, Asper, Flavius Caper, Aruntius, Probus, Plinius Evanthius, Sacerdos qui et Domatus, Juba.

Hæc ego Rufinus collegi mente benigna,

Discipulisque dedi munera pulchra libens.

DES. ERASMUS ROTERODAMUS

DE METRIS.

COMICI Latini multam libertatem sibi usurparunt in versibus, sed nemo largius Terentio: adeo ut apud priscos quoque fuerint qui judicarent, in hujus Fabulis nullam esse carminum legem. Sed hos falli manifestum est. Rursus fuerunt qui non negarunt, ab hoc servari metrorum leges, sed ob immodicam libertatem non esse operæ pretium torqueri doctos carminum dimensione, quod et res sit immensi laboris, nec ita multum inferat frugis. At ego ab utroque genere dissentio: nam, ut manifestius est, quam ut egeat probatione, Terentii Comœdias versibus constare: ita, qui negligendam putarunt metrorum rationem, frequenter Poëtæ ser-

monem corruperunt, dum aliam vocem pro alia subjiciunt, quod nimium sæpe usu venit scribis, in auctoribus solutæ dictionis: dum addunt atque adimunt: dum verborum invertunt ordinem. Nonnihil etiam hic peccarunt eruditi, qui, dum carminum genera distinguunt ac dimetiuntur, parum attentī, interjecerunt verba quædam, ut explerent versus hiatum, aut reseuerunt quod videbatur superesse. Videtur autem studio factum a Terentio, ut dissimulato carmine quam proxime accederet ad orationem solutam: quod idem affectasse videtur Horatius in Sermonibus et Epistolis. Hinc tanta in dimetiendo difficultas, ut existimem ipsum Donatum, aut Cornutum, aut Asperum, si viverent, in locis aliquot vel hæsueros, vel inter se dissensuros. Proinde nos quatruiduanam opellam sunsimus, ut adolescentulis aliquam hujus difficultatis partem adimeremus, non quidem in omnes Fabulas, sed in unam perpetuo, et in ceteris carptim: quo ceu filo adjuti sese facilius e ceteris explicent labyrinthis. Constant autem hujus Fabulæ his ferme metrorum generibus. Iambico trimetro, qui et senarii dicuntur a numero pedum. Iambico tetrametro, qui ab aliis quadrati, ab aliis octonarii dicuntur: monometrum ac dimetrum raro interjicitur. In hoc genere quovis loco pro iambo ponit tribrachyn, spondæum, dactylum, anapæstum, modo totius carminis penultima syllaba sit brevis. Siquidem in hoc versu: 'Nullum est jam dictum, quod non dictum sit prius:' omnes spondæi sunt, excepto ultimo, cujus generis et alios aliquot reperias. Eandem libertatem sumit in trochaicis tetrametris catalecticis, satis habens si totius carminis penultima sit brevis. Illud tamen ubique cavetur, ne vel trochæus ingrediatur iambicum carmen, vel iambus trochaicum. Iambicum tetrametrum interdum in fine fraudatur una syllaba, producta penultima, quoties iambico dimetro acatalectico accinitur dimeter catalecticus. Veluti si, 'jam lucis orto sidere,' accinas 'Cultor Dei memento.' Quanquam in hoc quoque genere usurpatur, cum communis, de qua dictum est, comicorum libertas, tum illa peculiaris, quod pro penultima longa ponit interdum duas breves. Exemplum est in actus quarti scena secunda (Andriæ): 'Jam ubi ubi erit, inventum tibi curabo, et mecum adductum:' hic penultima producta est. Ibidem, 'Orare jussit, si se ames, hera, jam ad sese venias.' Item, 'Hanc expetivi, contigit, conveniunt mores, valeant:' in his pro penultima longa ponuntur duæ breves. Hos versus etiam scazontes appellant. Est scazontis

genus diminutum: quod dimetro iambico accinit duos trochæos, velut in actus tertii scena secunda.

‘Adhuc Archillis quæ adsolent:’ hic dimeter est. ‘Quæque oportet:’ duo sunt trochæi. Contra in aliis additur pes legitimo numero. Interim prior carminis pars est trochaica, posterior iambica, et contra. Admascuntur interdum et cretici, sive amphimacri, qui pes mediam habet brevem inter extremas longas: sic ut singuli versus habeant quaternos aut ternos creticos, nisi quod hic quoque usurpatur libertas comica, sicut in ceteris. Exemplum est in quarti actus scena prima: ‘Ut malis gaudeant, atque ex incommodis.’ Quatuor cretici sunt, nisi quod tertius est spondæus. Ibidem: ‘Tum impudentissima eorum oratio est.’ Tres habet creticos. Quamquam arbitror prius carmen vitiatum mutato dictionum ordine. Etenim, si sic legas, et tamen res cogit denegare, *Ibi tum eorum impudentissima oratio est*, ut posterior versus excipiat synalæpham prioris, carmen probe constat. Quidam tamen malunt hic esse trimetros Trochaicos catalecticos. Iambici trimetri facilius est dimensio, cum penthemimeris finit dictionem. Velut, ‘Effertur, imus.’ Et, ‘Sic cogitabam.’ Difficilior, cum contra: ut, ‘Honestam et liberali: accedo ad pedissequas:’ in ‘be’ cæsura est. Idem efficiunt crebræ synalæphæ: ut ibi, ‘Quæ ibi aderant, forte unam aspicio adolescentulam.’

In tetrametris item iambicis ac trochaicis durior est dimensio, si prior dimeter non finiat dictionem, præsertim si non sit iambus, aut si accedat synalæphe: ut, ‘Meum gnatum rumor est amare: id populus curat scilicet.’ Prior dimeter finitur in ‘ma,’ syllabam productam: et excipitur a synalæphe ‘re id.’ Rursus ibidem: ‘Qui postquam audierat non datum iri,’ &c. Prior dimeter desinit in ‘i,’ admixta synalæphe. Turbat et illud lectorem minus exercitatum, quod interdum repente miscet iambica cum trochaicis, trimetra interdum et dimetra aut monometra cum tetrametris, acatalectica cum catalecticis, cretica cum iambicis ac trochaicis: quod locis aliquot annotavimus in margine. Ea mixtura maxime fit, ubi res sunt turbulentiores. Fit interdum, ut scena prior desinat in hemistichium, et ab hujus clausula incipiat scena proxima: velut in Andriæ actus tertii scena tertia, ‘Sed eccum video ipsum foras exire.’ Dimeter est plenus cum sesquipedale. Perficitur initio scenæ sequentis: ‘Ad te ibam; quidnam est?’ ut sit scæzon tetrameter catalecticus. Nonnunquam dictio, quæ pertinet ad sen-

sum versus sequentis, per elisionem annectitur fini præcedentis: ut in Prologo Eunuchi: 'Qui bene vertendo et eas describendo male, ex Græcis bonis,' &c. Durius est, cum dissecta dictione prior syllaba finit versum, reliquæ incipiunt sequentem, ut Eunuchi actus tertii scena prima: 'Continuo si quando illa dicet, Phædrum intromittamus comessatum, tu Pamphilam.' Elisiones item et synæreses, præsertim minus usitatæ apud recentiores, faciunt ut lector impeditus frequenter hæreat in carmine. Eliditur autem in comicis versibus v consonans, ut in 1. scena: 'Sine invidia laudem invenias et amicos pares.' Rursus ibidem: 'Liberius vivendi fuit potestas, nam antea,' &c. Item in scena tertia: 'Enimvero, Dave, nihil loci est,' &c. Carmen enim incipit ab anapæsto. Et ante in scena prima: 'Enimvero spectatum satis.' Eliditur et s, tum in fine, tum in media dictione. In fine, ut in prima scena: 'Sed quid opus est verbis?' Sed quid opu'st. Elisa simul et vocali e.

Idem fit in 'satis': 'Nec satis digna cui committas,' &c. Rursus in Prologo Andriæ fit in medio dictionis: 'Id isti vituperant:' aliisque locis compluribus, quorum aliquot in margine annotavimus. Interdum elidunt l, ut in prima scena Andriæ, 'Pro uxore habere hanc peregrinam, ego illud sedulo:' ut 'grinam ego il' faciant dactylum. Hanc libertatem frequenter usurpat Homerus, dum s elidit in 'Ὀδυσσεὺς, et l, in 'Ἀχιλλεύς. Sæpenumero contrahuntur vocales, velut in his, 'fuit,' 'Deos,' 'dies,' 'meus,' 'suus,' 'scias,' 'nihil,' 'mihi,' ut sint monosyllaba. Similiter 'ei,' 'hujus,' 'cujus,' monosyllaba ponuntur subinde: 'eorum,' 'meorum,' dissyllaba. 'Liberius vivendi fuit potestas:' 'di fuit' facit spondæum. 'Scias posse habere jam ipsum suæ,' &c. 'Scias posse' spondæus est: et 'suæ' unica syllaba est. 'Meum gnatum rumor est amare.' 'Meum gna' spondæus est. Item 'antehac' dissyllabum est: 'Nam quod antehac fecit.' Frequenter eliditur d in 'quid,' et 'sed' pro vocali, et, sicut in 'periculum' elidimus u, idem hic facit in 'paululum' et 'annulum.' Quin et syllabæ quædam aliter pronuntiantur, quam apud recentiores usurpatæ sunt; velut in 'suspicio' secunda producitur: unde factum est, ut quidam legant *suspicionem*. Rursum in 'cave,' 'vale,' 'mane,' et 'ubi' finalis corripitur. Minimo momento mutatur genus carminis, velut in actus quarti scena 1. Si legas, 'In denegando modo quis pudor est paululum,' trimeter est iam-

bicus. Rursus, si 'In' annectas fini versus præcedentis, versus constabit quatuor creticis: Denegan-do modo-quis pu-dor est paululum. Si in 'modo' facias pyrrhichium, erit trimeter trochaicus catalecticis: Dene-gando modo quis pu-dor est-paululum. Porro inter iambicos tetrametros acatalecticos et trochaicos tetrametros catalecticos tanta est affinitas, ut interdum nihil referat eundem versum utrum per iambos an per trochæos metiaris: velut in actus tertii scena quarta, 'Utinam mihi esset aliquid hic, quo nunc me præcipitem darem.' Si 'mihi' facias unicam syllabam, trochaicus est: si duas, iambicus est: quale est et in actus v. sc. 1. 'Satis jam satis, Simo, spectata erga te amicitia est mea.' Item sequens: 'Satis pericli cœpi adire, orandi jam finem face.' Licet per iambos vel per trochæos metiri. Hujus generis sunt et alii complures.

RIVII CASTIGATIO.

CUM prodiisset anno abhinc fere septimo Terentius, doctissimi viri Philippi Melanchthonis opera diligentiaque restitutus, una cum argumentis ejusdem et annotatiunculis, non mehercle dici potest, quantum hoc nomine statim gratulandum studiosis omnibus existimarim: idque jure adeo ac merito. Videbam enim fore brevi, ut optimus Latinitatis auctor, qui innumeris ante mendis scatebat, nunc paulo castigatior majori cum voluptate, atque adeo majore cum fructu, quam antea, a ludimagistris pueritiæ prælegeretur. Quæ adeo non fefellit conjectura, ut, distractis magno bibliopolarum comodo exemplaribus, rursus excudi cœptus sit Vitembergæ: mox a Joan. Secerio Haganæ: post etiam Norimbergæ: præterea apud Coloniam Agrippinam, ab Euchario primum Cervicorno: iterum a Joan. Sotere: tertio denique a Joan. Gymnico, viro optimo, et mihi vetere necessitudine conjunctissimo. Ad hæc Moguntiæ aliquoties et Argentorati: ut de ceteris taceam. Interim cum ipse quoque eum auctorem studiosis quibusdam enarrandum suscepissem, sensi tandem, id quod erat, Melanchthonem, gravioribus rebus occupatum, utque ipse pro sua modestia ingenue fatetur, veteribus exemplis haud satis instructum, non ab omnibus omnino mendis (absit invidia dicto) Comici nostri Fabulas vindi-

care potuisse. Et jam per totam prope Germaniam nulla facile præter Philippi exemplaria probabantur, aut manibus studiosæ juventutis terebantur. Id eximii viri auctoritas effecerit, an ipsa res atque utilitas extorsit, nihil habeo dicere. Quæ nos quidem res primum movit, ut, perquisitis antiquis exemplaribus et manu scriptis et impressis, locos plurimos depravatos, quos ille inemendatos reliquerat, corrigere conaremur. Quid nostra diligentia consecuti simus, aliorum esto judicium. Hoc certe jure affirmare posse videor, ex impressis nullum uspiam extare hodie exemplar, quo in exemplari plures loci correcti sint, quam in eo, quod nos aliquando in publicum daturi sumus. Id ita esse cum res, ut puto, testabitur, tum editio olim nostra, si cum aliis conferatur. Etenim vi summa jampridem atque omni ope, et plus demum quam pro virili parte, uti omnium ante nos recognitionem vinceremus, annitendum mihi existimavi. Interim locos plurimos a nobis, quanta licuit, cum fide et religione, tum diligentia, studio, labore castigatos, pristinoque, ut opinor, nitore integritatique redditos publicavimus, et quidem nullo majore verborum apparatu: quandoquidem, ut ille canit, 'Ornari res ipsa negat, contenta doceri.' Quod si laude merita, qui unum alterumve in Auctore quopiam illustrant aut restitunt locum, non fraudantur, cur non ipse quoque sperem nonnullam me a studiosis gratiam initurum, qui tot in Terentio locos, fortasse non inepte prorsus, diligenter quidem, et magna cura certe, ab omnibus mendis vitiisque repurgarim? Tametsi haud sane dissimulavero, hærerere ipsum me plerisque in locis, et quædam, de quibus parum adhuc liqueat, ampliari, et quid in his potissimum sequar, haud dum exploratum satis habere, in tanta præsertim exemplarium antiquorum cum dissensione et discrepantia, tum monstrosa alicubi etiam depravatione: ut suis locis ostendemus. Quod cur tandem me fateri ingenue pudeat? Par est autem, quod publicæ a nobis studiosorum utilitati datur, id quale etiam cumque boni consulere. Præstet alius quivis, quantum nos: nec dubitem omni asseveratione confirmare, parum adeo fore, quod in Terentio quis desiderare habeat. Variam interdum ex veterum auctorum citationibus, et antiquorum inter se codicum repugnantia, lectionem indicavi: ita demum, quid mihi videatur, conjecturis subditis ostendens, liberum ut tamen lectori judicium semper relinquam. Qua in re mihi nihil fuit potius, quam ut Donati, ubicumque liceret, fidem sequerer, interpretis undecumque doctissimi,

ab eoque ne transversum quidem, ut aiunt, digitum discederem : sed citra superstitionem tamen, et cum iudicio semper. Ceterum, cum plerosque fore suspicemur, qui, quod carminis rationem ignorent, vix apte satis his de rebus iudicare queant ; visum est subjicere nonnulla hic, quæ velut januam patefaciant, et viam, ut dicitur, præmuniant imperitioribus : quo certius de recognitione nostra iudicium facere et sententiam ferre possint. Igitur comici Plautus et Terentius metro fere utuntur vel iambico, vel trochaico, vel utroque simul confuso. Iambicum vel monometrum est, quod duobus pedibus simplicibus constat : vel dimetrum, quod quatuor : vel trimetrum, quod sex, qui et senarii dicuntur M. Tullio et Fab. Quintiliano : vel tetrametrum, quod octo ; qui et quadrati appellantur, et octonarii. Ex hisce trimetro comici et tetrametro maxime utuntur : aliis raro, et in medio fere (sicuti Priscianus annotavit) distinctionis causa. Quod ad pedes attinet iambici, magna libertate comici indifferenter ubivis ponunt, iambum, tribrachyn, anapæstum, dactylum, spondæum : in fine plerumque, aut iambum, aut pyrrhichium, nunquam nisi in scazonte spondæum. Utitur Terentius sæpe in iambico, pede quatuor syllabarum brevium proceleusmatico, idque per resolutionem spondæi : ut in *Andria* : ‘ Mala mens, malus animus, quem quidem ego si sensero : ’ hic secundo loco est proceleusmaticus. In eadem : ‘ Tibi generum firimum, et filiæ invenies virum : ’ hic prima regione idem pes. Est autem duplex iambici genus : alterum rectum perfectumve vocatur, alterum *σκάζον ἢ χωλίαμβρον* : cujus penultimam in fine longam esse oportet. Utriusque meminit Ovidius, cum canit, ‘ Liber in adversos hostes stringatur iambus, Seu celer, extremum seu trahat ille pedem. ’ Utitur identidem poëta iambico tetrametro catalectico : id est, cui syllaba in fine desit : quo in catalectico, sibi inter alia hoc quoque permittit, ut pro penultima longa haud raro duas breves ponat, quod facile qui versus in suos pedes digerere volet, sic habere comperiet. In trochaicis comici indiscrete interdum dactylos, vel trochæos ponunt, nimirum quo pæne dissoluta et pedestri simillima esse videatur personarum sermocinatio : cujus ipse Priscianus meminit, apud quem Victorinus non minus libere, quam vere ait, comicis, dum quotidianum sermonem imitari nituntur, metra vitare studio, non imperitia ; quod et Terentianus testatur hisce versibus : ‘ Fidemque fictis dum procurant fabulis, In metro peccant arte, non inscitia. ’ Tanta autem affinitas est inter

trochaicos et iambicos tetrametros, vix ut discernere interdum possis: unde nimirum fit aliquoties, ut, quos forte aliquis iambicos esse crediderit, iidem trochaici verius censi queant. Cujus rei cum alia multa exempla sunt, tum commodissimum fuerit ex Andria, scena prima actus quinti: ubi duos primos versus, vel per iambo aliquis, vel per trochæos metiri possit, nisi quod insequentibus versus per trochæos esse metiendos indicant. Inde error eorum, qui iambicos quadratos esse annotarant, cum quivis non rudissimus plane harum rerum trochaicos esse videat. Hic illud obiter, quamvis leve, admonendum puto: mire interdum Poëta de industria sententiam genere ipso metri juvare videtur: velut ibi: ‘Dii boni, boni quid porto? sed ubi inveniam Pamphilum? Ut metum in quo nunc est adimam, atque expleam animum gaudio,’ &c. Ubi trochaici carminis cursu et volubilitate festinationem repræsentat servuli insolenter exultantis, et alacritate nimia gestientis. Quocirca passim trochæos, tribrachos, anapæstos admisit: pedes scilicet, quibus celeritas plerumque a ceteris item poëtis exprimi solet. Similiter in Eunuchō subitum egressum puellæ perturbatæ celeritate ipsa pedum expressit: ubi Phædria: ‘Sed quid hoc est,’ inquit, ‘quod timida subito egreditur Pythias?’ Hoc dedita opera Poëtam ita fecisse, vel illud indicio fuerit, quod, cum ceteri hujus scenæ versus iambici sint, unus hic trimeter trochaicus esse videatur. Et alioqui solet interdum Poëta mutare metri genus, cum ventum est ad *παρασκευῆν* scenæ sequentis: velut in And. act. I. scena 3. et rursus act. III. scena 4. Iterum act. IV. scena 1. In Hecyra act. III. scena 3. Præterea in Phorm. act. II. scena 2. Sic alias sæpe. Tale illud quoque ex Adelphis: ‘Ceteros ruerem, agerem, raperem, tunderem, et prosternerem.’ Cui est aliquod aurium iudicium, is facile sentiet, cur sit Poëta trochaico usus hoc loco: nimirum ut sensum quodam veluti cursu pedum citorum juvaret: quod et principem poëtarum Virgilium sæpe factitasse constat. Nam, ut tarditatem rei difficultatemque exprimere cum vult, crebris spondæis; ita, cum celeritatem et velut impetum et festinationem, dactylis frequentibus utitur. Prioris exemplum illud est ex tertio Æneidos: ‘Annixi torquent spumas et cærulea verrunt.’ Posterioris illud ex quarto: ‘Idem omnes simul ardor habet, rapiuntque ruuntque. Littora deseruere,’ &c. Sed nimis multa, de re præsertim levi. Observabit hæc aliæque id genus per se ipse lector studiosus. Illud non ignorandum. co-

micos s literam consonantem haud secus elidere solitos, ac si vocalis esset, idque frequentissime: quod et Ennium in heroicis, et vetustissimos quosque facere consuevisse, ut et Virgilium interdum, docti annotarunt; velut in *Andria*, ‘*Herus me relictis rebus jussit Pamphilum:*’ hic prima regione anapæstus est, s eliso. In *Eunucho*: ‘*Jugularas hominem: quid ille?* *ΤΗ. Mutus illico.*’ Hic in verbo ‘*jugularas*’ s eliditur: ut sit secundo loco anapæstus, tertio iambus. Nisi quis dicere ausit pronomen ‘*ille,*’ velut ablato altero l, corripit, more imitationeque Græcorum, quod (ut ego sentio) paulo fuerit coactius. Quamvis apud hosce fateor alteram nonnunquam de geminatis consonantibus in versu tolli *κατὰ παράλειψιν*, quo syllaba positu longa corripit queat. Et solent Latini in multis (ut diligenter annotavit Priscianus) initium aliquod accipientes a Græcis, ab angusto in effusum licentiæ spatium hoc dilatare. Sed hoc suæ cujusque conjecturæ relinquo. Illud quidem non est ut inficiari queam, videri interdum l elidi apud comicum nostrum, quoties adest pronomen ‘*ille:*’ ut in *Eunucho*: ‘*Manendum est soli sine illa? quid tum postea?*’ In *Heauton*. ‘*Nec tibi ille est credere ausus, quæ est æquom patri.*’ In *Adelphis*: ‘*Quid is fecit?* *ΔΕ. Quid ille fecerit? quem neque pudet.*’ In *Hecyra*: ‘*Non tibi illud factum minus placet quam mihi, Lache.*’ In *Phormione*: ‘*Ille qui illam amabat fidicinam, tantummodo,*’ &c. Sunt id genus sexcenta apud Terentium. Fuisse autem cum non geminaretur l in hoc pronomine, videor ex *Sex. Pompeio* deprehendisse libro 1. *Παρελλείψει* contraria figura est *διπλασιασμός*, qua ipsa frequenter Poëta utitur ad producendam syllabam alioqui brevem: ut in *Adelphis* ‘*reliquum*’ pro, *reliquum*, et alibi ‘*rettuli,*’ ‘*repperi,*’ atque id genus alia. Sed pergamus. V quoque consonantem Comici perinde ac vocalem in media dictione elidunt: quod apud Terentium in dictionibus ‘*invidia*’ et ‘*enimvero*’ fieri videmus: apud quem ipsum ‘*cujus,*’ ‘*hujus,*’ ‘*ejus,*’ similesque particulæ monosyllabæ fere sunt: quod ita demum frequens est, ut non putem de eo subjicienda exempla. Illud præterea sæpenumero usu venit, ut prima versus sequentis, qui a vocali incipiat, ab ultima superioris absorbeatur; velut in illo: ‘*Ex Græcis bonis Latinas fecit non bonas:*’ ubi ‘*Ex*’ absorbetur ab adverso ‘*male,*’ quo versus præcedens clauditur. Et in *Prologo Hecyræ*: ‘*Ego interea meum non potui tutari locum.*’ Prior syllaba in pronomine ‘*Ego*’ pertinet ad versum superiorem. Con-

tra, apud Virgilium, ultima præcedentis initio quandoque insequentis absorbetur: quale est: 'Ecce furens animis aderat Tyrinthius, omnemque Accessum lustrans.' Cujusmodi versus ὑπέρμετροι dicuntur, sicuti præter alios Diomedes ostendit. Qualis ille etiam, apud Terent. in Andr. 'Tuus pater modo meprehendit, ait tibi uxorem dare sese Hodie:' item alia multa, &c. Sic enim ex observatione antiquorum codicum legimus; nec secus Donatus, ut quidem et Romana habet et Veneta editio, consentientibus et aliis quibusdam. Hic igitur illud 'se' in fine prioris absorberi necesse est initio sequentis, quod et alias fit apud eundem. Sunt autem versus trochaici, et, qui volet metiri, sic plane habere comperiet. Talis est ille ex Hecyra: 'Disjunxit illum ab illa, postquam et ipse sese Et illam et hanc quæ domi erat cognovit satis.' Tales etiam apud Plautum sæpe occurrunt: velut in Aulularia: 'Censen' talentum magnum exorari potesse Ab istoc sene,' &c. Quid autem mirum, si in trochaicis iambicisque reperias ὑπερμέτρος, cum in Sapphicis etiam invenias apud Horatium? Utuntur Comici et diæresi identidem, quomodo in Adelphis 'jam' semel atque iterum disyllabum legitur, ut et apud Plautum nonnunquam. Ita apud Catullum, 'soluit:' apud Horatium, 'sylvæ:' apud Statium, 'suāsit.' Et contraria huic figura Synæresis, quæ et ἐπισυναλοιφή dicitur, qua duas in unam syllabam contrahunt: ut, 'servibas,' pro, serviebas; 'scibas,' pro, sciebas: sicuti apud Virg. 'Ferrique Eumenidum thalami,' et sæpe alias. Frequens etiam est apud Terentium in versuum mentione συναλοιφή, quæ fit, cum in diversis dictionibus vocalium inter se coëuntium altera velut obliteratur, et ἐκθλιψις, quoties m cum vocali præcedente excluditur. Quanquam non semper idem elidi solitum apud Veteres testatur Priscian. lib. 1. velut apud Terentium in Eunnuchi act. 111. scena 3. 'Una ire cum amica imperatorem in via.' Est enim secundo loco tribrachys. Quod si m elidatur, erit ibidem pyrrhichius, cui nullus in iambico locus. Sic alibi: 'Primum istam, quam habes, unde habes vestem? taces.' Eodem modo apud Juvenalem, 'Cum propter plurima tum his Præcipue causis,' Satyra 1x. De figuris ceteris nihil hic dicendum puto.

ANTONIUS GOVEANUS

DE VERSIBUS TARENTIANIS.

TARENTIANI versus aut iambici sunt, aut trochaici. Iambici pedes duos recipiunt, iambum et spondæum, et in quos ii dissolvuntur, nullos præterea. Trochaici item duos, trochæum et spondæum, et in quos ii dissolvuntur, nullos præterea. Iambici aut monometri sunt, aut dimetri, aut trimetri, aut tetrametri. Monometri unam habent mensuram, hoc est, pedes duos, duas dimetri, tres trimetri, hoc est, pedes sex, unde a Latinis senarii dicti sunt. Tetrametri quatuor, hoc est, pedes octo: qui et octonarii a Latinis, et quadrati, et longissimi dicuntur. Monometri et trimetri justæ semper sunt mensuræ, et veri semper iambici, hoc est, pedem ultimum semper habent iambum. Dimetrorum et tetrametrorum justæ quidem sunt mensuræ, qui acatalectici vocantur, iique veri semper apud hunc auctorem sunt iambici. Injustæ quidam mensuræ sunt, et ii non semper veri sunt iambici, sed ut plurimum spondæum aut dactylum ultima sede recipiunt, dicunturque Scazontes. Injustæ autem esse versus mensuræ modis duobus accidit: aut enim justo syllaba minores sunt, aut majores: illi, catalectici; hi, hypercatalectici sunt nominati. Dimetri ut multi sint catalectici, ita nulli hypercatalectici reperiuntur. Nunc trochaici aut dimetri sunt, aut tetrametri, catalectici omnes, vel hypercatalectici, et ii octonarii: nulli siquidem dimetri hypercatalectici sunt. Nimis fuere ingeniosi qui denarios versus in Terentio sunt commenti, qui pentametros iambicos, qui dimetros redundante pede, qui dimetros creticos, qui creticos monometros redundante pede, qui e cretico uno versum brevissimum, qui creticos in quibus pro cretico poneretur molossus, poneretur et iambus, qui senarios iambicos hypercatalecticos, qui monstra illa versuum e trochaicis et iambicis conflata. Porro nec ab iambicis ad trochaicos, nec ab iis ad illos transit Poëta, nisi (quæ vetus doctorum fuit opinio, longo a me intervallo renovata) res id aut postulet, aut certe ferat. Quomodo autem id res aut postulet, aut ferat, suis locis in iis Commentariis docebitur, quos in Terentium paramus. Quæ poëtarum more licere sibi voluit Terentius (quæ quidem pauca sunt) hæc animadverti: in unam contrahit syllabam, meus, tuus, suus, Deus, Deum, Deos, Dæ, prior, puer, rei, eho, fuit, ea: in duas, eadem, eodem,

duarum: dissolvit, jam, in syllabas duas; in tres, vero; in quatuor, virginem; in quinque, ejusmodi. Redducere, reductus, relliquus, geminata effert consonante. Literam, quæ in, optimus, extrema est, tollit frequentissime: extrema prioris versus vocali est cum ad inchoandum sequentem utatur: est cum, si forte vocalis sit, a vocali quæ sequentem inchoat versum elidi velit, quemadmodum quæ sequentem inchoat ab ea interim absumitur vocali quæ præcedentem cludit. Hæc judicio nostro sunt, quæ de versibus Terentianis et præcipi debuerunt necessario, et vere poterunt.

JULII CÆSARIS SCALIGERI LIBER, DE COMICIS DIMENSIONIBUS.

Ad Silvium Cæsarem filium.

QUIBUS artibus poëtarum ingenia excolerentur, cum esset a nobis duobus libris explicatum; non prius absolutum fuisse opus illud videbatur, quam addita de versibus comicis commentatione institutum teneremus. Nam, cum de origine, generibus, partibus Fabularum, quæ in scenam afferrentur, et ab aliis olim, et a nobis ipsis suo loco sit disputatum; in animo habebamus, totum hoc negotium legare iis, qui de pedum quantitate, deque versuum ratione conscripserant. Verum, cum et maximus vir Erasmus, et post eum plerique alii ita hanc conficere provinciam aggressi sint, ut et ille his non pauca reliquisset, et hi eadem illa aut nescisset, aut præterisset visi sint; coactus sum, Silviolæ fili, hac quoque opera ostendere animum erga te nostrum: ut, quem in locum naturæ ope te ipsum evehere mirabamur, nostris auspiciis promoveri ac provenire eo possis. Nam, cum pernecessaria per se cognitio est ipsa, tum etiam si non esset, videntur tamen viri illi talem effecisse; sive ad eorum magnitudinem intueare, quam ad hujusmodi lucubrationem demisissent, sive negligentiam spectes, qua mutilam depravatamque relinquerent. Ac primum quidem quam Erasmus affert, vereor ut accipienda sit dubitatio: sit, necne certis pedibus astricta Comœdia. Nam, quanquam Quintilianus hoc dixisse videtur, non tamen pedum leges potius, quam trimetrorum præscriptionem desideravit: necne in omnibus, sed in

Terentianis tantum : quarum gratiam, quam elegantia orationis atque puritate consecutæ essent, diminutam putabat licentia versuum longiorum : cum tamen Plautus nihilo sit in trimetris frequentior. Hoc autem amplius eadem in quæstione peccat Priscianus : quosdam esse, qui in Terentii Fabulis extare metra negent, atque eosdem tamen ait, illa quasi arcana quædam, sibi que solis cognita profiteri. Quid enim est hoc ? negare numeros in versu quopiam, eosdemque numeros in eodem versu se solos dimetiri posse ? Hanc sententiam more suo de illo mutuatus Erasmus, commodiorem fecit : dividit enim eam, ejusque partes ad diversa refert judicia. Alios inquit negare, alios quasi inutilem eam investigationem existimare. Quorum utrumque cum ipse rejecisset, quod erat priore loco, merito quasi judicatum omisit. Alterius autem rationem hanc reddere instituit : non operam perdere nos indagandis versuum generibus : hac enim diligentia effici, ut, quæ librariorum incuria transpositæ voces sint, suis eæ sedibus restituantur. Ego vero neque hoc esse necessarium video, et plus conferre ad solutæ orationis libertatem. Nam neque ubivis transpositæ voces versus tollent connexionem : et frequentissime deprehendimus ob numeri necessitatem ita transpositas, ut, si eandem sententiam in epistolam sis allaturus, cogaris aliis sedibus digere : veluti cum Terentianus Simo ait : ‘ Si sensero hodie quicquam in his te nuptiis Fallaciæ conari, quo fiant minus.’ Nam priore versu multa invertas sine dispendio numerorum : in altero autem et quotidiano sermone, et forensibus contentionibus aliter loquere. Itaque, si librarii ita scripissent : *Fallaciæ conari, quo minus fiant* : ex eorum temeritate hoc fructus capiamus, ut minore negotio imitemur. Hoc igitur non negamus nos, versuum legibus duci nos ad verborum sedes investigandas : sed in eo ullam esse utilitatem, hoc negamus : immo vero conducere interdum magis, si transposita sint, quo ordine orationem nostram instituamus. Sed profecto hac opera plus fuit laboris sumtum, quam captum utilitatis : ut non sine causa miraremur, summos viros tantum studii in dimetiendis illis versibus posuisse, Priscianum, Donatum, Asperum, Jubam, Scaurum, Probum, Sulpicium, Varonem ipsum. Quorum frequentiæ cum mihi in mentem venit, apparet illico aut obscura diligentia, qui infecto negotio eguerint successore ; aut res ipsa perdita, quæ vel ab uno alterove tantorum virorum nequiverit confici. Quare ea quoque causa, sed po-

tissimum ea, inquam, esse potuit, ut ad hanc contemplationem studium nostrum adhiberemus. Neque enim sola res petenda jam est nobis, sed ipsa contentione de clarissimis auctoribus victoria reportanda. Atque, ut eorum judicia hac quoque in parte emendemus, simul ad hanc operam incitemus ingenia literatorum: ut non minimam pronuntiandi rationem ex hac commentatione consequi sese posse putent: quemadmodum cum intellexerint neque aspirationem, neque sibilum, neque mutam inter se conspirare potuisse, ut prima syllaba in voce hac, 'isthic,' produceretur. Qua in voce eadem qui putant sibilum extrudi in pronuntiando, neque morem servarunt, neque etymologiam observarunt. Nam *Æoles*, quos Latini maxime sunt imitati, quod alii *ἔσθλον* dicerent, ipsi *ἔσλον* pronuntiabant: ita in verbo, 'isthic,' satius fuit mutam abjicere: et fuit ratio: nam 'is' pronomen integrum manet: cauda autem illa, quam vocant syllabicam adjectionem, nullo dispendio expuncta etiam leniori relinquit locum conjunctioni. Præterea multis in locis animadvertas, posituram consonantium non producere vocalem: sed suapte natura niti brevitate: ut: in, sed, ad, quod, aliud, simul: in quibus qui putarunt oportere postremum elidi elementum, vehementer errarunt. Sed longe facilius in disjunctis vocibus correptam vocalem tenere, quam in conjunctis. At in conjunctis ita pronuntiabant, ut positura nihil afferret moræ brevitati. Sic 'insidias' et 'inferos' primam producere dixerunt: 'indicationem' autem et 'incautum' corripere. Quare, si hoc in uno tractu ac tenore faciebant, multo commodius interposito eo intervallo, quod separatis vocibus debetur, efficere debuere; nam, si dicas, 'in sedibus,' atque ibi præpositio brevis sit, quæ in ea compositione longa fuisset; quanto aptius brevis erit, si dicas, 'in diem:' quæ si compones, brevis quoque erit? Præterea animadvertemus, quam celeriter multas vocales pronuntiando expediverint, ut etiam cum sequentibus obscurarint. Sic enim in illis: scias, suæ, tuæ, fuit, dies, Deos, prius: quæ efficiebant monosyllaba: ita ex duobus comparativis, potius, melius, duos constituebant pyrrhichios. Nam quemadmodum mensuremus versum illum ex *Andria*? 'Dabit nemo: inveniet inopem potius, quam te corrumpi sinat.' Necesse enim est ex duabus vocibus his, 'potius, quam,' unum pedem fieri: quod ut efficias, multa prius ac mirabili eget interpolatione. Ergo vulgo ita quoque locutos puto, non laturos scenarum barbariem, quæ de medio sumeret sermonem. In hac tamen re et dis-

ceptarunt multi, et non pauci errarunt: sicut et illi, qui reddere voluerunt rationem versuum: cum alii essent curtissimi, alii adeo longi, ut mihi libeat cum Plautino trapezita joculari, dum unum scribo, explevit mihi totas ceras quatuor: quantus ille est ex Eunucho: 'Et magnifica verba: verba dum sint; verum, si ad rem conferentur, vapulabit.' Quanquam, hic quoque ab illis dissentio, aioque duos versus esse: priorem trochaicum dimetrum brachyca-
talecticum, alterum octonarium. Nam sic pronuntiavit, ut, cum dixisset, 'Et magnifica verba,' substituit, affixitque ibi propositum in verbis: postea simul cum re mutavit sententiam, ut pro factis facta redderet, et verbera minitaretur. Priscianus distinctionis causa breviores insertos versus dicit. Verum neque ille, distinctio hæc quid esset, declaravit: neque nos, quid sibi velit, sane scimus. Nam quæ distinctio esse debet, non solum eadem in scena, sed etiam persona? quæve in prima scena gravissimæ Comædiæ Amphitryonis? Ipso enim ingressu statim nusquam sibi constat. Aut qualem in ea scena, in qua Pamphilus de patris duritia queritur? qui in eodem argumento propositoque perstaret conquestionis, et tetrametris illud inseruit dimetrum: 'Quod si fit, pereo funditus.' Alii, ut sibi videbantur, acutiores, e rebus ipsis duci, non solum pedum statum, aut cursum, sed etiam versus tractus prodidere: in re perturbata mutari versus, pedesque ipsos confundi: in celeritate trochaicos trudi: gravibus personis statarios sermones confieri ex spondæis. Afferunt huc non tam pro teste, quam pro iudice Virgilianam prudentiam, divinam illam sane mihi: qui rem verborum nitore ac numerorum concinnitate oculis subiciat. Ego vero, ut horum diligentiam veneratus sum, quam equidem tanto studio in meis poëmatibus exprimere conatus fuerim; ita in Comædiis falsam simul atque supervacaneam animadverti. Nam, si in personarum statibus diversis, si in contrariis negotiis, si in Fabularum partibus, maxime inter se dissimilibus, idem pes, idem pedum ordo, idem carminum genus ostendatur; jam nulla causa est, quin horum sententia, tanquam vana, explodatur. Ergo in divina Fabula, ac vere thesauro, quam levi nimis de causa Trinummi inscripsit Plautus, protasis trimetro iambico tota constat: item epitasis, tum catastrophe; Stichus e contrario, tota trochaicis longis. In Mostellaria adolescenti Philolacheti, homini perduto luxu, atque otio corrupto, quique unam modo rem ageret, ut inserviret ventri, dati versus sunt omni pedum poëne genere

pleni. Tranioni autem servo trepido, in re desperata, versus compositi, atque sibi ipsis constantes. Seni Teuropidæ, viro gravi, parco, læto, aucta re, amoto maritimum metu periculorum, senarii iambici. Quid gravius Amphitryone? quid magis statarium quam finis Fabulæ conversæ? concluditur tamen Fabula trochaicis. In Sticho autem tam iambis potant, quam trochæis. Gurgulio, currens in re nova, novo nuntio vehitur trochæi rotis. At Acanthio in Mercatore haud absimili in re quadratis utitur iambicis: at iisdem in Terentiana Phormione Geta pari in negotio. Ergasilus vero parasitus in Captivis, tam trochaicis, quam aliis: cum tamen similem ageret cursuram. Quemadmodum et Dinacium puer, in Sticho, nuntii auctor novi, utrisque mistim usus est. Præterea trochaicis Harpax Cacula militaris in Pseudulo, dum lenonem quærit. Trochaicis Erotium meretrix in Menæchmis, ut obsonium comparandum curet. At e contrario trochaicis Lysiteles adolescens, et gravis, et frugi in Trinummo: et Chremes senex, vir bonus, ac prudens in Andria, seria in primis de re, paterno animo, constanti conquestione. Quod si ad Davum respiciant, qui sequenti scena jam otium atque tranquillitatem impetrando sibi, bellissimos fundit trochaicos, jam ipsi illa de celeritate aliquid consultius remittant. Poëtas profecto istos comicos nostrates, ut in mentem venerant, res arripuisse, eisque numeros accommodasse reor. Isti vero legumlatores novi, plerique hoc suis obtinent ingeniis peculiare: semel alicubi si quid deprehendere, illico pro lege habent. Atqui longo multoque opus est studio, est opus consilio prudenti, acri iudicio opus est: quanquam equidem non negarim, Fabularum initiis, ubi animos auresque spectantium trimetris versibus imbuissent, ipsi sibi suo quasi jure agerent, deinceps interspersis alicubi ejusdem generis senariis, idque neque semper, neque coactos, neque consulto factitasse existimamus. Fuit tamen hoc illis in more positum, ut narrationibus trimetros majore ex parte adaptarent: neque solum in argumentis, aut prologo, aut protasi, sed etiam apud personas eas, quæ etiam aliud agerent. Quemadmodum cum Davus in Andria, de aliis rebus loquens, alia utitur versuum dimensione: ubi ad narrationem deventum est, de navi fracta apud Andrum, ad trimetros divertitur: 'Ad hæc mala, hoc mihi accedit etiam: hæc Andria.' Eadem diligentia in epistolis. In Pseudulo ab longis in senarios deflectitur. In Asinaria quoque, quod pactum con-

scriptum est inter adolescentem et lenam, senariis expletur: quoniam sit narratio quædam: quanquam ne hic quidem semper. Nam longis versibus narrat in Rudente Grippus, eventis fortunæ sese bene acceptum. At in eadem senex somnium trimetris. Ex utrisque vero, atque etiam aliis mistis Sosia Amphitryonis: quanquam, ubi ad manus ventum est, iamborum vim atque alacritatem minutiore gyro flectit ac vibrat. Cum igitur tam inconstantem legem videamus, ut illis poëtis neque curæ fuerit, uti facerent, neque salvo puri sermonis nitore efficere potuere, uti numeris essent astrictioribus; nos sic inventa, aut quemadmodum existunt, permittamus, aut si quid sinistri sese offerat, ne odiose extorqueamus: præsertim cum licentiæ vitium cum Græcis, unde sumsissent, sibi commune, licentia, uti solet, auxere. Illud vero, quod aliqui dubitando, quidam etiam asseverando negabant, Fabulas Terentianas trimetris circumscriptas, falsum esse deprehendimus. Nam et apud eum poëtam plus esse hujus carminis invenies: et contra, apud Plautum quadratos, aliaque longiorum genera. Andria pæne ex æquo divisa in utrumque genus est. Haud enim ita multo ab longis senariorum numerus superatur. In Eunuchis, et Heautontimorumenos, item. At in Adelphis pæne ex quadrante longi ab senariis exceduntur. Phormionem potior senariorum numerus conficit. Hecyra laxior fabula, ac pedestrior est: itaque, omnium Terentianarum, ad sermonem quotidianum quam proxime accedit: est tamen in ea senariorum plus tertia parte. At contra, Plautina Amphitryo, et Rudens, vix totus quadrans expletur senariis. Asinaria, Epidicus, quam tantopere ipse auctor laudat, Mostellaria, Menæchmi, Miles, Mercator, Pseudulus, Aulularia, Casina, Gurgulio, Bacchides, aut ex utrisque æque constant, aut etiam minus habent senariorum. Captivi vero, et Persa, et Pænulus plus dimidio textæ sunt longis. Trinummus legebatur hactenus tota quadratis, aut non multo brevioribus. Eam nos ita restituimus pristinae sinceritati, ut ad quingentos senarios excusserimus. Quorum tamen numero præstant longi versus duplo. Quam operam etiam cum Truculento impendissemus, paulo minus ducentis reformatis, tantam longiorum invenimus multitudinem, vix ut illorum hi essent pars quinta. Atque is labor non temere susceptus est: cum tam facile mendacium Quintiliani auctoritate tegetetur. Nam isti magni viri, dum nihil inexcussum volunt, et fastidiunt leviora, plus profecto nominis usurpant, quam ponant operæ. Quemad-

modum Priscianus quoque, cui de anapæsto sententia excidit satis absurda, cum dixit: Erit autem probabilis iambicus versus, et tragædiis aptus, si secundum et quartum pedem non alios feceris, quam iambos, aut eum, qui tribrachys est, aut anapæstus: quoniam sunt pares. Qua enim audacia fretus anapæstum tribracho parem dixit? Nam quod ait paribus sedibus anapæstum recipi, verum est. Sic enim extat in Pluto Aristophanis: *Ὡς ἀργαλέον πρᾶγμα ἔστιν, ὦ Ζεῦ καὶ Θεοί.* Et bis in eodem versu: *Οἱ δ' ἐξετρέποντο, κ' οὐκ ἐδόκουν μ' ὀρᾶν ἔτι.* Verum hoc est illi adeo frequens, ut nullus pudor Latinis sit jam futurus, quibus linguæ ratio persuasit, ne hoc attentius curarent: præsertim cum Tragædia quoque hoc admiserit, gravius sane ac longe castius poëma. Observantior Sophocles: Euripides minus obnoxius: nam minus pepercit illis sedibus: *Γλῶτταν δ' ἐπιορκήσασαν ἰδίᾳ τῆς φρενός.* Et in Hecuba: *Κεῖ σμίκρον ἔχοιμι, πάντ' ἂν ἀρκούντως ἔχοι.* Neque solum anapæstum paribus sedibus posuit illis, sed etiam in ultima, ut in Oreste: *Αὐτουργός, οἵπερ καὶ μόνοι σώζουσι πόλιν.* Quem si tribrachyn voces, syllabam nunc respicias, non legem illam, qua ultima habetur indifferens. Erasmus autem recte sedibus imparibus dicebat, pro iambo receptum spondæum, dactylum, tribrachyn, anapæstum: proceleusmaticum autem omisit, quoniam excidisset memoria: et creticum, quem sane putaret non admitti. Nam, si in eam sedem posse recipi sperasset, non multa carmina subvertisset. Proceleusmaticum autem proxime ad naturam dactyli accedit, differens syllabarum numero, temporum tractibus par. Tribus autem modis excipitur pes ille. Aut enim mollis est, atque adminiculis quibusdam similior factus dactylo: ut, 'Genua labant:' 'Ariete:' 'Parietibus.' Duabus enim vocalibus constitutis, prior consonantis vim quandam videtur obtinere. Aut est apertior, ut in versu Enniano: 'Capitibus nutantis pinus, rectosque cupressos.' Aut est coactus, ademptis consonantibus quibus syllabarum brevitatis impeditur: cujusmodi est in Andria: 'Sine invidia laudem invenias, et amicos pares.' Itaque ad eum versum cum devenisset Erasmus, neque agnoscere vellet proceleusmaticum, quem in suis legibus non constituisset, et putaret duriuscule fieri, si Æolicum digamma auferretur, ut exiret proceleusmaticus; sustulit tamen, ut exciperetur tribrachys in duabus prioribus syllabis hujus nominis, 'invidia,' et ex duabus postremis vocalibus una syllaba concreta esset. Verum, ut in natura, ita in

arte illius imitatrice faciendum nobis est, nihil aut otiose, aut superfluo agere. Ergo, ut constet ratio dimensionis, si recipias proceleusmaticum, unum tantum moliris, cum tollis digamma. Si malis tribrachym, et hoc tibi idem curandum est, ut tollas: et præterea duabus confertis syllabis obscuranda oratio. Nam, si nihil refert pronuntiesne ‘invidia,’ an ‘invida,’ quid intelligamus? quod si (ac verius quidem est) ita pronuntiemus, ut quasi sonum consonantis prior vocalis obtineat, jam non sit tribrachys amplius, sed anapæstus. Nam ita pronuntiari in quibusdam proceleusmaticis jam diximus, et apparet ex illo versu Poëtæ: ‘Stellio, et lucifugis congesta cubilia blattis.’ Et apud Horatium: ‘Ut Nasidieni juvit te cœna beati.’ Nam idem nomen aliter: ‘Nasidienus ad hæc.’ Quare in priore versu, omnes erunt spondæi præter quintum. Sic enim etiam Catullus, ‘pituitæ’ primam cum produxit: ‘Mucusque et mala pituita nasi.’ Non corripuit Horatius: ‘Nisi cum pituita molesta est.’ Sed trisyllabum posuit: ita ut media litera Æolicum sit digamma: quod et elicitur ex judicio Ælii Stolonis, qui a petendo vitam duci ratus est. Verum quod in ‘invidia’ fecit, ut unam ex duabus efficeret syllabam, commodius confecisset in ‘injuria,’ illo versu: ‘Quo jure, quaque injuria præcipitem me in pistrinum dabit.’ Sicut in ‘perfidia,’ Prologo Amphitryonis: ‘Non ambitione, neque perfidia, qui minus.’ Id quod si animadvertisset, non sustulisset pronomen ‘me,’ quod magna cum emphasi ac gestu ad timorem personæ positum est: et omnibus in exemplaribus legitur. Tolli autem Æolicum elementum in ea voce, palam est etiam versu illo Phormionis: ‘Qui sæpe propter invidiam adimunt diviti.’ Neque enim mirum est adventitiam literam de medio tolli quasi peregrinam. Est enim ‘video,’ ἰδω: sicut in verbo ‘vivo:’ fuit enim βῖω: eo versu: ‘Liberius vivendi fuit potestas, nam antea.’ Puto enim non admodum vegetam contentamque fuisse literæ illius pronuntiationem, sicuti neque in ‘ovo,’ neque in ‘ove,’ cum libitum esset: quæ, ut asperrima est apud Germanos, ita pæne vocalis apud Vascones, non consonans: nedum ut duplex uspiam sit. Sed nequaquam par ratio fuit aut necessitas, ut elideretur idem digamma, in verbo hoc, ‘inveniet,’ eo versu ex Andria: ‘Dabit nemo: inveniet inopem potius, quam te corrumpi sinat.’ Nihilo enim mutatur versus dimensio, sive tollatur, sive relinquatur: quare, contra quam sensere, nullo pacto debeat tolli. In conjunctione quoque hac, ‘enimvero,’ durius fit,

si eximatur. Quid enim esset, 'enimero?' Sed unam syllabam fuisse, 'anim,' cum vellent arbitror: siquidem Græcum fuit ἄν, ἄνι. At quasi pro consonante accepere, ut ostendimus, in 'Stellio,' 'invidia,' 'injuria.' Quod si cui paulo asperior videatur pronuntiatio; is non meminit, ea ratione, 'cui' esse monosyllabum: et 'Pompei' disyllabum: et 'Cai' monosyllabum, et 'hui:' et, quod omnium durissimum est, 'huic.' Proceleusmaticos autem aliis duobus versibus animadvertere quidam, utroque ex Andria: 'Mála mens, malus animus: quem quidem ego si sensero.' 'Tibi generum firmum, et filiæ invenies virum.' Ac de priore quidem non est disceptandum. In posteriore autem mollior est: propterea quod antiqui pronomina, 'mi,' et 'ti,' monosyllaba pronuntiabant ab Æolensibus accepta, μὲν, τοῖ: tu, τὸ: τὲ, te. Sic enim in Gurgulione accipiendum est: 'Curato: ego tibi quod amas, jam huc adducam.' 'Tibi' proceleusmaticum hic quoque facient, neque errabunt. Hoc tantum agebamus, ut intelligeres secundio rem fluxum earum syllabarum ad proceleusmaticum, quarum duæ in unam redigi atque coalescere possint. De cretico autem, quem isti omni conatu subterfugere, pluribus rationibus atque exemplis est disputandum. Nam, si in heroicum admittitur, si in Tragædia, quod est poëma clarum, nobile, elatum, castum, locum invenit; quare in medium ac vulgatum sermonem non recipiatur? Est igitur apud Poëtam: 'Et naufragum Scyllacæum.' Dicent non fuisse emendatum librum. At Vari et Tuccæ iudicio emendatum fuit hoc. At est in emendatissimo libro Georgicon, quod supra adduximus: 'Stellio, et lucifugis.' At est Euripidæ cum alibi, tum in Hecuba: *Δνοῖν δὲ παῖδων δύο νεκρῶ κατόψεται*. Cum tamen dicere potuisset: *παῖδων ἑνοῖν*. Itaque nos quoque in Nemesi, studuimus gravitati, et auribus: 'Heu genus nefandum.' Nam, abjecta interjectione, exsanguis oratio est: item si dicas, 'Heu gens nefanda.' Et alio loco posuimus, 'sinistra: potuisset dici, 'scæva.' Sed paucis aures poëticæ datæ sunt. Præterea, si dactylus et anapæstus in iambi loca suffecti sunt, quorum utervis una illum et syllaba et tempore superaret, quare eam licentiam sermonis eadem puritas non coëgerit recipere quasdam voces, in quibus esset creticus? præsertim cum e puris creticis aliquot versus constent. Præterea, ea nomina, verbaque, Deus, dies, fuit, mea, sua, tua, eo pertinent, ut, cum collectionem in unam syllabam patiantur, doceant nos in cretico idem quoque fieri posse, ut emolliantur

pronuntiatione. Ad hæc, si omnium morosissimus pes, ac pæne ferus, ἀντιβακχίος, in heroicum receptus est apud Homerum; cum Αἰγύπτιον, et ἀνδροτῆρα, facit ut dactylum primoribus syllabis amplectantur, nulla causa est, quin rationes etiam auctoritatibus fulciantur: quas Erasmus si diligentius recensisset, non transtulisset præpositionem, ‘ex,’ in Eunuchi prologo: sic, ‘Qui bene vertendo, et eas describendo male, ex Græcis bonis, Latinas fecit non bonas.’ Quod equidem ut non improbo, ita consilium non laudo, quo adductus est, ut id faceret, ob amphimacrum vitandum. At, si his rationibus non acquiescat, exemplis saltem credere cogatur: quæ quanquam habebam pæne infinita, tamen et multa omisi, in quibus possent tergiversari: et alia firma pæne innumera, ne tædium parerent. Paucis igitur contenti simus. Ex Hecyra igitur cum illud possemus adducere: ‘eam calamitatem vestra intelligentia:’ supersedimus duabus de causis: quoniam et ipsi liquidam non geminant in postrema dictione: et nos, pronomen, quod primo loco positum est, monosyllabum agnoscimus; quare audiamus ex Asinaria: ‘Forte si tussire occæpsit, ne sic tussiat.’ Puto autem sic legendum præcipient: *Fors si tussire*. Nam ii magis erunt ferendi, quam qui putabunt conjunctionem, si, corripit: ut in, nisi, et in, siquidem. Quare alia quæramus. Ex Gurgulione: ‘Sitit hæc anus, quantillum sitit; modica est; capit.’ Item in his duobus, binos: ‘Pervelim sepultam: sed quom adhuc naso odos meo.’ ‘Sedatum te: quam longe a me abest: lumen hoc vide.’ Videamus alios multos, in eadem: ‘Sed grandiosem gradum ergo fac ad me obsecro.’ Ubi, fac, longum est contra recentiores. ‘Salve anus: egon’ salva sim, quæ sicca sum siti? Jamne ego kuic dico? quid dices? me periisse, age.’ Item ex Andria: ‘Sive ista uxor, sive amica est, gravida e Pamphilo est.’ Quo e versu ut creticum tolleret, non veritus est universæ orationis detrudere ornamentum: pronomen illud scilicet, quod in secundo loco statim legitur. Videamus ergo etiam ex Eunucho: ‘Quæ cum amatore suo cum cœnant liguriunt.’ Nam hic non possumus effugere, quin aut prima in sede creticus sit, aut in quinta; nam, si secundam vocem non collidas, sed integram relinquis in dimensione: sicut frequenter fit, et Plautus voluit sibi licere in Pseudulo: ‘Si de damnosis natis, aut de amatoribus:’ creticus sit inevitabilis in quinta. Nam prima syllaba natura, non positione longa est. Cœnare enim mediam natura producit. Sin collidas, jam in prima

sede hoc eveniat, eadem validissimus ratione: qualis etiam ex Heautontimorumenō: 'Itane comparatam esse hominum naturam omnium.' Quem versus qui trochaicum putent, nugas agant: hæc enim fuga neque necessaria est, et est frustra. Nam in prologo Adelphorum, quæ pars esse debet politissima: 'Indicio de se ipse erit: vos eritis iudices.' In eadem Fabula: 'Quam aut hic nunc manere tamdiu: aut nunc persequi.' Inepte divertunt ad trochaicos. Quid enim in illo dicent? 'Ille futilis, somnium: sineres vero illum tuum?' Etenim trochæos extorquere nequeant ex eo. Et in Eunuchō: 'Sed neminem curiosum intervenire nunc mihi.' Quem Erasmus versus pro senario imprudenter sese metitum esse putat. Et in Hecyrā: 'A Myrrhina hæc sunt mea uxore exorta omnia.' Et in Pœnulo: 'Perque meos amores, perque Adelphasium meam.' Et in Amphitryone: 'Inimicos osa sum semper obtuerier.' Item in Asinaria: 'Deam sibi invocet, quam lubebit, propitiam.' Et in Aulularia: 'Nempe sicut dicis. quid hic? non poterat de suo?' Ex Casina: 'Aut quasi lumbricus terram quidem te postules.' Sicut ex Captivis: 'Inde me continuo recipiam rursus domum.' Ex Casina alterum: 'Quid facies? concludere in fenestram firmiter.' Quod si dicant elidi sibilum, quemadmodum in Rudente: 'Illustriores fecit fenestrasque indidit:' objicies illud ex Aulularia: 'Ædepol mortalem parce parcum prædicas.' Quo loco si jurandi adverbium pronuntiatum autument ab antiquis per mediæ syllabæ exemptionem, alium opponas e Pseudulo: 'Nunc tuo cum filio liber accubat: omnia.' Ubi si dicant, ad, præpositionem in compositione etiam correptam enuntiare consuevisse: quæramus nos, quare in aliis carminum generibus nullis licuerit hoc. Quod si respondeant in causa esse pedestrem ac vulgarem orationem: hinc instemus nos, non valde meritam esse illius vilitatem, ut tam accuratis astricta numeris creticum aspernaretur. Itaque verbum substantivum aliquando miris torsere modis: ut in Milite Plautus: 'Censen' vero adeo esse parcum, et misere vivere? Dicas uxorem tibi esse necessum ducere.' Apertius vero in Gurgulione simplici sibilo pronuntiat: 'Huic anui non satis est soli: canem esse hanc quidem.' Ceterum quis eximet a cretico versus illum ex Trinummo: 'Sit taciturnitati clam fidei ac fiduciæ:' nisi qui ad trochaicam aram illam misere confugerit? Quare illo obruantur ex Gurgulione, quem iambicus, ut sese in omnia vertant, quin sit, efficere nequeant: 'Liberi lepos, ut vete-

ris vetusti cupida sum.' Atque initio quidem arbitror vocalium tenuiorum mollitie factum, ut subirent pedes alieni : sic dicimus, *χρεὼ, Πηληϊάδεω, πόλεως, πλέων* : ut bacchium etiam receperimus illo versu : ' Et læveis ocreas lento ducunt argento.' At hunc versum spondaicum putat Diomedes vir doctus : non male : ut mollior vocalis subeat fortiolem. Sic creticum interposuit, ut spondæum faceret in verbo, aureo. Quod si in Tragœdia cretici sunt, in heroicis bacchius et antibacchius, ut taceam anapæstum, tum Homeri, *Βορέης Ζέφυρός τε* : tum Virgillii, ' Fluviorum rex Eridanus : ' non videntur fuisse tot monstra necessaria, quot isti eximendis elementis crearunt, in, quidem ; in, sicut ; in, simul ; atque aliis : neque excludendas integras fuisse voces, aut alias spurias ingenuis supponendas, quod fecisse Erasmus et supra ostendimus, et ex his patet. Nam in Eunuchis, despectam, posuit : despiciatam, sustulit : ' Habeat despiciatam, et quæ nos semper omnibus cruciant modis.' Auxit etiam errorem alia culpa, cum ex eadem fabula versum fingit ex putis creticis : ' Siccine agis ? quis tu homo es ? quid tibi vis ? quid cum illa rei tibi est ? ' Quem tamen iambicum quadratum agnoscas. Pari infelicitate et illum ex Andria creticis conclusit, qui esset senarius integer : ' In denegando modo quis pudor est paululum,' restituta namque per initium præpositione, quam ille nimis confidenter sustulerat in prioris finem, tolles illius et errorem, et audaciam : simul deprehendes crassam culpam : qui creticum ex tribus vocibus confectum iri speravit illis, quis pudor est. Verum ille vir curiosior paulo fuit emendandis auctoribus. Nam et apud Senecam : ' Arcum intensio frangit, animum remissio : ' eum ibi dixit esse inversum senarium, atque ipse sic invertit : ' Remissio animum frangit, arcum intensio.' Dixisset commodius, quod ad pedes attinet, sic legi posse : nunc, cum necessitatem affert, causam suam facit deteriolem. Nam et sic senarius est : et in aliis apud eundem auctorem senariis non observatas magis leges intelligas, quam in Comœdiis aut aliis Fabulis, unde ille sumeret. Quod si acrius contemplare, longe concinnior sententia est : quam deformat ille inversione sua. Nam sententia, tametsi æqualiter de arcu, et de animo, pronuntiat per contraria, tamen vult arcum referre ad animum, quoniam de animo quærit statuere. Itaque non ab eo incipere, sed in eo sententiam terminare oportuit : præsertim cum præter expectationem de animo sentiat. Nihil enim mirum, intensione arcum, at mirum remissione animum frangi.

Quare et crescit oratio, et talis est, ut quavis pedum dispositione potior sit. Ita curiosa hæc ingenia sæpenumero iudicio carent. De comicorum versuum materia, partiumque quantitate, satis disputatum est; de ipsarum partium numero deinceps videamus. Principio, quod antea in libris de Arte Poëtica statuimus, hic repetendum est: Versus per initia curtos fuisse, duobus ad summum contentos pedibus. Id quod et ratione comprehenditur: siquidem partes toto corpore priores sunt: et exemplis: sic enim ortum esse primum senarium in Apollinis pugna, quam cum Pythone conseruit, ex illa simplici acclamatione: ἰὴ παιάν. Quam cum et iterarent, et frequentarent, natum aiunt senarium: quo tantopere in suis oraculis postea ille celebravit: Ἴὴ παιάν, ἰὴ παιάν, ἰὴ παιάν. Qua de causa apud auctores Fabularum, invenias unica voce contentum versum: ut in Eunucho: ‘Occidi.’ Sed et monosyllabum interdum: ut in Hecuba: Φεῦ. Et eadem geminata voce, distinctæ voces, ut in Pluto, ut in Oreste: ᾄ, ᾄ. Et conjuncta: ut in Philoctete Sophoclis: Ἀττατατά. Repetitis deinde tractibus productiores facti: ut in Nubibus: Ἴοὺ, ἰοῦ. Hoc quoque ita in Trinummo duplicatum fuit, ut dimeter fieret: ‘O Callicles, O Callicles.’ Ergo, cum duo pedum essent genera, alterum motorium, alterum statarium: qui versus ex motoriiis constarent, in iis binos pedes singulis collectos tractibus feriebant: qui autem e statariis conflabantur, satis habebant suum cuique sedi pedem referre. In priori classe fuit pyrrhichius: cujus versus Enopolios dictus est: quo usi sumus nos toto poëmatio, quod dicaveramus Sileni natalibus: ‘Modo citus ego pede celere magis ago numeros: Abeoque Venere duce loca super alia volans.’ Et Euripides in Oreste: Χρέος ἐμόλερέ ποτε: Ἀνακέλαδον ἀπὸ λέχεος. Eiusdem generis est, iambus, trochæus, tribrachus. In secundo censu spondæus habetur, dactylus, anapæstus, proceleusmaticus, creticus, amphimacrus, bacchius, palimbacchius. Neque vero sine ratione fuit hoc. In his namque vocibus, accentionum natura quatuor, aut quinque temporibus frequens est. Ergo statarii versus ex pedum numero nomen obtinere: ita ut heroici, quoniam sex spondæis constarent, senarii dicerentur: motorii autem non item: qui ob celeritatem satis habuerunt, ex dimidio tantum nomen sibi retinere: propterea quod bini prodirent simul: atque ita factum est, ut, quibus essent pedes bini, ii monometri vocarentur: quibus quatuor, dimetri: quibus sex, trimetri: quibus

octo, tetrametri. Hæc apud Græcos. Latini autem his nominibus etiam alia addidere: non ab dimensionibus, quæ binos caperent pedes, sed a pedum numero, quaternarios, senarios, octonarios: tanto commodius, cum unica voce etiam imparibus constitutos pedibus nominabant: quaternarios, septenarios. Nam hos Græci brachycatalectici adjectione agnoscunt, quanti sint. Octonarios autem etiam quadratos appellavimus: quemadmodum in cubica figura anguli octoni sunt: ita, cum eandem quadrantalem dicerent, eodem nomine hosce versus insignitos voluere. Nam constituta quadrata superficies, si fluat atque postea sistatur, quadrantal creat: quare corpus hoc Latini Græca voce tesseram vocitarunt: non a laterum numero, ut quidam putavere, sunt enim sex: sed ab radice constitutionis: sic enim appellant mathematici. Præterea, cum senarii plus in usu fuissent, primusque Boistus produxerit octonarios, ab illo tractu longos nominavere. Ergo neque Gellius Ennianos versus quadratos recte appellavit trochæicos illos: 'Hoc erit tibi argumentum semper in promptu situm. Ne quid expectes amicos, tute quod possis agere.' Neque Varro in septimo de Lingua Latina illos ex Eunuchis: 'Heri aliquot adolescentuli coimus in Piræo.' Siquidem Rufinus auctor est, eundem Varronem ita sensisse, versum septenarium fieri, cum ad senarium pes trisyllabus adderetur: additque exemplum iisdem numeris, ex Hecyra: 'Nam si remittant quippiam Philumenæ dolores.' Non solum igitur a se dissentit ipse, verum etiam errat definiendo. Nam et major est septenario, et trisyllabus pes bacchius præsertim, iambo non solum est adventitius, sed etiam alterius tractus diversi, neque dignus qui in iambici definitionem admittatur; et ridiculum est, non potius septenarium ex septenis fieri, sicut ex senis senarium, quam e senario et uno pede; tanto minus trisyllabo. Sed profecto magnos viros auctoritas sæpe texit, etiam male sentientes: sicut Ciceronem quoque fugit ratio, cum in prima quæstione Tusculana septenarios vocat illos: 'Heu reliquias semiassi regis denudatis ossibus, Per terram sanie delibutas fœde diu vexarier.' Erasmus, Varronem secutus, tetrametrum nihilo feliciter explicavit illis verbis, iambicum tetrametrum interdum in fine fraudari una syllaba producta penultima, quoties iambico dimetro accinitur dimeter catalecticis. Nam quid attinebat dicere penultimam productam? neque enim necessarium hoc est: quo loco et tribrachus esse potest et dactylus: quorum syl-

labæ postremæ breves sunt. Aut quæ est illa explicatio? quasi cum dicas: Homini interdum pes deest, quoties integro semihomine, alteri semihomini pes deest. At vero quis nescit tetrametros, non e duobus dimetris, sed ex quatuor dimensionibus constare? si quis vel partium consideret rationem, quarum singulis æquale jus sit in versu: vel originem ipsam intueatur. Neque enim Boistus ille, aliusve quispiam, dimetro dimetrum aptavit: sed trimetrum, quem tum longissimum invenerat, monometrum addidit. Præterea quis, hoc audiens, non putet esse nefas cæsuram facere in quinto pede? si quidem ex duobus dimetris tetrametrum est consarcinandum. Quid quod idem abusus est dimetri trimetricæ appellatione? nam imprudenter versum illum ex Andria iambicum pentametrum dixit esse: ‘Hocine credibile est aut memorabile?’ qui esset trimeter brachycatalecticus. Neque enim idem esse μέτρον, et pedem, supra diximus: sed μέτρον capere motorios pedes duos: quare, si pentametrum iambicum exigas et a Græco poëta, et a Latino, tanto altero majorem ostendat: quem errorem etiam in illo continuavit: ‘Novi rem omnem: sed est Simo intus? est.’ Ergo nihil mirum sit, qui motoriiis pedibus auferat sua jura, ad statarios immerito transferre. Illum enim versum ex Andria: ‘Ut malis gaudeant, atque ex incommodis:’ ausus est creticum dimetrum nominare: qui tamen pes, cum non solum syllabarum numero, sed etiam temporum quantitate prolixior, quam spondæus sit: quare solus unam dimensionem non expleat, si spondæus implet? Eum tamen secutus Rivius, parem erroris admisit proportionem. Siquidem trochaicis anapæstum interseri nonnunquam scripsit causa celeritatis: quod dictum cum illo superiore maxime convenit: idem namque sentiunt: cum ille creticum ad iambum, hic anapæstum referat ad trochæum. At qui pes ita esset quatuor præditus temporibus, ut duo simul unam syllabam efficerent plenam ponderis et gravitatis, non potuit inter cursores illos annumerari: præsertim cum iambo similior esset anapæstus quam trochæo: uterque enim a brevibus incipit, in longam desinit. Quanto enim gravior est iambus trochæo, tanto est anapæstus dactylo. Quare non levi de causa factum est, ut gravissimi poëmatis gravissima pars chorus ad gravissimi pedis majestatem sese conferret, scilicet anapæstum. Quid quod ille nullam posuit rationem, propter quam trochæus esset iambo volubilior? At vero et nomen Græcum excitabat nos, et suberat ratio. Nam, qui et Syllabarum numero, et temporum

ratione par esset iambo, non potuit eo esse celerior nisi sane temporum temporaque deferentium syllabarum situ, qua una re illi fieret dissimilis. Trahit enim trochæus syllaba priore vocem ita, ut in posteriore emollescat, ac quasi evanescat. Iambus e contrario, celeritatem professus, gravitatem præstat. Itaque sanguinarius pes, et promptus ad vulnerandum, indicat et impetum primo, et statariam pugnam mox. Id quod Hipponax cum acerrimo ingenio vir animadverteret, quam rationem impetus in pede agnovisset, eam in peculiarem pedi versum transtulit: ut, sicut iambus in syllaba longa pertinax pugnaret, sic iambicus versus in longum pedem incumberet. Leviozem enim ratus iambum, quam ut ad impressionem faciendam satis esset, in quintam prælato sedem, succedere ei spondæum fecit. Quare id quoque iudicio consecuti sumus nos, propius ad naturam partium accessurum fuisse totum versum, si iambus imparibus, trochæus paribus sedibus constituti fuissent. Cujus rei exemplum, quoniam res est minus usitata, e nostris poëmatiis subjiciemus unum ex iambicis: 'Malis fortuna Cornucopiæ fundit:' alterum ex trochaicis: 'Si plaudit malis fortuna, quid justis fit?' Qui flexus numerorum si cui absurdus videtur, is meminerit aurium consuetudinem violentam esse: novaque atque inusitata non tam semper admirari, quam sæpe respuere. Verum magnopere nostra interest, qui quoad licet Aristotelis exemplo rerum causas vestigamus, venari rationem, propter quam, cum iambo sedem assignarent prisca, maluerint pares retinere. Nam, si in dactylico senario una tantum satis fuit, quinta scilicet: sive ille fuit spondaicus, una item fuit satis, quippe sexta: quare trochæo impares, alias iambo constituere? nam hoc sane præter naturam factum videtur. Etenim per initia si solis aut iambis aut trochæis versus constabant, videtur sane primam quamque sedem illos arripere debuisse. Quibus verbis ut respondeam, sane primum sic agam. Non esse rerum naturam secutos veterespoëtas: multa illis pro libidine facta fuisse, multa fortuito excidisse, quæ postea pro legibus probarentur. Unum illud satis constat, cum trochæo sedem primam retinerent, non inconsulto diversam ab ea, et aliis imparibus adverso pedi iambo assignasse. Quare autem hanc huic, illam illi reddiderint, sane haud facile est intellectu. Atque hic quidem ita sentit Priscianus: Quoniam, inquit, in secundo pede cum dimetiendo feriretur versus, minor ei loco mora debita est. Nam mihi contra videtur, majorem moram deberi in pronuntiando, ubi tempore ipso immoramur. Et

falsum esset ibi positum pedem, quoniam feriretur: sed contra, verum esset, ibi feriri, quoniam pes poneretur. At hoc quærimus nunc nos, quam ob causam ibi positus sit. Præterea, si ea ratio est, quomodo constabit in trochaicis, qui ibidem feriuntur? Ut igitur quæstionis rationem apud nos putemus, intelligamus secundum verborum inventionem esse, ut a longis incipiamus, et in breves deducamur. Nam, quanquam brevis syllaba natura sua prior est, quam longa, quippe simplicior est: tamen per initia inventionum cunctabantur primum: quæ ratio est, ut vocum fines in pronuntiatione obscrentur. Ita enim meditantis et consulti animi suspendere vocem, non præcipitare. Quamobrem tam in versibus, quam in prosa oratione, postremarum syllabarum habita ratio est nulla. Trochæum igitur antiquiorem fuisse iambo, et dactylum anapæsto par est. Ergo trochaicum versum iambico priorem. Quare, cum primæ quæque sedes trochæo fuerint peculiare, alteræ illi relictæ sunt. Præterea, cum trochæus esset pes volubilis, statim sese ingressit in versum. Iambus autem grassator ille idem fecit, quod civilibus in rebus plurimis consuevimus. In oratione ipsa, ut principiis gravis ac sedata sit, pugnam quoque cautius aggredimur: tum illa incitatu effervescit: sic ad saltum ubi comparamus nos, fortius pedem figimus, ut statariæ moræ majorem impetum subjiciamus. Sic Aristoteles, omnium bonarum artium dominus, motum omnem sub finem esse probavit concitatio-rem. Ita proposito spondæo, et iambo, satius fuit ab hoc illum excipi. Præterea recentissima quaque memoria fere metimur ipsas res: quare assignata prima sede trochaico, ultima quoque necessario trochæo finitur. Quæ sedes, primam dico, si iambi fuisset, in ultima iambum nullum haberemus: nunc, ut in ea ille sit, pares sedes illi attribuendæ fuere: ut recentissimo sono, quippe novissimo, aures spectatorum caperentur. Quæ de universa re dicenda erant, fere habes, Sylvi: quare deinceps ad ea, quæ particulatim animadversa sunt, descendamus. Atque equidem, ut sese offerent, ita ea describam. Sit ergo quod affert ab Adelphico versu: ‘Quid is fecit? quid ille fecerit? quem neque pudet.’ Cum enim agnosceret senarium, neque rationem inire posset dimensionum, abstulit alteram ex liquidis in pronomine, ille: id quod ut ego quoque fateor, et posse, et solere fieri: ita hic duo dico. Primum, ab eo creticum quarta in sede esse constitutum: quem tamen pedem adeo evitaverit, ut everterit multa. Deinde

versus aut ipsum disjecisse, aut aliorum incuria solutos præterisse. Sic enim legendi sunt: 'Quid tristis es? rogitas me, ubi nobis Æschinus Siet, quid tristis ego sim? dixine hoc fore? quid is Fecit? quid ille fecerit? quem neque pudet.' Ubi verbum, siet, unica syllaba concretum fit. Sic etiam ex Andriæ illo sibilum abstulit, non unde debuit: 'Quis igitur est relictus objurgandi locus?' Sibilum, inquit, in pronomine, Quis, eliditur. At vero, cum necessario iambicus sit, nullo pacto ad eum modum secare possis, sed ex participio tollendus est. Sed et illum male dimittitur est: 'Perii, obsecro: tam infandum facinus mea tu, ne audivi quidem.' Quem dicit esse trochaicum catalecticum: cum sit integer quadratus iambicus, neque ad trochaicum torqueri possit. Sicut et præcedentem illum: 'Forte ad nos redierit: vise amabo num sit jam: faxo scias.' Nam, ut evaderet amphimacrum, non est veritus trahere sui trochaici caudam etiam ultra octo pedes: nisi argutet, scias, esse monosyllabum; sed, cum omnes illi sint quadrati, etiam hunc iambicum malim, nulla facta in prima voce collisione: 'Quo ille abire ignavos possit longius, nisi si domum.' In Prologo autem Andriæ, eo versu: 'Nam in prologis scribundis operam abutitur:' cum diceret vocis hujus, prologis, primam syllabam esse a Terentio productam, addidit sane rationem frivolam: Latina, inquit, consuetudine: quibus mos est eam præpositionem productam habere. Nam in Latinis verbis producant, in Græcis autem abstineant, nisi alia vis subsit: sicut in hac voce, ubi liquida illa geminatur, sicut in Heautontimorumeno: 'Oratorem voluit esse me, non prologum:' et ex Prologo Truculenti: 'Sed relliquam dat operam, ne sit reliquom.' Et illo: 'Ut pernoscatis ecquid spei sit reliquom.' Nam, nisi hoc soliti essent facere, mille aliæ viæ erant ad eadem pæne verba versu concludenda, ut rem novam evitaret. Verum nova nequaquam erat: sed ab Homero usque: nam in Hymnis μέλος, in Iliade ἐλόρια, atque alia produxit. Etiamque nunc multæ nationes adco crasse eam litteram pronuntient, ut intus esse aspiratio videatur; Gabali, Arverni, Græci, Germani, Ligures, Taurini. Ceterum etiam alia ratio est, ut et versus ille Prologi constet, neque liquida geminetur. Sane, si eam vocem, quæ in eo versu prima est, non collidas: quod sæpe alibi et in ea, et in aliis factitatum est: sicut in Eunuchio: 'Una ire cum amica imperatorem in via:' in secunda enim sede dactylus est, neque præpositio colliditur: ita in illo si con-

junctionem, nam, non collidas, nihil innovabis: præsertim cum in promptu habuit, ut pro, nam, subjiceret, namque. Verum, ut diximus etiam in alio Prologo idem factum est, ut geminaretur, et recte: minus vero recte a Donato in Hecyræ Prologo: 'Prope jam remmotum injuria adversarium.' Nam, tametsi geminari consuevisse fatemur, tamen non eum fuisse locum, eam affectandi novationem, qui sibi iambum, quandocumque posset, ascisceret. Sicuti non minus infeliciter Priscianus: qui, cum, reducit, geminare mutam diceret, idque exemplo probare vellet, attulit dimetrum Horatianum ex Epodo: 'Redducet in sedem vice.' Nam quid aiat, si negem? neque enim necessitate pedis persuadebitur nobis. Quid si contendam non esse factum ab Horatio, qui, quoad potest, iambos etiam aucupatur? Quare igitur abjecerit genuinum pedem, quare admiserit spuriam literam, ut illum excluderet? Melius fecisset, si ex Hecyra illud: 'Remissam opus sit vobis, an reductam domum.' Neque mirum, quæ in, reddo, geminetur. In scena quoque primi actus quinta, cum Pamphili orationi intervenisset Mysis, atque suis uterque seorsum affectibus uteretur, versus interseruit diversos quoque Poëta, quos Erasmus confudit: sic igitur legendi sunt: 'Hoccine est humanum factum, aut inceptum? hoccine officium patris? Quid illud est? Proh Deum atque hominum fidem, quid est, si non hæc contumelia est?' Sic enim etiam alio genere Mysis utitur iterum: 'Miseram me, quod verbum audio?' Cui respondet illud Pamphili: 'Quod si fit, pereofunditus.' In eadem autem scena versum illum: 'Proh Deum atque hominum fidem, nullone ego:' appellat dimetrum pede redundante, laxe sane nimis. Nam quamobrem non quinarium? quare non trimetrum brachycatalecticum? quis unquam audivit versum ullum pede esse redundante? nonne ipse ille versus talis est hoc ipso pede, quem dicis redundare? Illud quoque male dignoscere visi sunt: cum actus secundi putarunt initium, caudam esse postremi versus, quo clauditur actus primus: sic: Ne ad morbum hoc etiam; teneo: quid ais, Byrrhia?' Nam, ut hoc primum dicam, multo satius est, ut initia actuum integra sint, quam fines. Deinde apparet properatio in Myside abeunte, ut Glycerium consolaretur. Itaque abruptis sermonem, atque abiit. Præterea inter actus Vetus Comædia interserebat *προσρήματα*, choros, deverbis, apostrophas, atque alia ejusmodi. Nova Comædia raro gregem, nisi in fine. Aliquando etiam Choragum legimus apud Plautum. Omnino autem tibicen canebat: quod e Pseudulo licet perspicere: 'Dum

concenturio in corde sycophantias, Tibicen vos interea hic delectaverit.' Tanto igitur intervallo, quomodo Charinus Mysidis explesset versum, quem non audiret? In eadem vero scena, ita perverse legit, ut alterum novenarium faciat, alterum, senarium relinquat: sic: 'Quæso ædepol, Charine, quoniam id fieri quod vis non potest, velis Quod possit: nihil aliud nisi Philumenam volo.' Cum tamen duo priores optimi sint octonarii: sic: 'Quæso ædepol, Charine, quoniam id fieri, quod vis, non potest, Velis quod possit: nihil aliud nisi Philumenam volo.' Etiam priore consilio monometrum vocat illum: 'Ah quanto' satius est.' Dimeter enim est brachycatalecticus. Sed et nulla necessitate mutat, abi, in, abin', sive, abeas, cum frustra putat alioqui constare non posse versum. Nam et trochaicus est, si collidas; et iambicus, si non collidas: nam et maxima est vis ejus vocalis quæ est ultima in verbo, abi. Sic Virgilius, eo pulcherrimo versu, quo Theocritum æmulatus est: 'Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error.' Et aspiratio prohibet collisionem: sicuti illi: 'Hecyra est huic nomen fabulæ, hæc cum data est.' Sic imprudenter nimis elidit sibilum ex pronomine illius versus: 'Sed istud quidnam est? hodie uxorem ducis? aiunt. Pamphile.' Qui tamen rotundissimus sit octonarius, neque usquam coactus. Nam quod monet, in nomine, suspicio, tertiam a fine produci, verum est: sed neque nova res, neque sine ratione; nam et Plautus ita scripsit: 'Et ne in suspicione ponatur stupri, Et clandestina ut celetur suspicio.' Et satis liquet coaluisse duas vocales in unam. Namque ab eo, quod esset suspicium, suspicium fuit: itaque, cum erit brevis, tunc intelligetur syncope: cum longa, synæresis: ex eo quoque versu in Andria: 'An non dixi hoc esse futurum? dixti quid meritis es? crucem.' Prisciani auctoritate dicit tolli verbum substantivum. Quo in loco mihi oblatam sentiam occasionem duos simul emendandi magnos viros: illum qui errarit, hunc qui non correxerit. Est enim integer octonarius. Illud vero ejus proprium est, cujus culpam in alium transferre nequeas. Nam verbum substantivum, affuerunt, trisyllabum professus est eo versu: 'Cum in pariundo aliquot affuerunt liberæ.' Qui tamen versus senarius iambum habet in quarta: ferendus tamen erat quasi lapsus, nisi altero errore culpam cumulasset, cum primam auferri jubet syllabam ex eo versu: 'Anfugistin'? hera, factum: satin' id tibi placet?' Integer enim senarius est, etiam citra ablationem, spondæis duobus, ana-

pæsto, duobus dactylis, et postremo iambo. Ibi temere transfert syllabam inferioris in superiorem: contra debuit transferre in Hecyra, neque transtulit: 'Quæ dico parvipendent: porro hoc jurgium ad Uxorem, hæc cujus fiunt consilio omnia:' sicut interjectionem quoque debuit ascribere priori versui in Adelphis, ut sic legeretur: 'Syre, præceptorum plenus istorum ille: phy, Domi habuit unde disceret: fit sedulo.' Restituisset etiam in Hecyræ versu verbum, ut sit septenarius, ac par priori: sic: 'Tecum ferantur: dixi: ita ut jubes faciam, pater.' Non debet errati censi loco illud in Andria eo versu: 'Tu rem impeditam, et perditam restituas? hem quo fretus sim.' In quo dicit, hem, extra versum ab alio additum potius: quam positum a Poëta: cum tamen mutila sit sine eo sententia: et sibilum elidi videmus etiam in multis locis. Sic audacter nimis aufert verbum, cupio, ex illo Eunuchi: 'Cupio aliquos parare amicos beneficio meo.' Cum tamen commodius eximeret vocem sequentem, sine ullo carminis detrimento, etiam sententia rotundiore. Sed aut sit proceleusmaticus primus pes, et alter amphimacrus: aut pronomen possessivum: quod postremo in loco est, demittatur in versum alterum subsequenter, qui nihilominus sit senarius: sic: 'Meo: id amabo, adjuta me, quo id fiat facilius.' Nam, facilius, eodem modo trisyllabum est, quo, potius, bisyllabum. Eligat autem lector, quod magis erit ex animi sententia: quandoquidem etiam apud Lucretium, aliud, ita bisyllabum accipitur, ut cauda dactyli sit. Iniquior fuit illi versui ex Hecyra, ex quo, dum, particulam expletivam exemit: qui tamen cum sequentibus, cumque præcedentibus octonarius sit: 'Mane dum sodes: timeo, ne aliud credam, atque aliud nunties.' Hoc ibi cum adimit, ita alibi æque importune addit de suo: ut ad eum versum ex Eunucho: 'Par pari refero, quod eam mordeat.' Modo addit, nunc; modo, mox; modo, sic; modo nescio quid. Ego vero nihil immutandum censeo de consilio Poëtæ: qui integrum proverbium, sicut circumferebatur, ita interseruit trochaico tractu: quare audacius etiam, remordeat, suppositum est. Nam, si quid addas, versus non constet: si nihil addas, ad concinnandum trochaicum nihil est opus. Et non solum hoc exemplo in omnibus legitur exemplaribus, sed etiam eadem fide recitatum a Cicerone in epistola ad Lentulum. Verum apposuit pari audacia adverbium, nunc, ei versui: 'Alio pacto honeste quo modo hinc abeam, nescio.' Neque

enim vocalis eliditur, sed perstat longa ante aspirationem adverbii, hinc: et trochaicus decurrit octonarius catalecticus. Sicut in verbo monosyllabo nulla item collisio fit, neque in adverbio, eo versu: ‘Ora me, obsecro te vero, Phædria, i intro; hoi, hei.’ Corruptit etiam syllabarum quantitates: ut in illo ejusdem fabulæ: ‘Sic est, inveniam hodie parem ubi pol referam gratiam.’ Ausus est dicere adverbium, hodie, primam producere: quoniam, inquit, idem sit, ac si dicas, hoc die. At, quod nusquam est, narrat. Nam cum est, hoc die, propter positionem producitur. Nam suapte natura breve pronomen est: sicut ejus compar, hic. Græcum enim est, ἦ. Quare illud Virgilianum: ‘Hoc erat alma parens:’ non solum propter interrogationem, sed etiam ob syllabæ servitutum, legunt, *Hocce*, ii qui existimati sunt doctiores. Breve enim fuisse vel inde deprehenditur, ubi consonante amissa in adverbio, hodie, correptum est: quod etiam exemplo invenias ex versu Hecyræ: ‘Visum est: certone? certe Deus sum; si hoc ita est, verum reperies.’ Est enim pronomen, hoc, secunda syllaba dactyli, qui in quinta sede est: quamobrem versus, de quo nunc controversia est, septenarius est iambicus. In convivio autem poëtico, illum ex Eunuchi Prologo: ‘Habeo alia multa quæ nunc condonabuntur:’ ait mendosum esse: neque enim scizontes in ea genera carminum admitti: itaque ut metrum corrigeret, linguam Latinam depravavit, cum supposuit, condonabitur. Nam quis dicat, ‘Tu condonaberis a me commentarios?’ An vero etiam ἀπροσώπως ausus est, et rectum apponere tamen casum? At ego puto Veteres, excitandi spectatores gratia, nævos hosce aspersisse: neque in ea re falsus sum. Nam qui decuit minus, spondæo claudere iambicum, quam dactylicum sistere? At quantum decoris addit affectui, cum diximus in inferiis filiolæ nostræ, sororis tuæ lectissimæ, Sylvi: ‘Heu heu quonam animam, quo carmine compellabo?’ Sed de his numeris in tertio libro Poëtices tibi satis est disputatum. Ita gravitatem, et lenitatem, et constantiam animi ostendens Terentius, remisit de iambi acerbitate: neve sine exemplo fecisse cum arbitrare, habebis ex Prologo Amphitryonis unum: ‘Quod ego huc processi sic cum servili schema.’ Est enim, σχῆμα: quanquam non sum nescius viros doctos sublata aliunde syllaba, *schemate*, legere solitos: quare aliud habeas ex Asinaria: ‘Age nunc reside jam cave modo ne graxis.’ Neque enim sequentur analogiam, qui *graveris* legerint: nihilo sane melius,

quam si *faxeris* et *occeperis*, pro, *faxis*, et *occepsis*, malint; sicut in *Captivis*: ‘Nunquam istuc dixis, neque animum induxis tuum.’ Accipies etiam unum ex eadem fabula: ‘Avis me fere consimilem faciam, ut prædixi.’ Adducerem et ex *Casinæ* Prologo, nisi suspicarer verba esse transposita: ‘Clerumenæ hæc vocatur *Comædia Græce*.’ Sicut ex eodem alterum: ‘Ratione utuntur: ludis neminem poscunt.’ Sed profecto et alibi multis locis, et in *Pœnulo*: ‘Gerræ germanæ atque ædepol *λήροι λήρων*.’ Ac ne in illis quidem servavit Latinitatem: ‘Ne te iratus suis sævis dictis protelet, scio.’ Substituit enim pro *sævis dictis*, *sævidicis*: at *sævidicum*, mobile nomen est; cui igitur hærebit? an ille invenit usquam in naturæ legibus, accidens sine substantia? In eadem autem scena etiam pedum numerus eum fugit: namque iambicum senarium hypercatalecticum dixit illum: ‘Non possum adesse, ah quid agis? quo abis, Antipho? mane.’ Habet enim duos dactylos alterum alteri subeuntem ante postremum iambum. Æque autem incommode ex *Heautontimorumeno* brachycatalecticum nominavit illum, in quo periculum potius imminet, ne quid redundet: ‘Et illam simul cum nuntio tibi hic ego affuturam hodie scio.’ Est enim quadratus iambicus. Sicut illum quoque minus bene octonarium hypercatalecticum: ‘Probe: huic filium scis esse? audivi, in Asia: non est pater.’ Nam, si iambum in prima sede statuas, et creticum in secunda ob positionem, aut dactylum ex natura syllabæ, septenarius est. Sed, audii, pronuntiandum est, ut, Asia, sit anapæstus. Sin malis trochaicum, non collidas adverbium, probe, et erit anapæstus prima in sede, eritque octonarius, trochaicus, catalecticus, et, Asia, bisyllabum. In *Phormione* frustra laborat transponendo verba, ut numeris consulat, eo versu: ‘Ut ad pauca redeam, ac mittam illius ineptias.’ Mavult ita legi: *Ad pauca ut redeam*. At vero verbum, redeam, bisyllabum esse, vel sexcentis locis, ubi opus est, constat. Eximit etiam vocalem hujus præpositionis, per, eo versu *Adelphorum*: ‘Per oppressionem ut hanc mihi eripere postulet.’ At vero, quid fuerit dicere, *Proppressionem*? nempe frigidum admodum est, ne dicam absurdum, novum fugæ genus, quo evitet creticum fatalem illum: cum tamen adeo molliter pronuntiari possit, ut vix divertat a natura spondæi. Sed jam vereor ne quis eorum, quos ille multis locis premit fabulis atque irridet, reponat ei gratiam: cum in verbo, postulo, sciant ab ipso exemtam mediam vocalem. Magno enim in periculo est,

ne ab illis barbarus appelletur : propterea quod Germani, præsertim nostrates Vindelici, Carini, Norici, item Suevi, Saxones ita illud verbum pronuntiant, vix ut eam vocalem exaudias. Verum equidem, neque irridebo maternos avos meos, neque hominis consilium, quippe qui memor sim ejus versus ex Casina : ‘ Nunc ne tu respondere postules me tibi.’ Non igitur judicium reprehendo, sed judicii locum. Ei enim versui optimo atque pulcherrimo quadrato, ex Andria, hanc injuriam faciebat : ‘ Cum is nihil promereat : postulare, id gratiæ apponi sibi.’ Verum et hic nihil necesse habeas concidere, et primam natura cum corripiat, non potuit sibilus impedimento esse in illo Casinæ versu, quin unico tantum tempore proferretur : factum enim est ex, posse, et tolerare. Neque enim literas geminabant, quod etiam durat in præterito, tetuli : et *teram* simplici elemento scriptam in libris augurum, ait Varro : et hoc monet nos plurimis locis Verrius, ejusque interpret atque imitator Festus. Ceterum Erasmus utinam eam curam alium in versum transtulisset, ad nomen hoc, periculo, potius quam tolleret omnem sermonis elegantiam, atque adeo Atticismum : quippe pronomen, hoc ; est autem ex Andria is : ‘ Sine omni periculo : nam hocce haud dubium est, quin Chremes.’ Præsertim, cum anapæstus esse potuerit in primo pede. Nam, omnis, primam corripit natura, ductum enim est *παρὰ τὸ ὀμῶς*. Universitas enim fit ex rerum conjunctione. Est enim universum, extra quod nihil est. Neque illas mutam ac liquidam potuisse cogere syllabam ad producendum, et pueri sciunt, et Priscianus docet ex Callimachi versu. Major vero difficultas objicitur in nomine hoc, voluptas : ex quo ille vocalem mediam auferendam censet, eo versu Andriæ : ‘ Quod voluptates eorum propriæ sunt : nam mihi immortalitas.’ Nonnihil vero est, si sit ita pronuntiandum, *volptas* : nihil enim ad Theutonicum sonum accedere potest proprius : atque hoc ut effugeremus, aut constitueremus creticum in prima, aut etiam anapæstum. Corrupta enim conjunctio est alibi, vel judicio illius : quare hic quoque esset. At frustra viderer laborare : quoniam duo versus in Casina sunt, nihilo nobis secundiores : ‘ Sine tuos ocellos deosculer, voluptas mea. Quid deosculer te ? quæ res ? quæ voluptas mea ?’ Nam nisi, *volup*, legas, aut facias anapæstum, sane aspera est pronuntiatio. Sed, *voluptas*, fuit voluptetas, a, volo et peto ; quæ omnia cum sint brevia, non immutarunt naturam. Nam sic quoque corripias in versu ex Heautontimorumeno, si ita legas ex

Bembi codice: 'Nec mihi fas esse ulla me voluptate his frui.' Quanquam codex ille, de quo vir doctissimus atque sanctissimus metitur nostros, plus habuit tum apud nos venerationis, ob vetustatem, tum apud illum opinionis ob novitatem, quam quantum re ipsa præstare valuerit. Omitto enim quæ ad privatarum vocum pertinent rationem: nam eas in Originum libris tibi satis explicatas puto. At, quod ad versuum ipsorum tractus spectat, operæ pretium est animadvertere multos, qui non constant: veluti e Phormione hunc: 'Quæ si astu non providentur, me aut herum pessumdabunt.' Ita dico apud hosce qui creticum recipiunt nullum: in nostratibus autem mollius legitur sic: *Quæ si non astu providentur*. Ubi octonarius est. Item ex Heautontimorumeno sic legit: 'Pergin' mulier odiosa esse? nullamne ego rem in vita mea.' At in nostris sic legitur: *Venire in mentem: mi vir. oh pergin' mulier esse? ullamne ego*. Ubi vides, si addas omnia illa verba, quæ præcedunt exprobrationem senis, versus fiat stadio longior: at illi octonarii sunt. Verum lepor quoque in verbis est illis, 'Oh pergin' mulier esse:.' plus enim est esse mulierem, quam odiosam. In altero autem sequente: 'Rem unquam volui, quin tu in ea mihi advorsatrix fueris, Sostrata?' Videtur syllaba redundare: sed *mi*, pronunties, non *mihi*. Bembus autem ita legit, ut una deficiat: sic: *Volui: quin tu in ea mihi fueris advorsatrix Sostrata?* Locutionem quoque non leviter pertranseas. Ille enim dicit: Nullamne rem volui? sane tolerabilis sermo, cum verbo hoc, volo. Nam negatio, quæ est in nomine, in verbum transit, et fit, ullam rem nolui. Non possis vero dicere cum verbo substantivo: Nullane res est? quonam modo namque esset, si non est? neque melius procedit ille ex eadem, quem nos sic: 'Sustulisti: sic est factum: domina, ergo herus damno auctus est.' Ille sic: *Sustulisti: sic est factum: domin', ergo herus damno auctus est*. At duo sunt, quæ dissuadent esse recipiendum. Primum versus, qui trochaicus sit: quare in quinto pede iambum statuit: nos anapæstum. Et minus simile veri fuit, domi educatam, atque herum latuisse: erat enim modica domus, quæ vel cæna Bacchidis premeretur: quare inepta fuisset interrogatio. Neque fuisset auctus damno, quoniam domi educasset: sed quoniam filiam, cui dos paranda esset. Itaque non foris educandam dedit, sed exponendam. Præterea plus impendii est, si foris educantur liberi, quam si domi. Sed et ille in Eunuchō, toto verbo longior est, temere repetito: 'Idque adeo visam: visam si domi'st: quisnam hinc a Thaide exit?' Sed ubi-

que videtur non minimi iudicii quispiam neglectis numeris leporem quæsisse orationis: sicut in eadem Fabula: 'Nihil præter promissum.' At nos legebamus: *Nihil prætermisum*. Verum hic argutia etiam dimensionibus suum reliquit locum, si, nihil, sit monosyllabum, quod frequentissimum est. Vult dicere, Phædrum nihil præstaturum eorum, quæ militi pollicebantur, neque quicquam illum præter promissum laturum: sed in eadem lepor quoque nitidissimus est, iis versibus: 'Illum liquet mihi dejerare mensibus Sex, septem prorsus non vidisse proximis.' Nostri vulgate nimis legebant, *Sex vel septem*. Ceterum et a numero excluditur conjunctio, et a sermonis puritate: sicuti, cum dicimus: Quinquaginta plus minus annos natus sum. Illud quoque lepidius videtur in Heautontimorumenno: 'Confitere tu? au obsecro, istuc inimicis siet?' quam quod legitur ab Erasmo et aliis: *Confitere tuum non esse? ah obsecro te, istuc inimicis siet*. Splendidior est oratio repetita negatione sensu, non verbis: et necesse est ita legi, quoniam præcedentes versus hic concinnat: quos versus tam Bembus, quam Erasmus male disponit. Bembus sic: *Subditum se suspicatur: subditum? ain' tu certe: sic erit, mi vir*. Erasmus sic: *Subditum se suspicatur: subditum? ain' tu? certe, inquam, mi vir*. Verum uterque longior est, Erasmianus una syllaba: alter autem etiam pluribus: quare ita legendi sunt, ut sint trochaici octonarii catalectici: *Subditum se suspicatur: subditum? ain' tu? certe inquam, Mi vir: confitere tu? au obsecro, istuc inimicis siet*. Sic etiam ex Adelphis, illis duobus versibus, neuter est audiendus. Bembi codex sic: *Obsecro, mea nutrix, quid nunc fiet? quid fiet rogas? Recte ædepol spero: modo dolores mea tu occipiunt primulum*. Erasmus sic: *Obsecro, mea tu nutrix, quid nunc fiet? quid fiet rogas? recte*. Ergo Erasmus male collocat adverbium, recte: Bembus male omittit pronomen, tu: ut sint iambici quadrati. Hæc quidem manifesta lectio, at illa ambigua, utra probior sit? In Heautontimorumenno vetus exemplar sic habet: *Huncine erat æquum ex illius more, an illum ex hujus vivere? et Quod illum insimulat durum, id non est: nam parentum injuriæ Uniusmodi sunt ferme: paulo qui est homo tolerabilis. Scortari crebro nolunt, nolunt crebro convivariæ*. Bembus et aliquot eximit verba, et alia serie digerit numeros: *Huncine erat æquum ex illius more, an illum ex hujus vivere? Et quod illum insimulat durum, id non est. Nam parentum injuriæ uniusmodi sunt ferme. Scortari crebro volunt, volunt convivariæ*. Sed numeros obterit Bembus,

quarto versu: in quo et trochæum invenias tertia sede, et iambum sexta: quare errorem subesse necesse est, et confundit versuum tum genera, tum quantitates. Nostra autem lectio horum nihil: sed asperior visa est in sententia: cum tamen non sit: nam ita dicit: Patres duros nihil remittere de imperio, quod exerceant in liberos: omnia animi laxamenta prohibere: at, qui paulo est tolerabilior, aliqua sane patiatur: sed non crebro ea fieri. Mutavit autem numerum verborum Terentius; cum in singulari dixit: 'paulo qui est tolerabilis,' debuerat subdere: 'non vult crebro scortari liberos suos, non vult crebro convivari.' Sed retulit numerum ad universitatem patrum. At in singulari, *tolerabilem*, posuerat, quoniam rariores sunt. Ita mutat numerum in Eunuchō: 'Eunuchum porro dixti velle te, Quia solæ utuntur his reginæ.' Quam mutationem aliquis minus commodam cum putaret, sublatis illis verbis, *paulo qui est homo tolerabilis*, quæ vitia prohiberent patres in nostra lectione, ea fecit patrare flagitia filiis in sua. Hæc sunt, Sylviole fili, quæ laboriosissima opera excussi tibi: majorene tædio tot ineptiarum, an metu, ne pari inscitia caperere nescio. Omisi vero multa carmina controversa, aut ambigua, alia vasta: quæ etiamsi ad sanitatem redigantur, at cura ista nostra vel sic longe minora sint. Verum enimvero neque tibi puerilia videri debent, qui ista ætate literariæ laudis aditum omnem explorare iuberis ab indole tua, quæ magna ac multa prômittit nobis: neque mihi plebeia adeo, in quibus, omissis studiis gravioribus, tantos illos viros elaborare aliquid non pœnituit. Qui si quibus in locis lapsi sunt, vel hoc ipsum eis debeatur, quod nos excitarint ad veritatem. Cujus splendorem, fili mi, quovis nomine cariorem habere debes. Magnum fuit Erasmi nomen, præsertim in Germania literis renascentibus: majus futurum, si ille minor esse voluisset. Nunc, fretus ingenii sui magnitudine, multa tractare aggressus est, paulo minus accurate: ita a nominis claritate profecta confidentia præcipitem illum egit, non sine dispendio multorum studiosorum: qui omnes cum docti esse vehementer exoptarent, pauci autem laborarent omissis ærumnis, quæ ipsis in antiquorum lectione multæ exequendæ erant, compendium nacti eorum quæ Erasmus in unum coëgisset, ei de omnibus fidem ita habuere, ut etiam extantibus priscorum monumentis, unde ille vel aliquando non bona fide accepisset, Erasmi nomen non pro teste, sed pro iudice, citent, atque alieni laboris non quasi beneficiarium faciant aucto-

rem. Quare vobis omnibus ejus nominis studiosis, inter quos me quoque sane esse non nolim, commode ostendimus, atque opportune, quid cujusque judicii sequeremini. Quod si quis, ut est ingenium quibusdam barbarum ac ferum, pertinacius negligat foveatque ignaviam suam; te saltem habeamus ab erroribus ejusmodi segregatum.

P. ANTESIGNANUS

ANTONIO, THEOPHILO, ET JOANNI SARÆIS S. D.

* * * * *

VERSUS autem hic iambici aut trochaici sunt omnes: atque utrique aut monometri, aut dimetri, aut trimetri, aut tetrametri: et rursus aut acatalectici, aut catalectici, aut brachycatalectici, aut hypercatalectici. Iambici ab iambo pede, et trochaici a trochæo nomen habent. Iambici igitur sunt, in quorum sedem aliquam iambus, aut in ultimam pro iambo pyrrhichius ingreditur: trochaici, in quibus datur trochæo locus. Iambici sive trochaici monometri sunt qui una mensura, hoc est, pedibus duobus constant: dimetri qui mensuris duabus, et pedibus quatuor: trimetri qui mensuris tribus, ac pedibus sex, unde et senarii dicti sunt: tetrametri sive quadrati qui mensuris quatuor, octo vero pedibus, unde et octonarii a Latinis nominantur. Monometri, dimetri, trimetri, et tetrametri, in quibus nihil abundat, neque desideratur quicquam, acatalectici nuncupantur: catalectici qui syllaba una breviores, et brachycatalectici qui duabus: hypercatalectici vero in quibus aliquid redundat. Ex iambicis in usu sunt maximo apud Terentium trimetri sive senarii acatalectici et tetrametri sive octonarii tum acatalectici tum catalectici: in rariori dimetri acatalectici et trimetri catalectici. E trochaicis usitatiores sunt tetrametri catalectici: minus usitati dimetri catalectici et trimetri item catalectici. Reliquorum generum exempla non nisi rarissima apud hunc auctorem inveniuntur. Iambici trochæum non ferunt, neque pyrrhichium nisi loco ultimo: at trochaici neque iambum, neque pyrrhichium. Quatuor pedes brachysyllabum, spondæum, dactylum, et anapæstum tam iambici quam trochaici quavis sede recipiunt, præterquam ultimam si acatalectici, et penultimam si cata-

lectici fuerint: quibus in locis iambici iambum, et trochaici trochæum proprie requirunt: tamen in catalecticorum regione penultima brachysyllabus et nonnunquam dactylus pro trochæo collocantur: atque pro iambo quivis pes, cui in ceteris iambicorum sedibus daretur locus: in ultima vero catalecticorum sede pro iambo in iambicis, et pro trochæo in trochaicis ponitur semipes, hoc est, prima pedis illius syllaba: nempe brevis pro iambo, et pro trochæo longa: sed, cum cujusvis versus ultima sit anceps, pro priore iambi, longa; et contra, brevis pro prima trochæi collocatur. Pyrrhichius etiam in iambicis acatalecticis pro iambo ultimum locum occupat: at alibi nusquam visitur. Proceleusmaticus raro sese offert: ei tamen nullo refragante datur locus et in iambicis et in trochaicis. Creticos, amphibrachos, et bacchios quidam omnino respuunt: illos alii ægre quidem admittunt: sed eos prorsus rejiciendos nequaquam censent. Nos ubique fere quo pacto et horum et illorum opinio defendi posset indicavimus, uni versui duos dimensionis modos assignantes ad eum usque locum qui dissensionis esset terminus: sæpe etiam ad rem ipsam plenius explanandam brevissimis scholiis adhibitis. Ac primus quidem modus, quæ tres hos pedes recipit, planus, simplex, expeditus, et evidens est: non enim novit insolitas et asperas illas diæreses, synæreses, et crebras literarum elisiones, quæ posteriore dimensionis ratione iis sunt perscrutandæ: qui nulla non diverticula, quosvis anfractus, et omnia suffugia quærunt, quo monstra illa (ut ipsi loquuntur) exterorum pedum possint evitare. Præcipua effugia consistunt in diæresibus, synæresibus, et elisionibus. Diæresi unam syllabam in duas dividunt: nos hanc duobus in apice punctis appositis designavimus: ut: cuī, Deī, Dīi, Dīs, iam, cum e monosyllabis fiunt disyllaba: cuique, deinde, proinde, cum e disyllabis trisyllaba judicantur. Synæresi duas syllabas in unam contrahunt, quam hac nota priori vocali superposita indicatam voluimus. Illa igitur et sequens vocalis, quæ in aliis poëtis atque in hoc juxta primum dimensionis modum duas efficerent syllabas, in unam coëunt, cum alteram scansionis rationem, quæ exteros illos pedes non recipit, intuebimur: ut in vocabulis sequentibus: abëo, abëat, redëam, redëat, adëo, ähu, äis, äit, äin', äiebas, alënus, alëis, alëo, audio, audiat: circuitione, cöemisse, commëare, confitëor, consilü (idem iudicium de reliquis genitivis singularibus, et nominativis pluralibus in ii: ut, negotü, gaudü, pretü, cetaryi.

lanū : quidam malunt legere *consili, negoti, gaudi, preti*) cūjus, cupio : dēambulatum, Dēæ, Dēorum, Dēūm, Dēum, Dēos, Dēmea, denūo, dispendio, dūu, diutius, Dorio, duarum, dūas, dūos : ēa, et in ceteris casibus, ējus, ējusmodi, ēum, ēundem, ēam, ēa, ēodem, ēam, ēorum, ēis, ēò (adverbium,) ēho, eripūit, etiām : fīant, fīet, fortunatiōr, fūit, fūerunt, fūere, fūisse : grandiuscula, gratīa, gaudēant : Hegioni, hūjus, hūjusmodi : ilignēis, illūus, indūit, injurīa, intrōire (quasi duæ essent dictiones, intro ire : intrōibas, quasi, intro ibas : sic in, antēhac, postēa, quōad, quasi, ante hac, post ea, quo ad. Me ipsum, et, te ipsum, pro duabus dictionibus sumit semper Terentius : ideo e semper eliditur in, me et te) istūus : liberūus : manēo, mēus, mēa, mēum (per omnes casus : sic, tūus, tūa, tūum ; et, sūus, sūa, sūum) mīhi, (alii malunt legere, *mī* : sic nil, non nil, pro nihil, nonnihil) misericordiā : necessariō, nuntīare, nuptīæ, nuptīis : omūa (sunt qui in hoc nomine primam ancipitem esse velint : nam ab *ὀμῶς* deductum volunt :) patrūum, perdūunt, perdūint, Phanūum, Phormio, Phormionem, priōr, priōreis, priūs, psaltrīa, pūer : rēi : scōo, scīas, scīens, nescīebam, scīebat, servīebas : (quidam legunt *scibam, nescibam, servibas*) solūus, somnūum, succensēam, sumtūosa : timēo : vīa, vidūa, uspiām. Hæc fere sunt quæ contrahere coguntur ii, qui creticos, bacchios, et amphibrachos in Terentianos versus non admittunt. Crebris etiam utuntur elisionibus, quibus literam unam tollunt e dictionis initio, vel medio, vel fine : aut etiam e calce duas. Id apostrophi nota ', quæ literæ rejiciendæ admoveatur, placuit indicare : tamen, cum literæ n applicatur, non abjiciendam sed abjectam innuit : ut : adeón', aín', vidén', pro, adeónc, aísne, vidésne : ubi et hoc obiter monendum, vocalem præcedentem, brevem hac interrogationis nota fieri, etiam si natura produceretur : quidam ancipitem esse arbitrantur. E principio tollitur v, ut in dictionibus sequentibus v'erebamini, v'erò, v'erum, v'erus, v'ix, v'oluptate, v'oluptas, v'os ; quas ut exteris illis pedibus locum nullum præbeant, ita efferunt : erebamini, ero, erus, &c. In, voluptas, tamen potest u ante pt, ut ante mutam cum liquida Græcorum more correptum censi. E medio eliduntur a, u vocale et consonum, l, s, et t : a, ut pa'rare, quasi, prare : u vocale ; ut, discipu'li, sæcu'lum, pericu'lum, per omnes casus (sunt qui malint legere *discipli, sæclum, periculum, pericli, periclo*, &c.) postu'lo, postu'lare, quasi dicas, postlo, postlare : v consonum ; ut, adjuv'erit, div'itias, enimv'ero, inv'eniet,

inv'idia, subv'enite; quasi legas, adjv'erit, dūitias (vel, ut alii malunt, *ditias*) enimerō, ineniet, inidia, subenite. L deperditur sæpe in pronomine, ill'e, ill'a, ill'ud per omnes casus, ill'ic, ill'uc: tum i corripitur; ile, ila, ilud, &c. ut et nonnulli etiam legunt: in, paulu'lum, eliduntur l et u, ut legatur, paulum: quod et alii alterius loco reponunt. S abjicitur in, huj'us'modi et ej'us'modi, ut antepenultima corripitur. In, ist'e, ist'a, ist'ud et reliquis casibus, istu'e, ist'ic, ist'æc, ist'orsum, quidam s, alii t malunt elidere, ut i breve censeatur. In fine dictionum sæpe absumuntur d et s ante quasvis literas: sed ante consonantes ipsæ solæ: ante vocales vero, non solum ipsæ, sed vocalis illas præcedens: atque hæc fere sunt in quibus absorbetur d: ad' (et in composito, ad'sum,) apu'd, id', quid' (maxime ante pronomen, iste, ista, istud) quod', sed'. S in terminationibus as, es, os, excludendum non offendi, nisi in, dies', narras', res', et taces': in is parce, idque dum breve est, veluti in nominativo, anguis', mensis', pestis', is' cum est pronomen: in genitivo, ut, adolescentis', venustatis'que: in verbis, ut, agis', credis', dicis', obtundis'. In, magis', et satis' passim absorbetur s: sunt tamen qui in illis locis malint legere *mage*, et *sat*. In dictionibus in us breve desinentibus elisionem admittunt etiam ii qui creticis, bacchiis, et amphibrachis utuntur: ut in, opus', herus', stolidus', ipsus', dehortatus', ejus', hujus', quibus', sumus', aliisque innumeris. Qui pedes illos rejiciunt, us productum etiam interimunt, ut in, rus': audent etiam elidere b in, ob': l in simul': m ante consonantes in, quidem' et enim': atque t in, erit', excessit', facit', liceret', occidit', oportet', studet', et similibus: sic in, quot' et ut'. Sed de diæresi, synæresi, et elisione hæc hactenus. Illud et hoc loco monendum, apud hunc auctorem passim inveniri vocales finales non elisas (quod hæc nota "expressimus) ante alias vocales: idque in uno atque eodem versu: et contra, in versibus diversis vocalem finalem prioris a vocali sequentis absorberi: et rursus primam secundi versus ad finem prioris pertinere: idem judicium de dictionibus in m desinentibus, cum sequitur vocabulum a vocali incipiens. Ceterum vocales illæ finales non elisæ, quæ natura aut diphthongo producerentur, hic fere corripiuntur: interdum tamen invariatae manent, et maxime ante 'h,' quod hic sæpe ita plenam vim habet consonantis, ut præcedens brevis in m vel aliam consonam desinens positu longa censeatur. Horum omnium exempla huc congerere supervaca-

neum esse duximus, cum nusquam lectori non sint obvia futura, in quacumque hujus libri paginam oculos converterit. Illum itaque his principiis et præceptionibus instructum eo dimittam, modo et illud addiderim, nos uni versui geminam dimensionem apposuisse, non solum ubi incidit disceptatio ob alienos illos pedes, sed etiam in versibus ambiguï: cum scilicet idem versus simul et in iambici acatalectici et in trochaici catalectici numeros venire poterat. Sunt et alia ratione versus ambiguï, præcipue tetrametri catalectici: in quorum sede septima ponitur brachysyllabus, in aliis vero regionibus nullus consistit iambus, neque etiam trochæus: ut actus 11. *Andriæ*, penultimo scenæ, 2. versu.

Nisi vides, nisi senis amicos oras, ambis. C. Bene mones.

Hic versus regione prima tertia et septima brachysyllabum habet: secunda dactylum: quarta, quinta, et sexta, spondæum: ultima syllabam longam, quæ versum illum catalecticum esse demonstrat. Sed ambigere quispiam merito possit, iambicusne, an trochaicus censi debeat; cum ibi nullus sit iambus qui iambicum, neque trochæus qui trochaicum possit indicare. Judicium igitur aliunde petendum est: nempe a vicinis versibus, qui trochaici sunt omnes: quo circa et hic trochaicus est judicandus. Quamvis enim iambici et trochaici sæpe inveniantur intermisti; hoc tamen est ita temperandum, ut, quo plures ejusdem generis in unum digerere queamus, id omnino conemur: neque vero hujus rei gratia, vel etiam ob alias quascumque comitorum versuum leges, eorum diligentiam imitandam existimo, qui etiam contra omnium probatorum et receptorum codicum testimonia nihil non in Terentio sibi licere invertere autumant, modo versum ad unguem suis numeris constare demonstrant: in quorum tamen observatione ipse Terentius de industria negligens fuisse perspicitur. Nos Terentio numeros, non Terentium numeris astringendum arbitramur: quapropter nihil unquam ob metri rationem immutavimus in contextu: nisi duo aut plura eaque fide digna in idem consentirent exemplaria: lectionis tamen varietatem ubique fere ad marginem apposuimus: una cum literis et notis, quæ diversam indicent dimensionem ab ea, quam receptiori et in contextu positæ lectioni assignavimus. Valete Saræi, eximia spe adolescentuli. Lugd. Idib. Aug. 1556.

JOACHIMI CAMERARII

DE COMICIS VERSIBUS DIATRIBA.

DE Plauto Fabularum istarum auctore pauca dicam, in primis ut constet quo tempore vixerit. Hunc incidere in ætatem Catonis, quo et ipso censore mortuum esse, scripsit Cicero, ante se Cos. 160. annis, hoc est, ab U. C. circiter D. P. Claudio, L. Portio Coss. Cujus ætatis, in quam Nævius quoque includitur, participes fuere ultra citraque Ennius, Cæcilius, Pacuvius, Terentius. Pacuvium quidem ac Cæcilium male locutos, Cicero ait. Ennium et Nævium probat. Sed nostro studio relictus est Plautus et Terentius tantum. De his igitur petenda forma Latinæ locutionis, et sternendum quasi solum, super quo oratio bona et diserta, verbis et sententiis apte constructa collocetur. Non enim compositio, neque veluti ædificatio qualis esse debeat illius, hinc cognosci et disci potest. Etiam munditiæ et nitori, et, ut ita dicam, innocentæ ac integritati sermonis antiquitas officit, cum quia omnium rerum est sua elaboratio et perpolitio, quæ perfectio existimanda, tum quod studium elegantiae ut in vita, sic sermone quoque illa non usurpavit. Quapropter posteriores in sermone priorum nonnulla mutarunt emendantes, formam certe componendo, et quasi coagmentando atque reconcinnando reddiderunt et pulchriorem et meliorem. Hæc jam illa est certa et constans, atque omnium eruditionis atque bonarum artium cupidorum imitationi sola proposita, Ciceronis, et eorum qui ætate illa vixerunt: sed Ciceronis, ut principis et auctoris Latinæ linguæ, de quo alibi disseruimus copiosius, cum contra reprehensores hujus studii disputaremus. Hæc autem qui perspexerit, in Plautinis et Terentianis scriptis ita versabitur, ut quasi materiam orationis bonæ, et, si fas nobis est dicere, eloquentiæ Latinæ ab illis sumat, neque in delectu vel verborum vel figurarum sermonis hallucinabitur. Sed de hoc jamdudum satis. De comico autem carmine etsi alii scripsere, quæ et magnifacio et probo, tamen nostro quoque studio existimo adhuc loci aliquid relictum esse. Cum res illa quidem ejusmodi sit, ut penitus comprehendi, et omnium etiam diligentia quasi enucleari his temporibus nequaquam posse videatur. Quo autem est difficilior labor, eo assiduitatis plusculum in vestigando adhiberi con-

venit. Nihil autem tam est abstrusum, de quo non aliquid, si sæpius et studiose exquiratur, erui posse sperandum sit: τὸ γὰρ ζητούμενον, inquit Sophocles, ἀλωτὸν, ἐκφεύγει δὲ τὰ μελούμενον. Minus autem certe turpe est, in eo a quo quamplurimos magnitudo et obscuritas deterruerit, quantumvis modicos, quam illorum vestigiis insistentem nullos progressus fecisse. Si tamen est adeo digna res, ubi quis nervos intendat suos, ut ait Terentius. Quod quidem ita esse nobis persuasum est, et senserunt omnes qui aliquam famam eruditionis literarum et doctrinæ consecuti fuerunt. Cum quidem non solum bestię demulceantur numeroso sono, sed solitudines etiam atque sylvę quasi afficiantur, ita respondeant carminibus. Qui Musarum reliquias in cura bonarum artium non amplectetur, vel etiam contemnet, eum nos quidem nimis aut fastidiosum aut barbarum quoque esse judicabimus. Etsi fatemur in hac parte supervacaneum, et in quodam inconcesso amore Musarum insanum studium impendi non oportere, ne, sequentes volucres illas, hoc remigio destituti, ut de Pyrenęo fabulę tradunt, in exitium nos præcipitemus.

Sed ad rem accedamus: pauca quidem quasi præfati de horum scriptorum genere. Comicus poëta fuit Plautus. Comœdia autem est poëma δραματικὸν, hoc est, expositio numerosa, id est, carmine comprehensa, et in actionem implicita, seu collata in personas, argumenti ficti, de rebus, casibus, negotiis sumtis e vita communi, et quasi quotidianis eventis. Hoc carminis genus de Tragœdia fluxit, ut Horatius docuit, qui Thespin dicit invenisse ignotum genus tragicę musę: atque addit:

‘ Successit vetus his Comœdiã non sine multa
Laude.’

Initia autem fuisse admodum parva et rudia, cum hilares, post labores exactos, diebus festis concinerent aliquid, et alii, et idem Horatius in Epistola ad Augustum perhibet, ubi dicit, ab innoxiiis jocis libertatem hanc ad intolerabilem licentiam provectam fuisse. Qui primus autem Comœdiam scripserit, non constat. In libro qui Aristoteli inscribitur de Poetica, inter alia et hæc leguntur: Siculos sibi vendicare inventam Comœdię, fuisse enim Epicharum ante Chonnidem et Magnetem: et uti nominis quoque testimonio. Esse enim certe Comœdiam non ἀπὸ τοῦ κόμῳν, sed ἀπὸ τῶν κωμῶν, id est, non de hilaritate et exultatione, sed de pagis

appellatam. Sed ab Atheniensibus pagos non *κώμας*, verum *δήμους* vocari. Similiter et quosdam Peloponnesios ait suum facere inventum Tragœdiam, quod fabulæ *δράματα* dicantur, cum tamen Atheniensibus in usu non sit verbum *δρᾶν*, sed *πράττειν*. Ibidem et hoc scriptum est. Ab eo demum tempore Comœdiæ auctores celebrari, quo formam illa et speciem quandam nacta fuerit, cum principio obscura esset, et auctores ipsius laterent. Sed Comœdia, quæ priscis temporibus in usu fuit, qua nominatim hi aut improbos aut inimicos suos perstringebant, principum etiam virorum vitam et mores reprehendentes, hæc igitur antiqua dicta est. De cujus licentia *κωμωδεῖσθαι* vulgo dixere eos, qui probris lacerentur. Hujus auctor vetustissimus nominatur Sannyrio. Sed excellentes fuere, temporibus belli Peloponnesii,

Eupolis atque Cratinus, Aristophanesque poëtæ.

Hæc postea fuit mutata, cum dolerent, ut inquit Horatius, cruento dente lacerassiti. Tum nomen obtinuit Mediæ, quæ dissimulato nomine vitia tantum exagitaret :

Quinetiam lex

Pœnaque lata, malo quæ nollet carmine quenquam
Describi.

Atque ferunt Eupolin in mari submersum, ab iis quos maledictis læsisset. Tum igitur Tragœdiarum fere argumenta detulerunt in scenam, retexta ad ridiculum modum : deque hoc genere chorus paulatim defluxit. In quo præ ceteris clarus fuit Plato comicus. Hanc secuta est nova Comœdia, in qua primas tenuit Menander, potente rerum Alexandro magno : atque hæc chorum omnino non habet, sed ornatu vario et multiplici personarum insignis est. Atque hæc indicanda breviter et strictim putavi, de initiis ac progressionibus Comœdiæ apud Græcos. Apud Latinos autem, scenicos ludos institutos fuisse C. vel ut alibi, T. Sulpicio Bætico (vel ut alibi, Petico, alibi Potico) C. Licinio Stolone Coss. notavit Valerius : et paulatim ludicram artem ad satirarum modos perrexisse, a quibus primus omnium poëta Livius ad fabularum argumenta spectantium oculos et animos transtulerit. Cicero autem scripsit, Livium primum omnium Fabulam dedisse, annis fere 410. post Romam conditam : fuere autem celebrati primum Ludi Romani patrum et equitum, qui et Magni, ludicrum autem equi

et pugiles, ut Livius memorat, lib. 1. qui et Ludorum plebeiorum mentionem fecit lib. xxviii. Idem Livius, quo tempore et qua de causa instituti et Ludi scenici dicti sint, copiose eadem quæ Valerius retulit lib. vii. Quod tempus est Urbis circiter 309. Idem tamen lib. xxxvi. scripsit, ob dedicationem ædis Matris Magnæ primos ludos scenicos factos, Valerium Antiatem esse auctorem, Megalesia appellatos, quod tempus distat a priore annis pluribus 165. Cicero Livium Fabulam docuisse, ut retulimus, scripsit in Bruto, et prima Tusc. Claudio et Tuditano Coss. anno U. C. 410. Hoc Gellius retulit in annum 510. ideoque fuere qui apud Cicero- nem numeros mutandos censerent. Quod nobis fieri oportere non videtur, cum ipse Cicero indicet, alios hæc aliter exposuisse, et res sint inexplicabiliter confusæ. Sed, postquam componere Fabulas argumentosas poëtæ Latini cœperunt, sequentes et vertentes Græcorum scripta, in hoc genere magna licentia usi fuerunt. Cum autem essent Latinorum propria quædam poëmata, ut Atellanorum, videntur libertatem illam in Græcis et Latinis argumentis poëtæ Latini, non tam fuga laboris et cupiditate edendi sua, ut Horatius putat, quam necessitate quadam custodisse, ne aures civium peregrinitate offenderentur. Ita factum puto, ut neque intra trimetros constiterint, neque Græcorum exquisitionem et quasi normam, ad quam numeros illi exegerant, hi servarint. Sed nunc deinceps de ratione horum, et carminum comicorum structura, quæ nostra diligentia observavit, quæque postulare videtur lectio Fabularum Latinarum, breviter quidem disseremus: ita tamen, ut fortasse nondum ab aliis demonstrata indicemus. Metra præcipua sunt novem; iambicum, trochaicum, dactylicum, anapæsticum, choriambicum, antispasticum, ionicum a majore, ionicum a minore, pæonicum. E quorum numero nunc eximemus iambicum et trochaicum, deque iis quæ videbuntur dicemus. Iambicum metrum a principe pede nomen habet: qui a conviciis appellatus fuit, ut placet Aristoteli: cumque sit maxime conveniens sermonibus (nam, fortuito etiam loquentes, iambos crebros proferimus),

Hunc socci cepere pedem, grandesque cothurni,
 Alternis aptum sermonibus, et populares
 Vincentem strepitus, et aptum rebus agendis,

ut ait Horatius. Hoc carmen, cum purum est et integrum, omni- bus in locis iambos habet: ut apud Catullum:

Phaselus ille quem videtis hospites
Ait fuisse navium celerrimus.

Et Horatium :

Beatus ille qui procul negotiis.

Quo autem gravius paulo in tarditate procederet iambus,
Spondæos stabiles in jura paterna recepit
Commodus et patiens, non ut de sede secunda
Cederet aut quarta socialiter.—

Sed neque tragici hoc, in primis Latini, servarunt, et comici omnibus in locis collocarunt pedes sine discrimine quinque : dactylum, anapæstum, tribrachyn, spondæum, iambum.

Syllaba longa brevi subjecta vocatur iambus :

Deos, cliens, ferox ; quæ si ambæ breves sint, Pyrrhichius is pes vocatur : lege, here, grave.

Spondæus habet duas longas : exlex, concors, amens.

Tibrachys tribus brevibus constat : domine, canere, misera.

Anapæstus, duabus primis brevibus, postrema longa : silices, rabies, patiens.

Dactylus, prima longa, sequentibus duabus brevibus : litera, scribere, musica.

In Latinis comicis rari iambi sunt, etiam in trimetris, qui sunt senarii. In integro tamen iambico, vult esse ultimus pes hic, aut propter ultimæ indifferentiam pyrrhichius, quasi definiens numeros ac versum. Sicut in dactylico, quintus dactylus. Horum loco cum spondæus ponitur, ii versus tum *σπονδαίζοντες* et *σπονδαϊκοὶ* dicuntur, ut :

Armatumque auro circumspicit Oriona.

Apollinarem conveni meum scazon.

Claudicare enim hi versus putantur, et *σκάζοντες* nominantur, et *χωλιαμβοί*. Comici autem, ut dixi, numeros ideo minus distinxerunt, ut similitudo sermonis communis custodiretur. Itaque Cicero in Oratore sic ait : ‘ At comicorum senarii propter similitudinem sermonis sic sæpe sunt abjecti, ut nonnunquam vix in his numerus et versus intelligi possit.’ Hæc confusio cum est maxima, tum carmina vocantur *ἀπεμφαίγοντα*, id est, immanifesta, et *ἀνάρμοστα* :

Exclusit, revocat, redeam? non si me obsecret.

Qui versus, si producas penultimam, erit dactylicus *σπονδαΐζων*.

Tres unam pereunt adolescentes mulierem :

Totus dactylicus, præter ultimum iambum. Hoc genus et ad octonarios producit a Comicis, qui sunt *τετράμετροι*: a Latinis etiam quadrati vocantur. Habet apud eosdem et *κατάληξιν*, ita ut ad senarium additus amphibrachys, id est, syllaba brevis longa brevis : aut bacchius, id est, syllaba brevis longa, (ultima enim syllaba omnis versus est indifferens,) hoc numeros perficiat :

Nam si remittant quippiam Philumenam :

hic est *τρίμετρος*. Addantur illæ tres syllabæ, ‘dolores,’ et erit jam *τετράμετρος καταληκτικός*. Nam in hoc genere alii pedes, quam supra memorati, non nominantur. Sed neque servarunt hoc, ut ante *κατάληξιν* semper esset iambus : neque non pro syllaba longa catalectica sæpe duas breves posuerunt :

Ædepol lenones, meo animo, novisti, Lusche lepide.

Ante *κατάληξιν τρίβραχυσ* est :

Tacuisse mavellem, haud male meditate male dicaces.

Ante *κατάληξιν* est spondæus :

Bene ego istam eduxi meæ domi, et pudice. —

— Si hujus miseret.

Ante *κατάληξιν* est dactylus :

Nunquam me orares quin darem : nunc illum te orare melius est.

‘Lius est’ in unam syllabam concresecunt. Hi versus appellantur hipponactei, ab auctore, et Latine septenarii : tum enim, Priscianus ait, Varronem scripsisse, fieri septenarium, cum ad senarium iambicum trisyllabus pes addatur, hoc modo :

Quid immerentibus nocet? quid invides amicis?

Talia sunt Aristophanea in Pluto, quorum primum hoc :

ᾠ πολλὰ δὴ τῷ δεσπότῃ ταῦτόν θύμον φαγόντες.

Trochaicum carmen est iambicum commutatum : trochæus a volubilitate et ratione nomen habet, contrarius pes iambo, constans

longa et brevi scribe, musa, verba. Hoc iambum non admittit, quemadmodum neque in iambicum trochæus ingreditur. Etsi reperitur etiam in Græcis *τροχαϊκὸν τετράμετρον καταληκτικὸν*, in cujus quarto loco ponitur iambus, ut in Nebulis :

Ἦ θεώμενοι, κατερῶ πρὸς γ' ὑμᾶς ἔλευθέριος. Idque Eὐπολίδειον ἀσύστατον vocarunt.

Sed multo majore licentia Latini usi fuerunt, et passim, ut videtur, inseruerunt iambos. Docent autem ita fieri hoc carmen, si ad senarium iambicum addamus creticon, qui ἀμφίμακρος, id est, syllaba longa brevis longa : ut 'aurifex,' hoc modo :

----- Dii boni,
Boni quid porto ; sed ubi inveniam Pamphilum ?

Et :

----- Lætus est,
Nescio quid : nihil est : nondum hæc rescivit mala.

Ita hos numeros composuisse Archilochum perhibent, atque ab eo μέτρον Ἀρχιλόχειον dictum. Sed hoc non servarunt comici, præsertim Latini, ut secundam syllabam brevem semper facerent, quod præceptum de cretico subjicit, cum in hoc versu ubique reperitur, dactylus, anapæstus, spondæus, trochæus, τρίβραχος :

Apage, non placet me hoc noctis esse : cœnavi modo.
Quid si ego illum tractim tangam ut dormiat ? servaveris.
Exossatum os esse oportet, quem probe percusseris.
Facinus, nequiter ferire malam male discit manus.
Illic homo me interpolabit, meumque os finget denuo.

In fine esse ante κατάληξιν debet trochæus, ut carminis ratio appareat, sed reperitur et τρίβραχος : ut :

Quid id exquiris tu, qui pugnis os exossas hominibus.

Et Aristophanes :

Ἦ σοφώτατοι θεαταί, δεῦρο τὸν νοῦν προσέχετε.

Sæpe autem multumque usi fuere hoc carmine Archilochio Comici, et illo plurimas sermocinationes composuerunt. De aliis generibus quid dicam, aut quomodo in Latinis Comædiis indicem, non habeo. Etsi Sisenna, referente Rufino, anapæsticum metrum in Aululariæ quadam scena esse dixit, sed concisum ita, ut non intelligatur. In his igitur nos frustra torquere, præsertim tam fæde

corruptis exemplis, et in metricæ nequaquam exacta cognitione, nihil necesse, vel potius curiositatis hoc fuerit, otio non admodum liberaliter abutentis. Confusa quidem, id est, *συγκεχυμένα μέτρα* plurima sese offerunt passim tam in Plauto, quam Terentio: in quibus iambus et trochæus, et alii pedes ingredientes hæc metra, collocantur promiscue. Quod autem ad *καταλήξεις* et *βραχυκαταλήξεις* et *ὑπερκαταλήξεις* attinet, de eo magis suspicari possumus, quam certi aliquid demonstrare. Qui tamen cogitatione non illiberali his de rebus sese occupare voluerint, ii primum ad exemplum aliquod rationem numerorum in versibus conferent, et ita informabunt animo qualemcumque notionem horum. Ponatur igitur hoc. Numeros esse aptos quosdam et determinatos, et consentaneos sonos vocis humanæ. Hi cum in voce natura insint, in oratione quoque inesse oportet. Sed, cum abest cura compositionis, et ars quædam veluti structuræ, facile illi et dissipantur et delitescunt. Atque hoc est quod Aristoteles poëmata suapte sponte extitisse, et fortuito prodiisse ait, ipse *αὐτοσχεδιάσματα* vocat. Hæc concinnitas quædam in omnibus linguis reperitur, ad quam aurium observatione adhibita, versus extitit, elaboratus studio et arte ingeniosorum et doctorum hominum, et processu temporum ita suo quisque in genere perfectus, ut nihil fieri elegantius neque pulchrius, aut magis sonorum posset. Potestque de nostris vernaculis cantilenis etiam aliquo modo hoc cognosci, utquamvis forte hoc ineptum videatur, sed in docere fideliter cupiente nihil ineptum, si conferamus hæc nostratia ad illa erudita; nonne in his similiter desinentibus, quæ nostrum vulgus rhythmos appellat, aliquid iambicis senariis simile agnoscitur? et in modis chorearum, quasi anapæsticum est et pæonicum melos. Sed et in soluta oratione diligentia nunc multorum, accurate verba componens, *ῥύθμους*, qui sunt numeri, efficit. Certo autem et plane ostendere omnia, id esse ejusmodi puto ut fieri nequeat, quemadmodum et in aliis, quæ usu perdita fuerunt, instauratio et restitutio absoluta desperanda est. Citius enim mihi aliquis illud Hesiodæum plaustrum lignorum centum construxerit, quam scenam hoc tempore explicuerit, omnibus partibus et numeris suis, ut dicitur, absolutam. Hoc tamen dubium non est, in linguæ ejusque usu communi, harum rerum rationem consistere, quo labefactato aut amisso, illa quoque vacillet atque confundatur, vel potius non magis appareat, necesse est. Est autem in omni genere carmi-

num varietas numerorum depositionis, ut vocant: ea est versus conclusio, talis quædam. Versus dicitur ἀκατάληκτος, qui est plenus et integer, et pedes suos habet totos: ut:

Poëta cum primum animum ad scribendum appulit.

Versus est iambicus trimeter, qui et senarius ἀκατάληκτος. Sic est ἀκατάληκτος Theocriteus hic primus in Fistula:

Οὐδενὸς εὐνάτειρα, μακροπτολέμοιο δὲ ματήρ.

Et postea σκάζων:

Μαίης ἀντιπάτρου θοὸν τέκες ἰθνητῆρα.

Et mox καταληκτικὸς εἰς συλλαβὴν:

Οὐχὶ Κεράσταν, ὅν ποτε θρέψατο ταυροπάτωρ.

Et πεντάμετρος deinde, vel καταληκτικὸς εἰς συλλαβίς:

Οὔνομι' ὄλον δίζων ὃ τᾶς μέροπος πόθον.

Atque ita usque ad δίμετρα καταληκτικὰ εἰς συλλαβὴν, καλλιόπη et νηλεύσιψ. Nam in hoc genere μονόμετρος ἀκατάληκτος fietet unus pes. Metimur enim omnia genera carminum pedibus duplicatis, præter dactylicum. Idque et Rufinus testimonio Herodoti comprobavit, Veteres factitasse: nam dactylica oracula reddita fuisse ait τόνφ ἑξαμέτρφ. Gygis autem facinoris meminisse Archilocom in iambico versu τριμέτρφ, qui hujusmodi quidam ibi ascribitur:

Οὔ μοί γε Γύγεω τοῦ πολυχρύσου μέλει.

Est ergo et elegiacus dactylicus, quem, ut scimus, tribus dactylicis pedibus additi anapæsti duo absolvunt,

“Ὅττι δὲ μοῖρα παθεῖν, οὔ τι δέδοικα παθεῖν.

Lis est cum forma magna pudicitia.

Ita penthemimeris utraque conjuncta, et ipsa facit spondæum, ut sic pedes quinque dactylici construantur. Est autem penthemimeris τὸ μὴ πενθημιμερῆς, id est, quinary, cum syllaba in verbo superest post pedes duos:

Arma virumque cano.

Hepthemimeris, τὸ μὴ ἑφθημιμερῆς, cum fit hoc post tres pedes:

Mnesthea Sergestumque vocat.

Sed in aliis versuum generibus metra duplicatis pedibus procedunt, ut in iambico est hoc *μονόμετρον ἀκατάληκτον*, id est, habet duos pedes integros :

Pessima, mane.
Optume, odio es.

Δίμετρον hoc :

Verebar quorsum evaderet.

Τρίμετρον :

Obsequium amicos, veritas odium parit.

Τετράμετρον hoc :

Quid faciam nunc ? si tres viri me in carcerem compegerint.

Atque hactenus producti iambici versus exempla adduxisse satis fuerit, etsi grammatici : *πενταμέτρον* quoque formam adjiciunt. Illum autem tetrametrum reperisse Boiscum quendam Cyzicenum, *ἐπίγραμμα* indicat, tetrametri *ἀκατάληκτον* et *καταληκτικῶν*, quod legitur in Commentario Rufini de Metris Terent.

*Βοῖσκος ὡπὸ Κυζικοῦ, παντὸς γραφεὺς ποιήματος,
Τὸν ὀκτάπουν εὐρῶν στίχον Φοῖβῳ τίθησι δῶρον.
Boiscus ille Cyzicenus scriptor omnis carminis
Versus pedum octo repperit, Phæboque dedicavit.*

Verum ad *καταλήξεις* revertamur. Est igitur *καταληκτικός*, cum deest, quo minus versus compleatur, syllaba una :

Date, mox ego huc revertar.

Iambicus *δίμετρος καταληκτικός*. Sit enim ‘revertero,’ nam et hac forma usi verbo fuerunt, erit jam *ἀκατάληκτος*.

Si mihi perget quæ vult dicere, ea quæ non vult audiet :

trochaicus Archilochius, id est, *τετράμετρος* seu quadratus *καταληκτικός*. Sit enim ‘audientur,’ erit trochaicus *τετράμετρος* omnibus numeris absolutus.

Hypercatalecticus versus est, in quo syllaba una abundat : hujus exemplum de dactylicis adducunt :

Alloquitur Venus. O qui res hominumque Deorumque.
Jactemur doceas, ignari hominumque locorumque.

Verum diligentiores in dactylico genere *ὑπερκατάληξιν* et *βραχυκα-*

τάληξιν nominari oportere negant, sed κατάληξιν εἰς συλλαβὴν, aut εἰς δύο. Ex Plauto Priscianus δίμετρον iambicum ὑπερκαταληκτικὸν esse hunc voluit :

Hospitio publicitus accipiar.

De quo nos dubitare, neque hanc distinctionem servasse, ante indicavimus.

Βραχυκαταληκτικὸς dicitur, cum toto pede deficitur versus integritas. Ut si *μονόμετρος* sit, 'eheu mihi,' *βραχυκατάληξίς* erit, 'eheu.' Priscianus *δίμετρον* hunc retulit : 'ita peregre adveniens :' de quo supra. Et jam fassi sumus, hæc neque observari, neque exquiri potuisse a nobis, et haud scio an a nullo possint omnium qui nunc vivunt, in tam tenui scientia musices antiquæ, et hac depravatione exemplorum.

Sciendum autem, Comicos Latinos Prologos et primas fere scenas pertexuisse senariis iambicis, qui sunt *τρίμετροι ἀκατάληκτοι*. Plautus tamen et in *Amphitryone* et alibi, in primis statim scenis numeros mutavit. A trimetris autem ad longiores pervenerunt, ut *τετραμέτρους* :

Mirabor hoc si sic abiret, et heri semper lenitas.

Ne forte imprudens faciam quod nolit, sciens cavebo.

Quid? credebas dormienti hæc tibi confecturos Deos?

Nec non concidisse reperiuntur versus, ut subjicerent longis breviores. Nec non confudisse numeros, ut miscerentur trochæi et iambi : de quibus jam satis dictum. Hoc autem silentio prætereundum non est, in iambico et trochaico creticum non esse : quamvis de Archilochii trochaici structura ille præcipiens, Rufinus, ut ferunt, hoc scripserit :

Creticon Archilochus supra caput iambi.

Nam cretici ratio, qui est, ut diximus, *ἀμφίμακρος*, temporum quinque, ab hoc genere est alienior. Itaque quidam inculcantes iambicos et trochaicos versus hunc pedem, audiendi, mea quidem sententia, non sunt. Et si, ut verum fatear, hoc dixisse illi videntur, in his versibus reperiri verba in quibus creticus insit : ut 'ædepol,' et similia, de quibus postea. Non quod in versu jam sit creticus, sed quod in illis esset verbis, si totis syllabis plane proferrentur. Hæc sententia est, ut puto, Scaligeri, viri eruditi, qui de Versibus Comicis edidit brevem libellum : itaque in eo re-

quisivimus nonnulla, quæ minus explicarentur nobis, et viderentur secundum Platonem, τοῦ παρὸς δεῖσθαι βοηθοῦ, ἀνὰ οὐτ' ἀμύνασθαι, οὔτε βοηθῆσαι ἑννατὰ αὐτοῖς. Ad numeros versuum comicorum expediendos assumenda sunt ea quæ Græci πάθη nominant λέξεως, quibus et dilatantur et contrahuntur dictiones. Idque nimirum tum loquentes communiter fecerunt, ut pluribus aut paucioribus syllabis verba enuntiant, quam nos descriptura, aut secundum rationem versuum nobis notam. De qua re nunc etiam breviter quædam memorabimus.

Dilatantur verba dissolutione, seu divisione syllabarum, quæ est διαίρεσις. Ut 'iam,' δισσυλλάβως. Quod et Scaurum Rufinus ait indicasse, qui diceret in Pseudolo 'nunc iam' esse tres syllabas, et Plautum divisisse 'jam' in duas. Tale est indicatum in eadem fabula, 'malai,' τρισύλλαβον. Sic et 'quis,' 'qui,' 'quæ,' et casus horum diviserunt :

Qui per virtutem peritat, non interit.

Legendum 'Qui' δισσυλλάβως : si est vera scriptura, de quo quæretur illo in loco. Sed exempla in Plauto jam multa indicavimus. Apud Horatium lib. II. Carm.

Ramis et obliquo laborat.

Est enim versus iambicus dimeter ὑπερκαταληκτικός. Huc pertinet 'calim,' pro, clam, ut Festus ait. Et in diversis verbis hiatus vocalium. Quod tamen non fecisse Latinos, nisi poëtas quosdam, Cicer. in Oratore scripsit, qui, ut versum facerent, sæpe hiaverint. Ennium semel : 'Scipio invicte :' et se :

Hoc motu radiantis etesiæ in vada ponti.

Sed sunt et apud Maronem hujus divisionis exempla :

Et longum formose vale, vale, inquit, Iola.

Insulæ Ionio in magno.

Ter sunt conati imponere Pelio Ossam.

Glauco et Panopeæ et Inoo Melicertæ,

Apud Horatium, lib. I. Carm.

Ossibus et capiti inhumato.

Apud Lucretium, lib. V.

Passim per cœli volvunt se inania templa.

Et lib. II.

Vivam progeniem qui in oras luminis edant,

Ubi tamen et *διαίρεσις* esse potest dictionis ‘qui :’ ut et in hoc versu :

At contra quæ amara atque aspera cumque videntur.

Et apud Horatium rursus lib. 111. Carm.

Jam virum expertæ male ominatis
Parcite verbis.

Et Sermon. lib. 1. Satira 9.

Si me amas, inquit, paulum hic ades.

Item cum retinetur litera m, *ἀνέσθλιπτος*, tum *collisio* usitata fieri non potest, ut :

Insignata fere tum millia militum octo.

Ut Horatius :

Nil opus est te circumagi.

Lucret. lib. 111.

Namque papaverum aura potest suspensa, levisque.

Et libro 1.

Corporum in plumbo est.

Et rursus :

Plus in se corporum esse.

Et mox :

Corporum augebit numerum.

Et paulo post :

Corporum atque loci.

Et rursus lib. 111.

Sed dum abest quod avemus.

Et libro 11.

Ceteraque cum ita sunt.

Et hoc :

Nam quod fluidum est.

Atque etiam vocalium concursum et contractionem, interposita litera d, prohibuerunt. Sicut in : redeo, redhibeo, redarguo, redoleo, reduncus, et in diversis dictionibus : mederga, tedhoc noctis. Ita longæ illæ manent, si natura longæ sunt. De his exempla quædam Plautina promiscue ponam, pauca illa quidem, sed de quibus similes loci facile explicari posse videantur :

Jam hi ambo et servus et hera frustra sunt duo.

‘Jam hi am’ est iambus, vel soluta dictione ‘Jam,’ vel retenta litera m.

Quot pondo tedessee censes nudum, non ædepol scio.

Ille opere foris faciundo lassus noctu advenit.

Quanquam invita te carebo, animum ego inducam tamen.

Te heri me vidisse, qui hac noctu in portum advecti sumus.

Blepharonem ut re divina facta mecum prandeat.

Nimis bella es atque amabilis, et si hoc esset meum hodie.

Qui versus omnes *διαίρεσει* explicari poterunt. Contractio syllabarum crebrior est. Et apparet, fuisse linguam Latinam magis aptam ad voces cogendas, quam distrahendas. Hoc illud etiam indicat, quod retulit Cicero lib. II. de Divinatione: ‘Cum M. Crassus exercitum Brundusii imponeret, quidam in portu caricas Cauno advectas vendens, Cauneas, clamitabat. Dicamus,’ inquit Cicero, ‘si placet, monitum ab eo Crassum, caveret ne iret.’ Sonuisse enim apparet illud, ‘cauneas,’ contractum hoc, ‘cave ne eas.’ Hæc indicantur nominibus *συναλοιφῆς* et *ἐπισυναλοιφῆς*. Synalæphe, quæ et *συναίρεσις* proprie vocatur, cum duæ syllabæ in unam veluti confluunt. Ut Phæton *δισσύλλαβον*, pro trisyllabo Phaëton :

Cum te dejectum crudeli fulmine, Phæthon.

Nam a et e lingua Latina diphthongum faciunt. Deinde, proinde, *δισσυλλάβως* Lucret. Tandem coierunt *τρισυλλάβως*. Nihil, nil : mihi, mi : mehe, me : si vis, *κατ’ ἔκθλιψιν* u pro consonante, sis ; ille et terris, illet. Sceptroque innisus eburneo : eburno. Pendentes lychni laquearibus aureis : *δισσυλλάβως* :

Libra diei noctisque pares ubi fecerit horas.

Diei, vel, die, duabus syllabis. Tale et, rei, *συννηρημένως*.

Sic Dii, Di sunt : et iit, it : periiimus, perimus : *ἐπισυναλοιφή* autem longius patet, cum, qualescumque vocales contrahuntur, deque duabus syllabis una fit : quod sæpe nobis mirifice factum videtur in lingua Græca et Latina, cum in sua fieri nemo miretur, quia minus considerat. Secundum autem diversarum linguarum naturam diversitas in his est. Sed exempla *ἐπισυναλοιφῆς*, ad quam quidem et *ἔκθλιψις* et *συνίησις* referenda, hæc sunt : fuit, una syllaba. Lucret. lib. v.

Et ambiens multa percussit.

Et :

Et equorum duellica proles.

Ubi et *σύλληψις* esse potest ‘duel.’ Et :

Et sonitu sterilia.

Item :

Nunc scio quid sit amor.

‘Sco’ *κατ’ ἐπισυναλοιφήν* legendum, ut Diomedii placet. Sodes : si audes. Sultis : si vultis, *κατ’ ἔκθλιψιν*. Suam, sam : suum, sum : suis, sis : eum, im : eapse, ea ipsa : sapsa, se ipsa :

Postquam lumina sis oculis bonus Ancus reliquit.

Virgines nam sibi quisque domi Romanus habet sas.

Quo res sapsa loco sese ostentatque jubetque.

Tuus, tus : tua, ta : suæ, se : aut *συλλήψει μονοσυλλάβως*, sicut : suavis. Est et crebra *ἔκθλιψις*, et postea contractio : ut, amaverunt, decreverat, commoverit : amarunt, decrerat, commorit. Et apud Lucretium :

Irritat virtutem animi.

Pro Irritavit. Sultis, pro, si vultis :

Pandite sultis genas et corde relinquite somnum.

Omnino autem, quo minus corripere pronuntiatio, non obstitit Veteribus u pro consonante : ut ‘Sine invidia laudem invenias.’ Est enim Sin inid. *τριβραχυσ*. Audivi, audii. Eliditur et litera m, ‘Multum ille et terris.’ Hanc collisionem vocant. Etiam litera b non obstitit interdum contractioni syllabarum : ut, abi, *μονοσυλλάβως* prolatum : *συγκοπή* est concisio, cum syllaba diminuitur verbum. Nis, pro, nobis : scilicet, pro, scias licet : capsis, pro, cape si vis. Emem, pro, eundem. Cete manus, pro, cedite. Actæ non alio rege puertæ, pro, puertæ :

Evasti? credo metues, doctusque cavebis,

Vixet, cui vitam Deus et sua dextra dedisset.

Motus quoque surpere debet.

Quæ me surpauerat mihi.

Extritio autem proprie unius tantum literæ est, ut illa *ἔκθλιψις* literæ m, et literæ u, pro consonante : et, caldior, lamnæ, pro calidior, laminæ : istic, priore brevi : ab olis, pro, ab illis : antiqui enim literam non geminabant, ut inquit Festus : qui et fenestram dixere, quam posteriores *τρισυλλάβως* fenestram. Senx, vel snex,

pro, senex. *Ædepol, ædpol. Virgines, virgnes. Semine oriundi :*
Sed magis universum, apud Lucretium, *Semne et unversum. Sic*
et in, *evenat, extrita i litera videtur, ut apud Ennium, referente*
Nonio :

Senex siem, utinam mortem oppetam priusquam evenat.

Quod in pauperia mea senex graviter gemam.

Quin etiam initiales syllabas quasi absorbentes minus expresserunt.
Sed ad extritionem revertamur. Delituit igitur in Latina lingua
sæpe ac multum in pronuntiatione litera s :

Samnis spurcus homo vita illa dignus locoque.

Formido quid ago ; da, Venus, consilium.

Pandite sultis genas.

Puncto temporis reddant.

Huc referenda illa quæ a Cicerone memorantur, multimodis, va-
sargenteis, palpet crinibus tectifractis : pro, multis modis, vasis
argent. palmis et cr. tectis fr. Et illæ *συγκοπαί*, secundum quas
tali et ala extitit de taxillis et axilla : et meum factum, exitium,
pro, meorum factorum, et exitiorum : quæ in quibusdam usitatæ
admodum fuerunt, Deum, nummum aureum, liberum. Quinetiam
duorum virorum iudicium, aut trium virorum capitalium, aut de-
cem virorum litibus iudicandis, ait se Cicero, dicere nunquam,
quomodo ergo ? nimirum *συγκεκοµµένως*, duum virum, et trium vi-
rum, et decem virum. Item siet, sit. E rep. pro, ex : pomeri-
dianas quadrigas, pro, postmeridianas. His addantur *ἀποκοπαί* :
viden', ain', satin', men', mihin' ; de quibus abscissum est, ne-
Exin, dein, proin, amputato, de : famul, pro, famulus. Lucretius :

Ossa dedi terræ proinde ac famul infimus esset.

Volup, animal, exemplar ; de quibus recisum est e : illi, pro, illic.
Jam de productione et correptione vocalium multa dici possent.
Fuit, fieri : extenta priore syllaba. Inclytus, ut ait Cicero, prima
brevi. Secundum hæc fiunt mirificæ collisiones, elisiones, detri-
tiones, et comprehensiones literarum ac syllabarum, et pronuntia-
tione vera, quam sæpe nos non possumus conjecturis nostris con-
sequi, versus procedunt : in quibus scriptura non raro, præsertim
in dilatando, numeros non servat. Sed nunc et eorum, de quibus
multo minus diximus, quam dici potuisset, et tamen satis fuisse
manifestum indicium videtur, Plautina exempla afferamus : et ita
tandem hanc quasi commentatiunculum finiamus :

Similem rem ipse in legem jussit esse Jupiter :

Aut corripitur, esse : aut est *κατ' ἐπισυναλοιφήν*, similem, *δισσύλλαβον*.

Ut conquisitores fierent histrionibus :

Histrionibus, *κατὰ συνίζησιν*. Nisi maluerit aliquis, conquæstores.

Qui, ne quo placeret alter, fecisset minus :

Qui ne quo spondæus, pronuntiatione mediam syllabam absorbente.

Qui cum Amphitryone abivit hinc in exercitum :

Et mox :

Nunc hodie Amphitryo veniet huc ab exercitu.

Hinc in exe, et huc ab exe, spondæi sunt pari ratione concisionis, in brevitate syllaba quasi evanescente :

In tabernaculo : id quidem hodie nunquam poterit dicere.

Simplicissimum est, ut legatur, *tabernaclo*.

Quid in tabernaclo fecisti ? victus sum, si dixeris.

Quid in ta, trochæus. Vel, ut notavimus, Quid in, *κατὰ διαίρεσιν*, anapæstus, et taberna, spondæus.

Ridiculi causa, vel hunc rogato Sosiam :

Nam hanc veram lectionem puto : vel, hunc, *μονοσυλλάβως* pronuntiantium.

Quin, si tu voles, domi servi qui sunt castrabo viros :

Dmi, *μονοσυλλάβως κατ' ἐπισυναλοιφήν*.

Portitorum simillimæ sunt januæ lenoniæ :

Aut, Portitum, *κατὰ συγκοπήν*, aut simillimæ *κατ' ἐπισυναλοιφήν* pronuntiantium.

Da, meus ocellus ; da, mea rosa ; da, mi anime ; da, mea voluptas :

Aut sic, Da, mus ocel. Aut sic, Da, ma rosa, et mea voluptas, o brevi absorpto, *δισσυλλάβως* : vel, ma voluptas.

Lenonis hæ sunt ædes, male istis eveniat :

Pronuntiantium, evenat, *κατ' ἔκθλιψιν* literæ i.

Credam pudor si cuiquam lenoni siet :

Pronuntiantium cuiquam *δισσυλλάβως κατὰ συναίρεσιν* et *συνίζησιν*.

Voltisne olivas aut pulpamentum, aut capparim ?

Olivas *δισσυλλάβως*, ut notavimus, et ut in versu Lucillii 'maluisti' *τρισυλλάβως*, in proœmio primi libri de Finibus : vel potius, Voltine, extrita litera s. Quis autem scit utra potius pronuntiatio actori arriserit ?

Fateor : abi deprome : age tu interea huic somnium :
abi de, spondæus : huic som, spondæus : κατ' ἐπισυναλοιφήν et
συνίζησιν.

Superstitiosus hic quidem est, vera prædicat :
Quidem est ve, spondæus κατ' ἐπισυναλοιφήν : hæc collisio creber-
rime occurrit in comicis versibus.

Qui perjurum convenire vult hominem, mitto in comitium :
Ni re vult, spondæus, elisa u, pro consonante.

Quo is homo insinuavit facto se ad te ? per Dionysia :
Quo is ho, τριβραχὺς κατὰ διαίρεσιν syllaba, Quo.

Nam eum pater ejus subegit : nunc mea mater irata est mihi :
Nam eum pater, dactylus est : ejus sub, aut dactylus liquescente
s : aut trochæus, κατ' ἐπισυναλοιφήν, ut, ejus, una sit syllaba.

Hujus quæ locuta est quærere aiebas filiam :
Hujus, κατ' ἐπισυναλοιφήν, una syllaba : sicut, aiebas, duæ.

Ego ad anum recurro rursus. Lampadio, obsecro :
Aut est, Ego ad anum, anapæstus, pronuntiatione e initiale col-
liquante : aut etiam prioris hoc cum versus ultimæ dictionis finali
syllaba, ut sæpe fit, collidente.

Videar fortasse in his alicui nimis diu morari, et non necessa-
riam, vel etiam inutilem operam consumere. Verumtamen ego de
re neque prorsus negligenda et digna liberalibus studiis, et a ple-
risque tractata negligentius, dicendum hoc loco aliquid putavi :
quod quidem ejusmodi esse confido, ut, qui forte voluerint in his
versari accuratius, mediocrem occasionem exercendi studium suum
habitura esse videantur. Etsi autem hæc sunt præcipua, per quæ
poterunt numeri versuum comicorum expediri et quasi exsolvi,
tamen et alia quædam ad hanc curam assumenda sunt, et in pri-
mis syllabarum productio, quæ ἔκτασις, ac correptio, quæ συστολή
nominatur. Fit autem ἔκτασις, vocali interdum producta natura
brevis : ut, fuit, et fieri, quod supra retulimus. Interdum geminata
consonante, ut, relligio, redduco, repperit ; συστολή autem, syllaba
correpta : ut omitto, et rejicio, et συναφέσει, reicio, ut :

Tityre, pascentes a flumine reice capellas.

Ita putatur ἐκτεταμένον, vitam dederitis in undis : et, transieritis
aquas. Etsi quibusdam natura flexionis postulare videtur, ut in
hujusmodi verbis, ri, syllaba producat, et illa corripiatur κατὰ
συστολήν. Hæc et superius indicatorum παθῶν de Homero etiam
nunc quædam demonstrabimus : Ἰλ. σ'.

Υἱεῖ ἔμῳ κλυτὰ τεύχεα δόμεναι παμφανόωντα.

Est enim δόμεναι, quasi δόμεναι, sicut, abietibus, et ariete, et parietibus : et hoc Ennianum :

Capitibus nutantes pinus, rectasque cupressos.

In quibus tamen συλλήψεις sunt, pronuntiatio i, pro consonante, sicut hoc versu Ὀδ. γ'.

Πόλλ' ἐπιμήρι' ἔθεμεν.

Est enim μήρι' ἔθε dactylus : νῦν δ' αὐτέ με φίλε' Ἀθήνη : vel ut alibi, φίλαι, Ἀθήνη : et ἔξοχα γάρ μιν ἐφίλατο Παλλὰς Ἀθήνη ; pronuntiandum enim quasi gemino λλ, ut φι longum fiat. Sicut Ἰλ. β'.

Ἰλιον ἐκπέσσαντ' εὐτείχεον ἀπονέεσθαι.

Quasi ἀππ. Tale et illud Ἄρες, quasi Ἀρῆες esse videtur. Ita et φιλομείδης Ἀφροδίτη, habet λο syllabam productam. Et hic versus similiter pronuntiationis productione sustentatur, Ἰλ. γ'.

Αἰδοῖός τε μοι ἐσσι, φίλε ἔκυρὲ, δεινός τε.

Nam et aspiratio brevis vocalis pronuntiationem remoratur ; et ρεδει, est quasi ρεδδει : sicut Ἐδδεισε δ' Ἑλένη. Rursum : Ἰλ. ε'.

Καὶ νύ κεν ἔτι πλέονας λυκίων κτάνε διος Ὀδυσσεύς.

Etsi poterat facere Καὶ νύκ' ἔτι πλέονας, tamen illud maluit, nimium pronuntiatione versum expediente, quatuor brevibus syllabis unam longam et duas breves sonantibus : sicut Ὀδ. ζ'.

Καὶ τότε Φαίῳκων ἐς πόλιν ἵμεν ἠδ' ἐρέεσθαι.

Est enim πόλιν ἵμεν, dactylus non syllabis, sed veteri pronuntiatione, quam nos exprimere lingua aliena non possumus. Hoc loco in mentem mihi venit versus quem Scaliger adduxit ex Euripidis Oreste, in quo esset ἐπισυναλοιφή :

Αὐτουργός' οἵπερ καὶ μόνοι σώζουσι πόλιν.

Sed nos et in editis ab Aldo exemplis et in explicatione reperimus σώζουσι γήν. Hoc igitur relinquamus. Ἰλ. υ'.

Μόρσιμον δέ οἱ ἔστ' ἀλέασθαι.

Ubi manifesta est συγκοπή, et illud μόρσιμον quasi μόρσιμον. Sicut et in hoc, Ἰλ. ω'.

Ἐκτὸς μὲν δὴ λέξον, γέρον φίλε.

Est enim plane, γρον φίλε. Quemadmodum et Ὀδ. η'.

Μήδ' οὐτῶ φίλον Δὰ πατρὶ γένοιτο.

Ubi φίλον est quasi φλον. Jam in hoc, Ἰλ. β'.

Βωμοῦ δ' ὑπαίξας,

συναίρεσις est.

"Ἐως ὁ ταῦθ' ὥρμαινε :

'Ιλ. α'. cum sit primus pes ἀμφίβραχυσ, alienus carmine heroico :
θεραπεύεται τὸ μέτρον συνιζήσει, secundum Eustath. Ὡς ὁ, producta
syllaba ὁ. Aristoph. Εἰρ.

Οἱ γεωργοὶ τοῦργον ἐξέλκουσι κᾶλλος οὐδεῖς.

Οἱ γεωργ. spondæus συνιζήσει. 'Ιλ. ζ.

"Ἦκεον δ' ἐν Πλευρῶνι.

Hesiodus :

Νείκεα καὶ δῆριν ὀφέλλειν.

'Ιλ. autem ὦ', in hoc :

Χωόμενος ᾧ τινι δῆτω ἀδελφεὸν ἔκτανεν "Ἐκτωρ,
est συνιζήσις.

In hoc vero 'Ιλ. θ'.

'Ἦως μὲν κροκόπεπλος ἐκίδνατο πᾶσαν ἐπ' αἴαν.

Et hoc, 'Ιλ. β'.

Πολυστάφυλόν θ' 'Ιστιαῖαν.

Et hoc, 'Ιλ. ε'.

"Ὅστ' ὦκα ῥέων ἐκέδασε γεφυράς.

Et paulo ante :

"Ὅς ῥα Καμάνδρον

'Ἀρητῆρ ἐτέτυκτο.

Et hoc, 'Ιλ. η'.

Σὸν δῆτοι κλέυς ἔσται ὅσον ἐπικίδναται ἠώς.

Et hoc, 'Ὀδ. ε'.

Κλυθι, ἀναξ, ὅστις ἐσσί.

Et hoc, 'Ὀδ. λ'.

Καὶ ῥ' ἔσχεν δύο παῖδας, 'Αμφιονά τε Ζῆθόν τε.

Παῖδας ἀμφ' spondæus liquescente litera σ, ut in superioribus
versibus omnibus cursui hæc numerorum obstaret, nisi removeretur
pronuntiatione.

Nam si versibus aliquis alienos pedes, qui sunt proceleusma-
ticus, et creticus seu ἀμφίμακρος, aut nescio quos alios inserit, cum
constet heroici carminis proprios pedes esse, dactylum ac spon-
dæum : iambici, iambum, spondæum et spondæo æquales : tro-
chaici, trochæum et spondæum et huic æquales, et alios alius
generis : illum igitur, qui admiscet alienos, non audiendum puta-
mus, corrumpentem carminis modos, et numerorum rationem dis-
solventem. Sed pronuntiatio hæc omnia quondam nullo cum

negotio et sine omni insuavitate explicuit. Quare non assentior, neque Plutarcho, qui Homerum, studiosum bonæ narrationis, compositionem neglexisse scribit, et primum statim versum ἄμετρον extulisse :

Μῆνιν ἄειδε, θεὰ Πηληϊάδεω Ἀχιλλῆος :

non enim ille ita extulit, ut Plutarchus, multo minus ut nos, secundum perscriptas literas : neque Scaligero infulcanti ceticos in iambicos modos. Etsi ad hoc delabatur ut, voluptas, anapæsticam velit esse dictionem : id quidem melius, sed illæ συγκοπαὶ pronuntiationis rectius expediunt numeros, mea quidem sententia, et antiquitate teste, cujus unum etiam nunc exemplum adducere visum, Hesiodi :

* Ἀσκη, χεῖμα κακῆ, θέρει ἀργαλέη, οὐδέπορ' ἐσθλῆ.

Est enim *θερεῖ* et *λη*. Sed de hac re, cum tantum jam verborum fecerim, plus quidem quam initio institueram me facturum esse, nunc desinam, et hæc nostra iudicio aliorum submitto : et, quod restat, observationem et curam harum rerum diligentium studio committo. Quantulamcumque autem operam hanc industriæ meæ cupio omnes boni consulere, quod bonos et bonarum artium cupidos scio esse facturos : ii enim neque ullam in literis exquisitionem nimis parvam et futilem ducunt, neque hos conatus iudicii nostri poterunt despiciere :

Περὶ δὲ τῶν ἄλλων, οὐ φροντὶς Ἴπποκλείδῃ.

T. FABRI OBSERVATIUNCULÆ

MISCELLANÆ AD METRA TERENTII.

ILLI se mihi magna quadam voluptate, et fructu haud mediocri, privare videntur, qui Terentium studentes legere, nec metra tamen illa, quis uti Terentius consuevit, novere. Memoria enim tam venustum, tamque amabilem scriptorem quis mandare possit, et mandatum custodire, nisi si et ipse metra illius senserit ? Dein, multo sibi majorem admirabilitatem poëta comparet, ubi intellexerint lectores quo genere carminis hic aut hic utatur. Nam apud Terentium quidem plane ita videmus fieri ac apud Virgilium solet,

ut carminis ratio et modus rei, qua de agitur, naturam fere plerumque expriment, quod in primis observandum est, et acri quodam aurium judicio consecrandum. Est aliud etiam, in quo maxima utilitas posita est: si qui enim forte errores in carmine fuerint, quod perquam facile potest evenire, et nimium sæpe evenit, eos errores deprehendere possit nemo, nisi qui versuum rationem calleat. Sed hæc satis; neque enim hoc loco artem metiendi carminis docere decevi.

Paucas igitur observatiuncula proposuisse suffecerit, quæ et certæ sunt et perspicuæ. Eas autem priusquam ingredior, hoc audi, quod apud Ciceronem in Oratore Perfecto scriptum est: ‘At Comitorum Senarii propter similitudinem sermonis, (quod nos Galli vulgo vocamus *conversation* et *entretien*,) sic sæpe sunt abjecti, [id est, neglecti et populares, et, ut Græci vocant, ΛΟΓΟΕΙΔΕΙΣ,] ut nonnunquam vix in his numerus [id est, rhythmus, ut Græce dicitur] et versus [id est, dimensio] sentiri possit.’ Vides Ciceronem ipsum fateri, quæ fatetur de dimensione, de rhythmico; utrumque, scilicet, vix sentiri posse. Quid nos barbaros homines, et a felicitate ac doctrina illius sæculi tam magna intercapedine dissitos, judicare deceat? Sed, quod mirere, de senariis tantum loquitur Cicero. Quid, si de trochaicis, de anapæsticis? de universo genere iambicorum? quid si de universis anapæsticorum formis agendum ipsi fuisset? Quid de aliis generibus, quæ in Græcorum Comædiis celebrata olim fuerunt? Tum vero magis dixisset, ‘vix sentiri possunt.’

Sed ad rem venio. Sic igitur docti existimant, duo tantum versuum genera esse apud Terentium, iambicos et trochaicos. Id ego in universum esse verissimum scio. Sed quid ad hos versus Act. iv. Andriæ sc. I. dicas?

Hocine credibile est aut memorabile,
Tanta vecordia innata cuiquam ut siet,
Ut malis gaudeat alienis, atque ex incommodis
Alterius sua ut comparet commoda! ah!

Ibi nihil Faërnus, vir in isto genere diligentissimus. Muretus autem ultro fatetur, horum quatuor versuum rationem explicare difficile esse. Scio quid Goveanus, quid Scaliger, quid Erasmus dixerint ad hunc versum. At non est senarius, &c. Arbitror esse Dactylicum quaternarium perfectum; et talis necessario fuerit, si

modo tollatur illud, est, quod ex glossemate huc irrepsit. Possit referri et ad genus choriambicum. Secundus potest esse trochaicus senarius catalecticus; sed fortasse iambicus trimeter fuerat, sic ad formam suam redigendus:

Innata cuiquam tanta ut siet vecordia.

Tunc, siet, fuerit monosyllabum. Exempla infinita sunt. Tertius est trochaicus septenarius catalecticus, cujusmodi non me-mini me multos legere:

Ut ma-lis gau-deat alien'-at-qu' ex-in-commo-dis.

Tamen, quod minus credibile videatur, ex regula et observatione, quæ inferius ponetur de elidendo S, poterit esse senarius sic:

Ut mali'-gaudeat a-lienis atqu' ex-incom-modis.

Erit synizesis in secundo pede, ut et in tertio, nil frequentius.

Quartus est:

Alterius sua ut comparet commoda! ah.

Puto scribendum esse, *Alterius ut sua commoda comparet!*—ah.

Erit dactylicus quaternarius. Illud autem *ah* extra versum erit, ut solent esse exclamations, interjectiones, in fine et initio, apud Sophoclem, Euripidem, Aristophanem. Quin et apud Terentium ipsum exempla reperies.

De Cretico, seu Amphimacro.

Joachimus Camerarius, vir inter Germanos superiori sæculo insignis, honoratissimus, et longe optimus, putat, Creticum in iambico et trochaico genere locum habere non posse; multi contra nituntur. Sed videamus. In *And. act. i. sc. 1. 25.* legitur:

Liberius vivendi fuit potestas: nam antea.

Debet autem esse versus senarius iambicus. Itaque 'Liberius' erit Creticus extrito E, quod breve est, quasi pronuntiares, *Liberius*. Exempla ejus rei sunt innumerabilia in comicis et tragicis antiquis. Quin et apud Virgilium diligentissimum scriptorem, legas, *aspris*, pro, *asperis*; *semustum*, pro, *semiustum*; *vinculis*, pro, *vinculis*; *oraclum*, pro, *oraculum*; *gubernaclo*, pro, *gubernaculo*; *circlos*, pro, *circulos*; et *maniplis*, pro, *manipulis*. Ac si elidatur S in, *liberius*, quod olim fiebat, erit tantum *dactylus*, *libriu'*. At illud, *fuit*, erit monosyllabum; quod et verum esse interdum scio. Tunc Creticus exclusus fuerit. Ergo quærat

aliud, et aliud etiam. Andr. act. I. sc. I. 119. 'Pro uxore habere hanc pere-grinam, ego il-lud sedulo.' Manifestissimus esse videtur creticus in, grin' eg' il; sed in, ille, illa, &c. olim prior syllaba erat communis; quo nihil certius. Ibid. 141. 'Nunc tuum est officium has bene ut assimules nuptias.' Est autem hic versus plane trimeter; ergo Creticus in prima sede. Ad id negatur, per collisionem, scilicet, et synizesin, ita ut sit spondæus in prima parte senarii.

Ibid. sc. 2. 12. 'Dave. Hem. quid est? ehodum ad me: quid hic volt? quid ais? qua de re? rogas?

Nemo, videtur certe, negare possit, quin hic sit Creticus in quarta regione, nam versus est octonarius acatalectus iambicus. Sed vide: aiunt D elidi: itaque spondæus ex Cretico fiet.

Act. II. sc. 6. 17. 'Nil propter hanc rem, sed est, quod succenset tibi.' Et mox: 'Quidnam est? pueril' est, quid est,' &c.

In utroque exemplo affirmant miserum illud D exteri debere, ob quod meritum, nescio.

Act. IV. sc. 4. 26. 'Vestri cuju' ve-stri? Pamphili. Hem: quid, Pamphili?'

Est indubitatus iambicus senarius: itaque Creticus secundam sedem occupabit, quo te cumque verteris, nisi priorem in, cuju', brevem olim fuisse contendas, quod an fieri possit dubito. Tamen et ad hoc respondent, syllabam illam, ju', plane perire: unde pro Cretico habebis spondæum.

Eun. act. I. sc. I. 34. 'Sed ecca ip-sa egreditur nostri fundi calamitas.'

Act. III. sc. I. 5. 'Dedu-cam sed ec-cum militem: est istuc datum.'

Nemo non dejeret esse Creticum in locis notatis, at multi negant. Nam olim dicebatur eum, eam, quia non geminabant eandem consonantem.

Ibid. 55. 'Tu par pari referto quod e-am remordeat.'

Est planissime senarius, seu trimeter. Quamobrem in quinta sede erit Creticus. Sed et qui Creticum hinc ablegant, scin' tu quid dicant? dicunt illi versum esse aliter metiendum; sic: Tu par-pari-refer-to quod eam-remor-deat.

Et tunc erit anapæstus in quarta dimensione versus. Id autem verum esse potest; nam olim, eum, eam, eas, suum, suas, suis, &c. monosyllaba erant, ut ex Lucretio constat; ne ad Ennium usque, et ad Livium Andronicum ascendamus. Sed et falsam ibi lectionem esse, dixi, opinor, in Notulis.

Andr. act v. sc. 5. 4. 'Quod voluptates eorum propriæ sunt :
nam mi immortalitas.'

Est octonarius iambicus acatalectus ; debet igitur esse Creticus initio dimensionis. At contra aiunt secundam syllabam in, voluptates, esse brevem, quod mihi quidem videtur incredibile. Melius dicas primam syllabam, quæ brevis est, ita raptim pronuntiatam fuisse, ut non audiretur ; et pro, volu, diceretur, ulu, per V consonum. Verum hæc satis de Cretico. Dices, Quid ais, tandem ? An admittendi sunt Cretici in iambos, in trochaicos ? Non arbitror : cum in Cretico plus temporis absumat pronuntiatio, quam in spondæo, cui tamen in iambicis comicis et tragicis locus est. At sunt tamen Cretici illis versibus superius positis ? Fateor id quidem : sed ii non pronuntiandi ut Cretici. Quid ita ? Hæc regula certa esse videtur, cum a natura proficiscatur : Syllaba brevis inter duas longas posita vix pervenit ad sensum. Id autem ni esset, qui tandem Virgilius potuisset dicere, aspris, pro, asperis ? circlos, pro, circulos ? &c.

De tribrachy nihil necesse est dicere ; cum pes ille tempus iambi impleat, et eundem motum habeat.

Proceleusmaticus, id est, duo Pyrrhichii, seu quatuor breves, cum spatium spondæi consumat, cui spondæo jus est sedendi in iambicis et trochaicis, mirum esse non debet, si apud Comicos frequens reperiatur ; nam et in tragicis recentioribus illum interdum reperias.

In Andr. 'Ita faci-am hoc primum,' &c.

Act. I. sc. 1. 123. 'Sati' vehe-mens causa ad objurgandum,' &c.

Nisi dicas esse anapæstum, cum apud Horatium legas :

'Vemens, et liquidus, puroque simillimus amni.'

Act. III. sc. 1. 19. 'Num immemor es di-scipuli ? ego quid narres nescio :'

ad quem versum notant quidam pro, discipuli, pronuntiandum, discipuli, trisyllabice ; id quod tamen minus necesse est ad dimensionem versus deprehendendam. Verum plura addere nihil opus est.

Nunc, quod dicam, id esse verum videbitur, et non est tamen ; molossum scilicet, is ex tribus longis constat, pro iambo, spondæo, aut anapæsto sumi, pagina decima octava : 'Sive ista u-xor, sive amica est, gravis e Pamphilo est.'

Sed ibi errorem esse puto, de quo in Notulis ; neque enim mihi

credibile fiat, Molossum, qui tanto longior et ponderosior sit aliis pedibus, hic a Terentio usurpatum fuisse. Dein posset etiam esse Creticus, ex ea observatione quæ superius posita est, circa pronomen, iste, et ille; quod tamen hic verum esse non puto.

Bacchius, seu Baccheus, id est, brevis, longa, longa, videtur alicubi reperiri, quod tamen minus verum est.

Andr. act. III. sc. 1. 4. ‘Sed hic Pam-phitus: quid dicit? firmavit fidem.’

Non est, inquam: nam versum ita scribere, ita metiri debemus:

Sed hic Pampilu’, quid di-cit? firmavit fidem.

Extrito S finali: qua de re mox:

Act. III. sc. 3. 32. ‘Neque illum hanc perpetuo habere, neque me perpeti.’

Non est Baccheus; est anapæstus; nam prior in, illum, communis est apud Veteres.

Ibid. 34. ‘At istuc periculum in filia fieri, grave est.’

Neque hic Baccheus est, cum priorem in, istuc, istic, et aliis bene multis id genus nominibus modo longam facerent Antiqui, modo brevem: nam th, ut θ apud Græcos, est levis sibilus tantum, id est, pæne nihil. Adde quod, periculum, necessario longum est in secunda, nam illud I ante ipsam decurtationem longum erat.

S perit ante consonantem. Lucretius: Ennius: Plautus: Tragicæ veteres. Ita, heru’, magi’, tristi’, omni’, &c.

S perit ante vocalem: exemplum insigne est, Andr. act. III. sc. 1. 8.

‘Bonum ingenium narras adole-scentis: optimum.’

Ubi necessario pronuntiandum est, scent’ optimum: perit enim S: et fit synalæpha: est autem trimeter iambicus.

Act. IV. sc. 5. 7. ‘Itan’ Chrysis? hem! nos quidem pol miseris perdidit.’

Ubi, cum S pereat in, Chrysis, pronuntiabis, Chrys’, hem.

Ibid. 14. ‘Semper enim dicta est ejus hæc, atque habita est soror:’

pronuntiandum est, ju’ hæc, una syllaba per synizesin, seu considentiam. Sed exemplis parco; sunt enim innumerabilia. Hinc, obiter dicam, facile discas quæ apud veteres Latinos pronuntiandi fuerit ratio, et quantopere illa sub Julio et Octaviano Cæsaribus variare cœperit.

Considentia, seu, ut Græcis dicitur, synizesis, aliis synæresis, in

his poëtis frequentissima est; ea autem fit, cum duæ syllabæ ex vocalibus compositæ in unam coalescunt, ubi id res fieri postulat. Exempla in duabus primis fabulis en tibi, sed de multis pauca. Deos, monosyllabum, ut et, suo. Quiesci disyllabum; grandiuscula, tetrasyllabum, Andr. act. iv. sc. 5. 19. ait, monosyllabum: ibid. act. ii. sc. 6. 19. et alibi. Ita, fuit, monosyllabum, ut apud Græcos yi in, harpyiæ, et in omnibus præteritis participiorum activæ aut medialis foixæ, quæ sint secundi sexus. Ita et, siet, monosyllabum; possiet, duarum interdum est syllabarum. Sed et hujus figuræ exempla sunt apud Virgilium satis multa.

M. In medio dictionis eliditur: Andr. act. i. sc. 1. 64.

‘Quicquam attine-re, enim ve-ro spectatum satis.’

Ibid. sc. 3. 1. ‘Enim ve-ro, Dave,’ &c.

Est anapæstus: versus autem est octonarius.

Ibid. act. iii. sc. 2. 23. Ante consonantem in voce sequenti, eliditur.

‘Certe enim scio: non satis me pernosti etiam qualis sim, Simo.’

Est dactylus in prima sede. Versus est tetrameter perfectus.

Ibid. act. iv. sc. 5. 7. ‘Itan’ Chrys’ hem? nos quidem pol miseram perdidit.’

Eliditur Lin, ille, illos, illis, &c. Et aliis quibusdam. Eliditur et D, ut in Eun. act. ii. sc. 2. Eliditur quoque R, ut bene a Faërno observatum fuit. Graviter itaque lapsus est Muretus, qui non viderit in versu Æschyli, quem ipse profert, primam in, morphen Gr. esse brevem, propter R liquidam: atqui sic est. Unde apud poëtam Græcum, ut ostendi olim ad Phædrum: pherbe boas, pherbe mela, &c. Est autem hexametrum. Secundum illud, pherbe, junctum cum syllaba, as, effecerit palimbacchium, qui pes plane ab hoc genere alienus est.

Elisio interdum nulla est.

Breviant interdum Comici quæ alii producant, ut I in, abi, Andr. act. i. sc. 5. 20. bis, et act. v. sc. 6. 14. Ita Terentius ultimam corripit in, mane, act. iv. sc. 4. 21. in, jube, act. v. sc. 4. 53. in, tace, Eun. act. iii. sc. v. 23. &c. quia, ut opinor, ea verba erant et secundæ et tertiæ inflexionis.

ME. TE. SE.

Pro ME dicebant MED: ut Andr. act. iv. scen. 4. 5.

‘Reliquit med homo, atque abiit,’ &c.

Delph. et Var. Clas.

Terent.

N

Sic enim omnino legendum est. Ita Plautus, med erga.

Ita fit et, sed, pro se; Terentius Andr. act. iv. sc. 5. 2.

‘Quæ sed inhoneste optavit parere hic divitias.’

JAM disyllabum est, act. II. sc. 1. 29.

‘Profer, dum proficiscar aliquo, ne videam: audi nunc iam.’

Est trochaicus. Sed hoc plus decies apud Plautum invenias. Pronuntiandum quasi si scriptum esset, Yam.

Hoc in primis necesse est meminisse, ne quis callatur in metiendo carmine, Terentium ab uno genere ad alterum interdum transilire; quin et trochaicos iambeis, et contra, sic intermiscere, ut, absque diligenti observatione, id haud facile sentias.

ENI, ut aliæ quædam exclamationes, indignationes, interjectiones, interdum extra metrum censentur, ut Andr. act. iv. sc. 4. 27.

‘Eho, an nou est? recte ego semper fugi has nuptias.’

Cum autem sit iambicus senarius, ‘Eho’ debet esse extra versum; et id Græci factitabant, ut supra notavimus.

Postrema omnium observatio est, omnes omnino Fabulas Terentii in trochaicos desinere; quod idem de omnibus Plauti Comædiis verum esse scio. Excipienda tamen videtur Pseudolus, cujus postremus versus est:

‘Atque approbare hunc gregem, et fabulam; in crastinum vos vocabo.’

Sed audacter affirmare possim duobus in locis versum unum corruptum esse. Eum sic leges: *Atque hunc approbare gregem, et fabulam; in crastinum vos voco.* Quod miror a nemine animadversum fuisse. At istuc, fabulam, disyllabice pronuntiari debet, ex regulis et exemplis superius positis. Cetera bene procedent. In extremo versu Asinariæ est etiam error: nam ille versus ex Trochaico legitimo factus est octonarius vitiosus duobus locis. Sic habet:

‘Remur impetrari posse, si plausum sic clarum datis.’

Sic autem ille scribendus:

Remur impetrari posse, si plausum clarum datis.

Ceteri, qui a Grege pronuntiantur, et hunc præcedunt, sunt certissimi Trochaici.

Hæc paucis quidem, sed, ut spero, ea satis fuerint ad illa intelligenda quæ in ceteris Terentii Fabulis paulo impeditiora videbuntur. Neque vero mihi ad credendum difficile est, quæ dixi modo, non ex æquo omnibus probatum iri; sed ad eos provoco, qui scriptores antiquos bene ac diligenter legerint.

DE RATIONE METRI TERENTIANI

JO. LENGIUS.

DE metris Terentianis ut multa dicam, neque instituti nostri brevitatis patitur; et plurimi, qui de hac re scripserunt, viri doctissimi supervacaneum fere fecerunt. Sed quoniam in variis hujus auctoris lectionibus dijudicandis metri ratio haud parum juvat, idcirco pauca quædam, quæ huc spectant, præmittenda duximus.

Versus igitur, quibus utitur Terentius, sunt plerumque vel trimetri sive senarii, vel tetrametri seu octonarii: dimetris quidem nonnunquam, sed rarius, utitur; monometris rarissime.

DE SENARIIS.

Notum est Senarios olim perfectos sex pedibus iambis constitisse: qualis est:

Amantium iræ amoris integratio est.

Sed præter hunc versum nullibi me purum iambicum apud hunc auctoremprehendisse memini: quod etiam facit ut credam, proverbiale hoc fuisse dictum, ab antiquiore aliquo poëta mutatum. Deinde autem receptum est, ut præter pedem iambum tribrachyn (qui fit et resolutione iambi) etiam spondæus et omnes pedes qui sunt ejusdem cum spondæo temporis (præter amphibrachyn) in sedibus imparibus, nempe prima, tertia, quinta admitterentur; locos pares, i. e. secundum, quartum, sextum occupante interim solo iambo. Hujusmodi versus apud Græcos tam comicos quam tragicos usitatissimi, apud nostrum auctorem interdum, sed minus frequenter, apparent: ut:

Accede ad ignem hunc, jam calesces plus satis.

Postremo igitur, ut metrum comicum ad sermonem vulgarem propius accederet, de sede sexta tantum sive ultima solliciti esse cœperunt, ut ipsam semper iambo occuparet; in ceteris autem, dummodo trochæum excluderent, satis habuerunt, si vel tribrachyn, vel spondæum, vel spondæo (quoad tempora) parem dactylum, anapæstum, proceleusmaticum pro libitu usurparent. Per trochæum autem, quem nunquam admittit carmen iambicum, istum semper intelligo pedem, cujus primam syllabam longam sequitur

altera brevis, qui maxime iambo contrarius est. Quod ideo hic obiter moneo, quia Cicero et Quintilianus hunc pedem choreum plerumque appellant, illum autem alterum tribus brevibus constantem trochæum vocant: contrarium vero facit Hephæstion, et plerique grammatici; quos ideo sequimur, ne a more recepto discedere videamur.

Proceleusmatici quidem minus frequenter occurrunt quam ceteri pedes supra memorati, sed nonnunquam tamen adhibentur: ut:

Qui sæpe propter invidiam adimunt diviti:

sæpius autem in prima sede, et in iis dictionibus quæ ad flexum vocis magis accommodantur: ut:

Ita populus studio stupidus in funambulo.

Minime equidem me oblectavi, quæ cum milite.

Quinta vero sedes vel proceleusmaticum vel tribrachyn raro admittit; ne scilicet nimius sit brevium syllabarum concursus, quem, prope finem versus, aures non facile patiuntur.

DE TETRAMETRIS.

Tetrametri seu octonarii sunt vel iambici, vel trochaici. Rursus iambici tetrametri sunt vel acatalectici, vel catalectici. Acatalectici vocantur, qui justam mensuram octo pedum semper habent, quorum ultimus est iambus:

Nil tam difficile est, quin quærendo investigari possiet.

Iambici catalecti (qui et scæzontes dicuntur) sunt quibus in fine una deest syllaba, sedem septimam sive penultimam occupante iambo: ut:

Salu | tant ad | cænam | vocant | adven | tum gra | tulan | tur.

In catalecticis tamen, apud comicum nostrum, pro iambo sæpe ponitur spondæus vel dactylus in sede penult. vel etiam tribrachys: ut, Hec. II. 2.

Novi: et quæ dicis omnia esse ut dicis animum induco.

Et te hoc mihi cupio credere, illam ad vos redire studeo,

Si facere possim ullo modo. L. Quæ res te facere id prohibet?

Trochaici tetrametri apud hunc auctorem sunt plerumque catalectici, i. e. quibus in fine una deest syllaba brevis, quo minus constant octo plenis pedibus, quorum septimus est trochæus: ut:

Pro pec | cato | magno | paulum | supplici | i satis | est pa | tri.

Loci reliqui tribrachos, spondæos, dactylos, anapæstos admittunt, iambo semper excluso, qui nunquam trochaicum ingreditur carmen, uti nec trochæus iambicum. Nec tamen tantum interest inter trochaicum et iambicum versum, quin, qui nunc trochaicus est catalecticus, possit modo fieri iambicus acatalectus, si unicam duntaxat syllabam initio præponas: ut:

Cum faci | em vide | as vi | detur | esse | quanti | vis pre | ei.

Trochaicus est; sed si legas:

Qui, cum | faciem | videas | vide | tur es | se quan | tivis | preci,

fit iambicus acatalectus; hoc enim modo neque hunc ingreditur trochæus, neque illum iambus. Hinc etiam sæpe fit ut propter syllabam aliquam communem idem versus possit aliquando vel trochaice vel iambice mensurari: ut:

Eho, non tu dixisti esse inter eos inimicitias, carnufex?

cum enim ultima in, Eho, sit brevis, trochaicus est versus; at si vel longam facias, vel *nonne* pro *non* legas, e trochaico statim fiet iambicus acatal. et propterea trochaici a nonnullis appellantur iambici ab initio catalectici: quod Aristoteles etiam facere videtur, ubi hunc versum ex iambis Archilochi citat, Rhet. I. III. c. 17.

Χρημάτων δ' ἄελλπον οὐθέν ἐστιν οὐδ' ἀπόμοτον.

Atque exinde nemini mirum videri debet, si trochaicos cum iambicis in eadem scena sæpe mistos videat, cum ab his ad illos tam facilis sit transitus.

Trochaicis acatalectis parcius uti videtur, atque ibi solum ubi fabulæ partes turbatiores aguntur, ita ut vix numerum sentire possis: ut, Phorm. I. 3. 1.

Adeon' rem redisse, ut qui mihi consultum optime velit esse:

et in iis ipsis locis multo majori numero catalecticorum semper immiscentur. Et certe felicissima ubique arte id agit Poëta, ut rerum quæ aguntur turbatam vel tranquillam rationem carminis etiam ratio confusa vel expedita semper exprimat: quod etiam facit ut plurimum voluptatis iis prorsus pereat, qui ad hunc auctorem legendum neglecta vel non intellecta metri ratione accedunt.

Tetrametris nonnunquam interseritur dimeter iambicus: ut,

Verebar quorsum evaderet :
Amore abundas, Antipho :

aut trochaicus : ut, Proh Deum atque hominum fidem : rarius monometer, ut, Quid illud est.

Sed de his non opus est ut quicquam dicam, cum et raro occurrant, et ex iis quæ de trimetris et tetrametris diximus, facile possint intelligi.

DE LICENTIA METRI TARENTIANI.

Diximus supra, carmen iambicum a comicis usurpatum, præter pedem iambum, etiam spondæum, aliosque pedes, qui sunt ejusdem cum spondæo mensuræ, frequentius admittere. Dubitatur autem interea inter doctos, annon et pes creticus sive amphimacer, qui spondæum excedit, in metro Tarentiano locum habeat : quanquam enim alii nunquam admittendum esse censeant ; alii tamen admittunt, sed parcius. Et certe si quis ad normam Virgilianam omnes nostri Comici voces vocumque pronuntiationes expendendas esse credat, nullo modo pedem istum effugere poterit. Sed, cum heroicum carmen longe a comico scribendi modo distet, dubitandum non est quin et alius quoque pronuntiandi modus huic, alius illi conveniat. Comædia quippe popularem fere sermonem nobis exhibet ; cujus apud omnes gentes mos est, ut eæ dictiones, quæ frequentius occurrunt, contractiore modo sæpe pronuntientur, et veluti in unam coëant : quod tamen, si vel in oratione gravi vel in heroico carmine fieret, ridiculum videretur. Hoc modo apud auctorem nostrum voces, quid, quod, sed, &c. cum voce sequenti quodammodo coalescere interdum videntur : ut :

Nihil propter hanc rem ; sed est quod succenset tibi.

Quidnam est ? puerile est : quid est ? nihil : quin dic, quid est ? ubi, ne pes creticus admittatur, sed est, et, quid est, quasi in unam coire syllabam credimus. Quod autem hic de pede cretico vitando diximus, de ceteris etiam intelligendum est qui spondæum excedunt. Sic vox, Nihil, in primo pede prioris versus modo allati, monosyllaba est ; quanquam in quarto pede sequentis eleganter disyllabice pronuntietur. Eodem modo non solum voces, magis, et, satis, sed etiam, quidem, simul, apud, et tamen, vel ultimam literam sæpe elisam habent, vel in unam syllabam contrahuntur : ut :

Ne hoc quidem tacebit Parmeno. Oh dubiumne id est?

Et simul conficiam facilius ego quod volo.

Præsto apud me esse aiunt : egomet convivas moror.

Tamen vix humane patitur, verum si augeam.

Muretus quidem, ut hanc licentiam effugiat, legit : *Tamen humane vix patitur*— sed in nullis Mss. ita legitur, neque Latina videatur ea verborum collocatio. Et certe quanquam frequentes istæ sive collisiones sive elisiones syllabarum illorum auribus insolitæ videantur, qui omnia ad Augustani ævi normam exigere solent ; non absurdæ tamen iis videbuntur, qui vel Enniani sæculi reliquias legunt, vel popularem loquendi morem, quem supra memoravimus, paulo attentius considerant : nec fortasse mirabuntur, si primam syllabam in, ille, ipse, iste, &c. vel ultimam in, vide, cave, jube, domi, heri, &c. sæpe correptam videant. Ob eandem etiam rationem sæpe fieri solet ut, Dii, Deos, ait, scio, mihi, meus, tuus, suus (nonnunquam, tibi et sibi, ut putat Faërnus) in unam syllabam contrahuntur, aut vox, jam, in duas extendatur. In vocibus, ejus, hujus, cujus, sunt qui primam syllabam corripiendam, et s finale in secunda elidendum, ante consonam, more antiquo, censent : quorum sententiam etsi non prorsus improbamus, melius tamen versui consuli posse censemus, si eæ voces in unam syllabam inter pronuntiandum contrahantur, adeo ut eodem fere modo proferantur quo apud Anglos, his et whose : ut :

Si illum relinquo, ejus vitæ timeo ; sin opitolor, hujus minas.

Interjectiones, jurandi adverbia, et voces fictitias, pro libitu loquentis vel produci vel corripri, ipsa comicæ locutionis ratio suadet ut credam ; neque opus esse, ut pro *at at* scribatur *at at at*, vel *æpol* pro *edepol*, quæ vox sæpe primam corripit apud hunc auctorem. Nemo non observat voces esse quasdam quæ diversam quantitatem apud diversæ ætatis scriptores habent : sic vox, suspicio, contra mensuram hodiernam, plerumque apud nostrum auctorem secundam syllabam producit : quod ne fieret, Goveanus in ejus locum reposuit *suspectio* ; sed sine ratione, cum idem fieri videas apud Plautum :

Et ne in suspicione ponatur stupri : Amph. 1. 2. 27.

Suspiciones omnes ab se segreget : Asin. 1v. 1. 29.

Et apud Phædrum in Prologo lib. 111.

Suspicione siquis errabit sua.

Nec a ratione fortasse alienum videbitur, si syllaba natura brevis interdum, quasi data opera, producat, quo magis emphatice mentem loquentis exprimat. Sic Phorm. v. 6. 75.

Quin novo modo ei faceres contumeliam.

Quo in loco Phormionis personæ admodum convenire mihi videtur, si prima syllaba in, novo, comice producta sit. Agnosco quidem Faërnium, ut et Waseum, aliter hunc versum metiri, nempe contrahendo vocem, novo, in unam syllabam, et primam in, ei, producendo: sed hæc ratio impeditior videtur: quod si cui neque horum neque nostra hujus versus expediendi ratio placeat, næ iste turbatum a Mureto verborum ordinem, contra omnium Mss. fidem, si velit, amplectatur. Ita enim Muretus legit:

Novo modo ei quin faceres contumelias:

sed, an hæc verborum collocatio venusta sit, doctis judicandum relinquo.

Cum tantam itaque licentiam sibi nonnunquam sumserint Comici, ut metrum suum ad popularem loquendi morem magis accommodarent; mirum non erit si frequentius ista libertate utantur, quam vel ipsi carminis heroici scriptores sibi interdum permisissent. Hinc m finale vel vocalis ante alteram vocalem in sequenti dictione sæpe non eliditur: ut:

Ego cum illo quocum tum uno rem habebam hospite.

Jamdudum te amat, jamdudum illi facile fit.

Eho vero laudas qui heros fallunt? in loco:

nec euphonia sua caret hæc elisionis omissio.

Initium quoque sequentis versus sæpe in scansione fini præcedentis annectendum est: ut:

Rationem, est hercle inepta, ne dicam dolo,

Atque absurda: pisces ceteros purga, Dromo.

S finale ante consonam sæpe exteri, non opus est ut memorem, eum nemo, qui vetustiorum poëtarum reliquias versat, hoc ubique fere fieri non videat.

Atque hæc de Comieorum licentia quasi obiter attigisse sufficiat. Qui plura cupit, Gabr. Faërne emendationes adeat, hominis in hoc genere versatissimi? vel Chr. Wasei nostratis libellum qui Senarius inscribitur, sive de legibus et licentia veterum poëta

rum, ubi tota res fusissime explicatur, et innumeris confirmatur exemplis. Et certe, si ad hanc liberiolem veterum poetarum normam viri ingenio et doctrina spectatissimi Goveanus et Muretus satis attendissent, haud tantum sibi in immutando Terentio licentiam, contra optimorum eodiem auctoritatem, temere arripissent. Sed, dum omnia ad hodiernas metri Virgiliani regulas cogere studuerunt, verborum ordinem invertere, voces minutiores pro libitu addere vel detrudere, versus nunc hoc, nunc alio modo secare non sunt veriti; adeo ut nonnullis in locis sua plane Terentio venustas periisse videatur: quis enim hunc verborum ordinem Terentiana elegantia dignum dicet?

Omnes in lauta te et bene parte aucta putant.

Neque ab exemplari Muretiano satis sibi cavisse videtur Cl. Heinsius: qui, quanquam plurimis in locis emendationes Faëni e lib. Bemb. secutus sit, ordinem tamen verborum a Mureto turbatum ita sæpe non emendavit, ut, utraque simul admissa lectione, ne metrum quidem ipsum constet: quod ne temere dictum videatur, unum aut alterum exemplum apponam. Heaut. v. 4. 12. olim ita legebatur:

Non sunt hæc jam parentis dicta: non si ex capite sis meo:

qui versus, cum iambicus inter trochaicos Mureto ferendus non videretur, ita ab illo est mutatus:

Non sunt hæc jam dicta parentis: non si ex capite sis meo:

cum autem recte moneret Faërus voculam *jam* in omnibus deesse Mss. sic melius constare trochaicum; sustulit eam Heinsius, sed ordinem verborum sequentium *dicta parentis* non animadvertit, qui ita neque iambicus neque trochaicus erit, nisi legas, ut olim, *parentis dicta*. Sic Adelph. v. 2. 14. cum olim legebatur:

Alia cura: porro autem dum studeo illis ut quam plurimum;

Muretus (ut constaret trochaicus) ita invertit:

Alia cura: porro autem illis dum studeo ut q. p.

Faërus e Mss. pro *porro* restituit *heia*, quod et versum sanat absque ista inversione. Heinsius autem admissa voce, *heia*, dum sequentium verborum ordinem antiquum restituere neglexit, versus prorsus corruptus. Eodem modo si inter voculas duas, (quas

simul constare metri ratio vetat,) utri utra locum cedat, ambigatur; interdum, posthabita metri ratione, utramque admittit; interdum contra, irreptitiam simul cum genuina delet. Sic cum huic versui olim,

Sine me vacuum tempus ne quod dem mihi,

deesse aliquid ad metrum viderat Muretus, ex conjectura *dem* mutavit in *duim*; Faërnus autem e cod. Bemb. pro *vacuum* reposuit *vacivom*: Heinsius, contra metrum, utramque simul mutationem retinuit. Sic Heaut. IV. 5. 19.

Quod ei es pollicitus: garris: unde id? a tuo patre.

cum aliquid metro superesse deprehenderetur, Muretus ex ingenio suo delevit vocem *tuo*, Faërnus ex auctoritate Mss. delevit *id*; editio Heinsiana utramque vocem sustulit, metro rursus depravato. Quod pluribus in locis fieri videbit, quicumque editiones Mureti, Faëрни, atque Heinsii invicem conferre operæ pretium fore existimabit.

FRANCISCUS HARE, S. T. P.

DE METRIS COMICIS.

QUI cum fructu legere velit, quæ de metris comicis dicturus sum, domo afferat oportet eorum cognitionem, quæ in vulgatis carminis condendi regulis continentur; neque enim prima prosodiæ elementa tradere hujus instituti est. Qui iis leviter imbutus est, novit brevem syllabam unius esse temporis, longam duorum; pedes autem ex syllabis componi; et ex iis unum esse duorum temporum, pyrrichium; tres trium, trochæum, iambum, tribrachyū; quatuor temporum quatuor, spondæum, dactylum, anapæstum, et amphibrachyn, (sed hic ultimus ad metra Terentiana intelligenda prorsus inutilis;) tres ex pedibus simplicibus quinque temporum, bacchium, antibacchium, et creticum; unum denique sex esse temporum, nempe molossum: sed hi quatuor ad pæoniicum genus spectant, de quo nihil hic dicturus sum.

Ex pedum dissyllaborum geminatione vel conjunctione oriuntur metra, quæ Græci *διποδίας* seu *συνδυγίας* dixere, numero sedecim.

1. Ex pyrrichio geminato fit proceleusmaticus, temporibus

spondæo æqualis, adeoque in simplicium pedum numero merito ponendus.

2. Ex geminato trochæo, trochæo-trochæus, seu ditrochæus.
3. Ex geminato iambo, diiambus.
4. Ex geminato spondæo, dispondæus.
5. Ex trochæo et pyrrichio, pæon primus.
6. Ex pyrrichio et trochæo, pæon tertius.
7. Ex iambo et pyrrichio, pæon secundus.
8. Ex pyrrichio et iambo, pæon quartus.
9. Ex trochæo et iambo, choriambus.
10. Ex iambo et trochæo, antispastus.
11. Ex pyrrichio et spondæo, ionicus a minore.
12. Ex spondæo et pyrrichio, ionicus a majore.
13. Ex trochæo et spondæo, trochæo-spondæus, seu epitritus secundus.
14. Ex spondæo et trochæo, spondæo-trochæus, seu epitritus quartus.

15. Ex iambo et spondæo, epitritus primus.

16. Ex spondæo et iambo, epitritus tertius.

Ex hisce metris quatuor solum ad præsens institutum faciunt, secundus scilicet, quartus, decimus tertius, et decimus quartus.

In hæc quatuor metra, aliave quæ iis sunt temporibus æqualia, omnes versus Terentiani, exceptis pauculis pæonici generis, ut mox videbimus, resolvi possunt. His igitur probe cognitis, nihil erit in metris Terentianis, quod non vel tironi facillimum videbitur, præter licentias, de quibus suo loco.

Metra autem quæ quatuor supra memoratis temporum ratione paria sunt, et eorum vicem sustinere possunt, sequens tabella exhibet.

Trochæo-trochæo seu ditrochæo	Trochæo-spondæo seu epitrito secundo	Spondæo-trochæo seu epitrito quarto	Spondæo-spondæo seu dispondæo.
----------------------------------	---	--	-----------------------------------

Sunt temporibus æquales,

Ditribrachys	Tribrachy-spondæus	Spondæo-tribrachys	Spondæo-dactylus
Tribrachy-trochæus	Tribrachy-dactylus	Dactylo-trochæus	Dactylo-spondæus
Trochæo-tribrachys	Tribrachy-anapæstus	Dactylo-tribrachys	Spondæo-anapæstus
	Trochæo-dactylus	Anapæsto-trochæus	Anapæsto-spondæus
	Trochæo-anapæstus	Anapæsto-tribrachys	Dactylo-anapæstus
			Anapæsto dactylus
			Didactylus
			Dianapæstus.

Unaque cum iis metrorum viginti quinque numerum conficiunt; quæ juxta alphabeti ordinem in quinque classes distributa lectori ob oculos ponere utile putavi, cum exemplis singulorum adjunctis, locisque unde sunt desumta.

1. A. A. Dianapæstus : iter hac-habui. Eun. v. 8. 35.
2. A. D. Anapæsto-dactylus : tē amō-quo magis. Ad. iv. 5. 46.
3. A. S. Anapæsto-spondæus : videō-sentum. Eun. II. 2. 5.
4. A. Tr. Anapæsto-tribrachys : itidem-patria. Eun. II. 2. 4.
5. A. T. Anapæsto-trochæus : prius au-dite. Eun. v. 8. 37.
6. D. A. Dactylo-anapæstus : est genus-hominum. Eun. II. 2. 17.
7. D. D. Didactylus : quid lacry-mas pater. Ad. iv. 5. 45.
8. D. S. Dactylo-spondæus : ut tuo a-mori. Eun. v. 8. 46.
9. D. Tr. Dactylo-tribrachys : interea-aliquid. Heaut. II. 4. 11.
10. D. T. Dactylo-trochæus : suppedi-tare. Eun. v. 8. 46.
11. S. A. Spondæo-anapæstus : quid con-libuit. Eun. v. 8. 26.
12. S. D. Spondæo-dactylus : nemo est-principi°. v. 8. 48.
13. S. S. Dispondæus : pannis-annis. II. 2. 5.
14. S. Tr. Spondæo-tribrachys : multum ac-cipere. v. 8. 45.
15. S. T. Spondæo-trochæus : ut spes-nulla. Eun. II. 2. 9.
16. Tr. A. Tribrachy-anapæstus : adeo ut-etiam. Hec. II. 1. 24.
17. Tr. D. Tribrachy-dactylus : nisi vi-des nisi. And. II. 2. 36.
18. Tr. S. Tribrachy-spondæus : homine-quoquo. Eun. v. 8. 53.
19. Tr. Tr. Ditribrachys : hodie-item-alia. And. II. 2. 17.
20. Tr. T. Tribrachy-trochæus : mea quidem-hercle. And. II. 2. 10.
21. T. A. Trochæo-anapæstus : missa-facio ef-. Ad. v. 9. 34.
22. T. D. Trochæo-dactylus : dum stu-des dare. Eun. v. 4. 28.
23. T. S. Trochæo-spondæus : vis po-tiri. Heaut. II. 3. 81.
24. T. Tr. Trochæo-tribrachys : fundite-emite. Ad. v. 9. 34.
25. T. T. Ditrochæus : vis a-mare. Heaut. II. 3. 81.

Hi sunt pedes compositi, seu metra quibus ad metra Terentiana explicanda opus erit, quos omnes compendii gratia ditrochæos dicere liceat, cum ditrochæis vel puris vel impuris pares sint. Horum vero numerus augeri possit, si longam syllabam in dactylo vel anapæsto in duas breves resolvendo eorum loco proceleusmaticum suffeceris, ut, quam quidē redeat ād, Heaut. v. 3. 8. sed hoc rarissime factum est, nec ullus fere proceleusmatici usus, nisi

cum in fine versus dactyli vel cretici locum sustinet, quod sæpissime fit. Quin et e metris supra positis ista in quibus pes posterior est dactylus, vel ubi nimius syllabarum brevium concursus, rarius usurpantur; optima contra illa sunt, in quibus primus pes trochæus vel trochæo par, vel anapæstus; alter vero vel spondæus, vel anapæstus. Purus enim ditrochæus est levior numerus et tripudiis quam sermonibus aptior, ideoque levitatem istam adjunctione tardioris pedis temperare visum est.

His de metris præmissis, jam ad versus ipsos accedamus; quos ut penitus intelligamus, ante omnia hoc principio loco, utpote quo tota fere res innitatur, ponendum est, versus comicos cujuscumque generis non per simplices pedes, sed per metra seu *διποδίας* dimetiendos esse.

Hoc præceptum, quod est quantivis pretii in re metrica, Græcis unice debemus. Quibus non est copia consulendi de hac re Hephæstionis Alexandrini libellum de Metris, qui jam diu est rarissimus, adeant vetera scholia in Aristophanem, vel Triclinii in Sophoclem: in iis videbunt versus omnes per integra illa scripta per *διποδίας* dimensos: quod apud Græcos tam constans fuit, ut inde nomina versibus indiderint, ac trimetros et tetrametros dixerint, quos Latini non sine magno rei metricæ incommodo, senarios et octonarios. Hinc enim factum est ut vetus illa per metra dimensio paulatim in desuetudinem abierit, et una cum ea rei metricæ scientia, quod ad hæc versuum genera, fere interciderit. Qui enim, metrorum subsidio destitutus, de versus mensura judicare nequit, nisi ex pedum simplicium numero, nec ipse veterum Comicorum scripta apte et numerose leget, neque, si ab aliis recitentur, numerum in iis aliquem deprehendet; nec unquam sciet, num versus suis numeris constet, nisi ad digitos exigat, quod non molestum modo, sed et nimis quam absurdum; cum et nimiam id inter legendum vel audiendum moram, præterquam res patitur, postulet, gratiamque omnem et venustatem numerorum ab aure, cujus unum est de numeris judicium, et cui delectandæ præcipue inserviunt, in totum eximat. Contra, qui versibus comicis per metra dimetiendis assueverit, statim ex ipso versus sono, simulac audierit, facile intelliget ejus generis sit, an in parte aliqua quantitas deficiat, aut aliquid vitii sit in numeris; nec opus est ad judicium de his ferendum, ut in concilium digitos adhibeat.

Hæc ita esse res ipsa comprobabit exemplis quæ mox afferam

ex trochaico genere desumtis. Sentio quidem me hic ab aliis rei metricæ scriptoribus abire, qui de iambico genere primo loco solent agere, ut antiquissimo et facillimo: sed doctissimorum virorum venia dicere liceat, utroque nomine eos vehementer falli. Primum enim clarissimo ex Aristotelis libro de Poëtica testimonio constat trochaicum genus fuisse antiquissimum. Hæc enim ille c. 4. *Τό, τε μέτρον ἐκ τετραμέτρον (τροχαϊκοῦ) ἱαμβεῖον ἐγένετο. τὸ μὲν γὰρ πρῶτον τετραμέτρῳ ἐχρῶντο, διὰ τὸ σατυρικὴν καὶ ὄρχηστικωτέραν εἶναι τὴν ποίησιν. λέξεως δὲ γενομένης, αὐτὴ ἢ φύσις τὸ οἰκεῖον μέτρον εὔρε. μάλιστα γὰρ λεκτικὸν τῶν μέτρον τὸ ἱαμβεῖόν ἐστι.* Quod si hoc secus se haberet, tamen, si quæ de re metrica scripturus sum, facilius intelligentur ea primum tradendo, quæ ad trochaicum genus spectant, hæc est idonea ratio, cur hanc potius quam illam viam insistamus. Hæc autem ratio quantum altera facilior sit, et non modo rei metricæ imperitorum captui accommodatior, sed et rei ipsi de qua agitur, aptior atque utilior, non opus est ut verbis meis dicam; lector ipse statim expertus re ipsa deprehendet.

Sed, antequam vera ex Terentio exempla adducam, fictis exemplis, uno scilicet verbo sæpius repetito, singula versuum genera lectori ob oculos ponam, quo clarius et planius eorum naturam, quantitatem, et numerum perspiciat. In trochaico igitur genere, trochaici tetrametri integri exemplum hoc esto:

Phormi-onem = Phormi-onem || Phormi-onem = Phormi-onem.

Hoc est perfectissimi trochaici tetrametri exemplum: *διποδίαι* enim, seu metra quibus constat, sunt omnia ex trochæo et spondæo, id est, ex epitritis secundis conflata, quæ hujus generis summa laus est. Trochaici enim generis proprium est, ut trochæus sit in locis imparibus, sive in priorē metri parte; in altera vero spondæum vel spondæo parem, ut prius dixi, malit, ne justo levior et mobilior sit. Hunc versum integrum dixi, quoniam constat ex quatuor metris sive *διποδίαις* integris; quod genus Græci *ἀκατάληκτον* dixere, ut distinguatur ab aliis, in quibus aliquid vel deficit, vel superat. Si versus una syllaba excurreret ultra debitam tetrametri mensuram, *ὑπερκατάληκτον* dixere; si una syllaba deficeret, *καταληκτικόν*; si pede integro, *βραχυκατάληκτον*. Atque hæc vocabula Latini rei metricæ scriptores sua etiam fecere, cum verbis e Latio sumtis eorum vim haud æque commode exprimere potuerint. Ut hujus autem versus naturam et venustatem intelli-

gas, ad singula metra paululum subsistas oportet; quod si feceris, videbis non modo nullam in medio versu cæsuram fieri, sed et singula metra, intra suos quodammodo limites conclusa, integris dictionibus finiri, ita ut nusquam unum idemque verbum in diversa metra distrahatur: quod etiam in veris exemplis plerumque fieri comperimus, ut hoc indicio, si dubium aliquando inciderit (quod interdum fit) ad quodnam genus versus referendus sit, iambicum dico an trochaicum, si ad trochaicum genus reducendo verba in metrorum finitionibus crebris cæsuris incidantur, hoc inquam indicio satis certo cognosci possit alterius esse generis. Ut hæc quæ dixi hujus carminis propria esse lector facilius deprehendat, versum quem exempli loco adduxi in bisegmenta hæc nota || distincti, bisegmenta vero in metra hæc =, metra denique in pedes ex quibus constant hæc -. Atque harum notarum primam per totam hanc editionem in versibus tetrametris, qui etiam quadrati a Latinis rei metricæ scriptoribus dicuntur, semper adhibui; alias vero duas notas iis tantum in locis, ubi metrum impeditius visum est, et molestiam aliquam lectori parum in his exercitato creare potuisset.

His de hoc ficto exemplo dictis, ad illud vera quædam e Terentio sumta jam expendamus; qualia sunt hæc ex Eun. IV. 6. 1.

TH. Cred^o equid^{em} - illum = j^{am} adfu-tu^{um} esse ||, ut ill^{am} a m^e - eripi = at; sine-veniat.

Atqui - sⁱ illam = digit^o at-tigerit || un^o, oculⁱ - illic = effodi-entur.

Usque ad e^o ego - illius = ferre - poss^{um} in || eptiam-, et mag = nifica verba, Verba - dum sint = : ver^{um} eni^m - sⁱ ad rem || confe-rentur =, vapulabit.

CH. Thais -, ego jam = dud^{um} hic - ads^{um}. TH. O || mi Chre-mes, t^e ips^{um} = expec-tabam.

Scin tu - turb^{am} hanc = propter - t^e esse || fact^{am} ? et -, ade^o ad = t^e atti-ner^e hanc

Omnem - r^{em} ? CH. Ad me = ? qui ? quasⁱ - istuc ||. TH. quia dum-tibi so = rorem - studeo

Redder^e - ac re = stituer^e -, hæc atq^{ue} || huj^{us}mo-di sum = multa - passa.

Quibus addas hæc ex Heaut. III. 3. 1.

CH. Quid Istuc - quæs^o est = ? quⁱ istic - mos est, || Clitiph^o - ? itane = fierⁱ o-portet ?

CL. Quid ego - feci = ? CH. Vidin - ego te || modo man^{um} - in siu^{um} = huic mere-trici — et v. 6.

Homin^{em} a-micum = recipere - ad t^e, atq^{ue} || ejus a-micam = subagi-tare.

Vel herⁱ in - vino = qn^{am} immo-destus || fuisti-. SY. Factum = . CH. Quam mo-lestus.

Et Adelp. II. 1. 1.

SA. Obse-crō popu=lares - ferte || miser^o atq^{ue} - inno=centⁱ auxilium :
Subve-nite inopⁱ = . Æs. Oti-ose ||, nunc jām - illic^o = hic consiste.
Quid re - spectas = ? nihil pe-ricli est ||; numquam - dum eg^o ader^o = , hic
te-tanget.

Et Hec. IV. 1. 1.

Perii - , quid agam = ? quo me - vertam || ? quid vi-ro meo = respon-debo
Misera - ? n^{am} audi=visse - vocem || pueri - visust = vagi-entis.

Et ex Phorm. III. 1. 1.

Enī^m ver^o. Anti=plō mul-timodis || c^{um} istoc - anim^o es = vitupe-randus :
Itane - t^e hinc ab=iss^e, et - vitam || tuam ta-tand^{am} ali=is dedisse ?
Alios - tuam rem = credi-disti || mag^{is} quam - tet^e ani=madversuros ?
N^{am} ut ut e-rant ali^a = , illi - certe ||, quæ nunc - tibi domⁱ = est, con-suleres.

Qui hos versus attentius expendet, comperiet unum tantum ex iis esse, in quo bisegmentum non integra dictione claudatur; in eo vero, non simplicem vocem distrahi, sed præpositionem solum, quacum composita est: et tum in bisegmentis, tum in metris fere omnibus, si qua dictio in duo metra dividatur, sectionem ita fieri, ut syllaba, in quam accentus cadit, non divellatur e sequentibus, sed una cum iis eidem metro accedat.

Atque hæc de hac prima trochaici tetrametri specie dicta sint, qua quidem Terentius rarissime utitur, nisi in initiis scenarum; atque ibi raro invenies plus uno versu hujus generis adhiberi, adeo ut in toto Terentio vix sint totidem alia, quot hic adduxi. In hoc autem versu ut venustas aliqua sentiatur, partes ejus tardius proferendæ sunt, quod et ipsa in initiis scenarum collocatio quodammodo ostendit, cum sermo in primo congressu ipsa natura duce fere semper lentior sit.

Versus, quo maxime gaudet in trochaico genere, quique jucundissime et summa cum venustate decurrit, una syllaba ab hoc deficit, inde dictus tetrameter catalecticis, Latini septenarium dixere, ad hunc modulum factus,

Phormi-onem = Phormi-onem || Phormio-nem = Phormio :

qui constat ex tribus ditrochæis et cretico, pro quo, prima syllaba in duas breves resoluta, sæpe adhibetur proceleusmaticus. Hujus formæ exempla in Terentio ubique obvia. E multis hæc habe ex Andr. II. 2. 22.

Redeunt¹ - intere^a = ex ip-sa re || m^{hi} inci-dit su=spicio^o : hem,
 Paulul^{um} - obson¹ = : ipsus - tristis ||: d^e impro-viso = nuptiæ :
 Non co-hærent =. PA. Quorsum^{am} - istuc ||? DA. Ego me - continu^o =
 ad Chremem.

Nihil or-nati =, nihil tu-mult¹. ac|cess¹ : intr^o - aspe=xi. PA. Scio.
 Magnum - signum =. DA. Num vi-dentur || conve-nir^e hæc = nuptiis ?
 PA. Non, o-pinor = Dav^e. DA. O-pinor ||, narra - ? non rect^e = accipis.
 Certa - res est = : etiam - puer^{um} inde || abiens - conve-ni Chremi^e,
 Oler^a et - piscicu=los mi-nutos || fer^e obol^o - in ca=nam seni.

Et Eun. v. 8. 45.

Quod des - paulul^{um} = est, ne-cess^e est || mult^{um} ac-cipere = Thaidem,
 Ut tu^o a-mori = suppedi-tare || possit - sine sum=tu tuo.
 Ad ðmnia - hæc magis = oppor-tunus ||, nec magis - ex u=su tuo,
 Nem^o est : - principi^o = et habet - quod det ||: et dat - nemo = largius.
 Fatuus - est, in=sulsus -, tardus ||, stertit - noctesq^{ue} = et dies.

Et Adelph. v. 4. 1.

Nunq^{uam} ita - quisquam = bene sub-ducta || ratiou^e - ad vi=tam fuit,
 Quin res -, ætas =, usus - semper || aliquid - appor=et novi ;
 Aliquid - moneat =, ut illa - quæ te || scire¹ credas =, nescias ;
 Et quæ - tibi pu=taris - prim^a, in || experi - und^o ut = repudies.

Hecyræ denique illa III. 5. 20.

Ego me - scio ca=visse -, n^e ulla || merito - contu=melia
 Fier¹ a - vobis = possit - : idque || si nunc - memorat^e = hic velim,
 Quam fi-del¹ anim^o =, et be-nign^o in || ill^{um} et - clemen=ti fui,
 Vere - possum =; ni t^e ex - ips^a hæc || magis ve-lim re=sciscere.

Sed de hac trochaici catalectici specie hæc satis : est et alia catalectici species quam cretici loco claudit molossus, qui versus Scazon Hephæstioni dicitur ; sed nulla hujus generis exempla sunt in Terentio ; nihil igitur opus ut de eo plura hic dicam.

Est vero in trochaico genere præter has species insignis etiam dimeter catalecticus, seu posterius bisegmentum tetrametri catalectici, cujus hæc forma est :

Phormi-onem = Phormio.

Hujus generis versiculi singuli tantum occurrunt, nec sæpius simul repetiti, scenam vel scenæ partem constituunt, sed tetrametris eleganter immiscentur. Iis tamen parcius utitur Terentius. Exempla sint hæc :

Proh De^{um} - atq^{ue} homi=num fidem. And. I. 5. 10.

Quod sⁱ ab-esset = longius. Adelph. IV. 1. 8. et

Dicam-, non ædē=pol scio. Hec. IV. 1. 5.

Primum etiam hujus versus bisegmentum seu dimeter acatalec-

Delph. et Var. Clas.

Terent.

(1)

tus, est Plauto frequens, sed apud Terentium nusquam. Nec omit-
tendum est apud Terentium Andr. IV. 1. 14. unum esse exemplum
trochaici tetrametri brachycatalecti, cui scilicet integer pes deest
ad tetrametrum complendum.

Non verentur =: illic ubi nihil || opus est-, ibi ve=rentur.

His de trochaico genere dictis, in quo lector nullam difficultatem
sentiet qui hæc exempla probe tenet, nisi quæ ex licentiis oritur,
siquidem metricè legere expedite queat, omissis literis quæ per
synalœpham eliduntur; transeo ad iambicum genus, quo maxime
Comici veteres utuntur, ut sermoni et rebus agendis omnium com-
modissimo. De hoc autem genere sciendum est, quod in paribus
locis pedem illum postulet, unde ipsi nomen est. Atque hoc ex
ipsa versus iambici natura profluit, cum a trochaico derivetur, qui
iambicus fit, si principio syllabam vel semipedem apponas; quod
cogitatum etsi neminem fugere potuisset, si de trochaico genere
rei metricæ scriptores primum agere cœpissent, nescio tamen an
cuiquam in mentem venerit ante doctiss. Bentleyum nostrum. Is
certe primus id me summonuit ante annos complures, cum, inter
vario sermone confabulandum, de Terentii versibus forte verba fa-
ceret, pauca quidem, sed quæ homini non prorsus ἀμόσφ̄ satis
essent. Hoc autem pacto syllaba brevis, quæ in trochaico versu
secunda fuit, in iambico tertiam sedem occupabit; i. e. secundus
pes erit iambus, atque ita porro in ceteris paribus locis. Sed ea
veteres Comici usi sunt licentia, ut in omni sede præter ultimam
spondæum vel spondæo parem reciperent, unde exurgit non mi-
nor metrorum in hoc genere congeries, quam quæ genus trochai-
cum ingreditur: sed ab hac nova pedum compositorum mole
lector liberabitur, cum perspiciet, quomodo versus iambicus a
trochaico deducatur. Trochaici tetrametri catalectici exemplum
hoc erat:

Phormi-onem=Phormi-onem || Phormi-onem=Phormio.

Appone syllabam principio, et ex hoc versu fiet iambicus tetrame-
ter acatalectus:

Proh Phormionem, Phormionem, Phormionem, Phormio:

quod in metra iambica distinctum hanc formam induet:

Proh Phor-mio=nem Phor-mio=nem Phor-mio=nem Phor-mio:

quo nihil invenustius; sin syllabam, quam principio addideras,
virgula apposita a sequentibus abscindas, metra, quæ supersunt,

erunt omnia eadem quæ prius, nempe ditrochæi: unde sequitur iambicum tetrametrum acatalectum commode spectari posse, ut compositum ex syllaba seu semipede, tribus ditrochæis, et cretico seu dactylo, cum ultima versus syllaba communis sit; aut si primam cretici syllabam in duas breves resolvas, proceleusmatico. Ut scias igitur, an hujus generis versus sit numeris suis integer, non opus est, ut ad pedes iambicos, seu metra ex iis composita confugias; rejecta ab initio syllaba vel semipede, qui sæpe duabus constat syllabis, quære modo, an supersint tres ditrochæi cum cretico, vel pede cretico pari: quod si rem ita se habere compereris, certo scis ad versum recte constituendum nihil desiderari; quantitas sua, numerus illi suus constat.

Atque hinc lector clare videat, quantum in re metrica tradenda factum sit compendium agendo primum de trochaico genere, et ex illo iambicum deducendo, contra quam vulgo fit; cum hoc pacto, qui unum novit, ambo noverit; nullum erit ei negotium cum pedibus iambicis, iisve pedum compositionibus seu metris, quæ genus iambicum constituunt; quæ et scire labor est, et, si scias, non tamen statim intelligas, utrum versus ex iis conflatus recte se habeat, necne: quod facillime dignoscitur, si, syllaba vel semipede ab initio rejecto, in trochaicum redegeris. Atque ad modum hunc iambicos tetrametros in hac editione ubique in medio versu distinguendos curavi; syllabam etiam vel semipedem ab initio in omnibus iambicis virgula resecuri, quoties vel minimum difficultatis inerat ad dignoscendum, utrum unam, an duas syllabas abjicere oporteret. Hujus autem generis exempla hæc habet ex Eun. II. 3. 21.

Hand' similis - virg^o est = virgi-num no||strarum - : quas ma=tres student

De'missis - humeris = esse -, vincto || pector^e-, ut graci=lae sient.

Si'qu^a est ha-bitior = paulo -, pugil^{em} esse || aiunt -: dedu=cunt cibum :

Tam'et' si ho-n^a est na=tura-, reddunt || cura-tura = junceas.

Et III. 5. 35.

Ad'hortor - properent = : d^{um} appa-ratur || , virg^o in - concla=vi sed :

Su'spectans - tabulam = quandam - pict^{am} : ibi || inerat - pictur^a = hæc,

Jovem

Quo' pacto - Danaæ = misiss^e - aiunt || quond^{am} in - gremi^{um} imbr^{ata} = aureum.

His adjungas Heaut. II. 1. 1.

Quam in'iqui - sunt pa=tres in - omnes || adule-scentes = judices :

Qui æq^{uum} esse - censent = nos a - pueris || illi-co na=sci senes ;

Nequ^e illar^{um} af fines = esse - rerum ||, quas fert - adule=scientia.
 Ex' sua li-bidi=ne mode-rantur ||, nunc qu^{ae} est - non qu^{ae} o=lim fuit.

Et v. 2. 34.

Düm Is'tis fu-isti = solus-, dum null^a || alia - delec=tatio,
 Quæ' propior - esset =, t^e indul-gebant ||; tibi da-bant: nunc = filia
 Postq^{uam}' est in-venta = ver^a, in-vent^a est || causa-qua t^e ex=pellerent.

Sed nihil opus pluribus in hoc genere exemplis, cum sint tanto numero ubique obvia: ex his satis liquet iambicum tetrametrum acatalectum a trochaico t. c. nihilo differre, nisi quod syllaba ab initio sit auctior; atque hinc fit, ut sæpe inter se misceantur, quasi generis ejusdem essent.

Altera iambici tetrametri species, qua plurimum utitur Terentius, quæque ex priorè oritur, syllaba a fine resecta, est versus iambicus tetrameter catalecticis, cujus exemplum hoc esto:

Proh' Phormi-onem = Phormi-onem || Phormionem = Phormi:

constat nimirum ex syllaba seu semipede, tribus ditrochæis, et spondæo vel pede spondæo pari, anapæsto, seu tribrachi qui ob ultimam syllabam communem anapæsti vicem sustinet: hoc igitur modo si resolvas iambicum tetrametrum catalecticis, statim deprehendes, versus suis numeris constet necne; nec opus est ut ad alia metra exigas, ut intelligas an quicquam aut nimium sit, aut deficiat.

Sed ut iambici catalectici naturam indolemque penitius intelligas, exemplum quod dedi, in hanc formam refingit oportet:

Proh' Phormi-onem = Phormi-ō, proh || Phormi-onem = Phormi.

Hujus enim carminis venustas in hoc præcipue consistit, ut in quarta sede sit iambus, isque voce integra finitus: quod sequentia Terentii exempla liquido ostendent. Eun. II. 2. 25.

Con'currunt - læti = mihi obvi-am cup||pedi - nari = omnes:
 Ce'tari-i, lani=i, co-qui, far||tores - pisca=tores,
 Quibus' et re - salv^a et = perdi-ta pro||fuer^{am}, et - prosum = sæpe:
 Sa'lutant -: ad cæ=nam vo-cant: ad || ventum - gratu=lantur.

Et III. 4. 1.

Hei' aliquot - adule=scen-tu-li co||imus - in Pi=rao
 In' hunc di^{em} - ut de = symbo-lis es||semus-. Chære^{am} = ei rei
 Pra'feci-mus: datⁱ = annu-li: loc^{us} ||, tempus - consti=tutum est.
 Pra'terit - tempus =, qu^o in lo-co dillet^{um} est, pa-rati = nihil est.

Hom^o ipse - nusqu^{am} est =: neque sci-ō quid || dic^{am}, aut - quid con=
jectem.

Nunc m^{ibi} hoc ne-goti = cete-ri de||der^e, ut - illum = quæram.

Quibus adde III. 5. 44.

D^{um} hæc' mecum - reput^o, ac=cersi-tur la||vat^{um} in-terea = virgo:

It', lavit-, rediit =; deind^e e^{am} - in lect^{um} || illæ - collo=carunt.

St^o ex'pectans -, si quid = m^{ibi} impe-rent: venit || un^a, heus t^u, inquit =,
Dore

Cap^o hoc fla-bellum =, ventu^{um} - huic sic || facito, - dum la=vamur:

Ubi' nos la-verimus =, si vo-les, la||vat^o: ac-cipio = tristis.

In omnibus his exemplis, in quarta sede est iambus in integram vocem absolutus: atque ita plerumque fit; ne tamen hoc perpetuum putes, est etiam ubi hanc sedem occupet non modo tribrachys, qui est temporibus iambo par, sed etiam spondæus, et spondæo par anapæstus, isque non voce integra finitus: quod liquet ex his Hec. II. 2. 5.

1 LA. Phi'dipp^e, etsi - ego meis = m^o omni-bus sci'ō esse || - ad-prim^e - obse=
quentem,

2. Sed' non ade^o - ut m^{ea} = facili-tas cor||rumpat - illor^{um} animos:

3. Quod' tu si i-idem face=res, magis - in r^{em} et || nostram, et - vostr^{am} id=
esset.

4. Nunc' vide^o in - illa=rum po-testat^e || esse t^e. PII. Heia - vero.

5. LA. Ad'i t^e he-ri de = fili^a: ut veni ||, itidem in-cert^{um} a=misti.

6. Haud' ita de-cet, si = perpetu-am vis || esse af-fini=tat^{em} hanc,

7. Ce'lare - t^e iras =: si quid - est pec||cat^{um} a - nobis =, profer:

8. Aut' ea re-fellend^o =, aut pur-gando ||, vobis - corri-gemus.

In horum versuum secundo, tertio, et sexto in quarta sede est anapæstus; in quarto, quartam sedem occupat iambus, sed non in vocem integram desinit; in octavo, pro iambo est spondæus, nec ille integra dictione finitus: adde quod secundus et tertius nullis sunt numeris, nisi pro communi secandi ratione aliam substituas, quasi constarent ex primo trochaici tetrametri bisegmento sive duobus ditrochæis, et iambico dimetro catal. hoc modo:

Sed non - ade^o ut = mea fa-cilitas || cor|rumpat - illor^{um} = animos.

Quod tu - si idem = faceres, magis in || r^{em} et' nostr^{am} et - vostr^{am} id =
esset.

Ea vero Terentii ars est, ut hanc in numeris perturbationem haud facile invenias, nisi ubi res ipsæ quoque de quibus agitur perturbatiores sunt. In rebus pacatis, tranquillis, lætis, secundis numeri quoque festivi sunt, nec leniter modo sed et jucunde ince-

dunt: versumque ita constitutum in vera sua bisegmenta facile resolvas, iambicum scilicet acatalectum, et iamb. dimetrum catalecticum, ut in hoc exemplo:

Sa'lutant - ad cœ=nam vocant||, ad'ventum - grato=lantur:

atque hæc bisegmenta sæpe seorsum posita versiculos constituunt, et quibusvis tetrametris permiscentur.

Majoris bisegmenta, seu iambici dimetri acatalecti exemplum fictum hoc sit:

Proh' Phormi-onem = Phormio.—Vera autem hæc:

1. Ve'rebar, quors^{um} e=vaderet. Andr. I. 2. 5.
2. Mise'ram me-, quod verb^{um} = audio?
3. Quod' si fit-, pereo = funditus.
. Nam' quid ego - dicam = de patre? Andr. I. 5. 6. 10. 18.
5. Rogi'tare-, quasi dif=ficile sit.
6. Quod' poteris-, ab ea = pellito. Eun. II. 1. 3. 9.
7. Ita' prors^{um} ob-litus = sum mei. II. 3. 14.

Ut horum numeros teneas, censendi sunt constare ex syllaba seu semipede, ditrochæo, et cretico aut cretici vicario proceleusmatico, ut in exemplo quinto.

Alterius bisegmenti, sive iambici dimetri catalectici exemplum fictum sit:

Proh' Phormi-onem = Phormio.—Vera autem hæc:

Date': mox ego - huc re=vertor. Andr. III. 2. 5.

Id a'nus m^{ibi} in-dicium = fecit. Adolph. IV. 4. 9.

Ad'grediar -. Bacchis = salve. Hec. V. 1. 5.

sed hæc apud Terentium rariora sunt; ex tribus, quæ adduxi, duo prima sunt versuum Bacchiacorum clausulæ, de quibus suis locis.

His de trochaicis et iambicis tetrametris acatalectis, catalecticis, eorumque bisegmentis dictis, paucula adjicienda sunt de versibus hypercatalecticis, quos si conferas cum trochaico tetrametro acatalecto, videbis alios esse una syllaba a fine auctiores, alios vero una syllaba auctiores ab initio: prioris generis, trochaici scilicet tetrametri hypercatalectici, sunt hi;

Ne t^u hoc - mihi po=sterius - dicas||, Davi - factum = consili^o - et dolis.
And. III. 2. 29.

Accers^o - ut de = lectet - hic nos||: ill^a ex-clamat = minime - gentium.
Eun. IV. 1. 11.

Repe-risti = tibi quod - placeat ||, an nondum - etiam = ? Sy. De fal-lacia.
Heaut. III. 3. 35. Et :

Tu for-tasse = quid me - fiat ||, parvi - pendis = dum illi - consulas. IV.
3. 37.

Iambici tetrametri hypercatalectici hi sunt ;

Ego' de me - facio = coniec-turam || nem^o est - meor^{um} a = micor^{um} - hodie.
Heaut. III. 3. 13.

Quin' mihi mo-lest^{um} est =. Cl. Pergis - hercle ||. Sy. Verum - dico =
quod videtur. 21.

Cui' quanto - fuerat = præsta - bilius ||, ubivis - genti^{um} = ager^e æ-tatem.
Hec. III. 1. 4.

Sin hos hypercatalecticos conferas cum utriusque generis catalecticis, priores sunt trochaico catalectico uno pede auctiores, posteriores autem iambicum catalecticum uno pede excedunt : sed de his satis, quorum usus tam infrequens est, ut utriusque generis in toto Terentio vix plusdecem sint.

Quod ad horum vero bisegmenta, nescio an trochaici t. h. posteriore usus sit Hec. IV. 1. 4.

Quod si - rescie = rit pepe-risse eam.

Et iambici t. h. priore, Eun. II. 1. 6.

Ne Ýstuc tãm in-iquo = patiar^e animo.

Licet utrumque Plauto sit satis frequens.

His igitur relictis, accedo ad iambicum trimetrum, quem Latini senarium dixerunt, versum longe nobilissimum, et omnium maxime a scenicis poetis frequentatum ; cujus tanta venustas, ut Quintilianus dixerit, etiam Terentii scripta plus gratiæ habitura, si intra TRIMETROS stetissent. Ad versus hujus constitutionem intelligendam, ei, qui probe tenet quæ de iambico tetrametro acatalectico dicta sunt, verbum satis erit ; istius enim versus normam in animum revocet, quæ hæc fuit :

Proh' Phormi-onem = Phormi-onem || Phormi-onem = Phormio.

Ex hac unum quemvis ditrochæum eximat ; reliqua iambicum trimetrum conficiant hac forma :

Proh' Phormi-onem = Phormi-onem = Phormio.

Ut trimetri igitur numeros statim ac audieris teneas, constare censeas ex syllaba seu semipede, duobus ditrochæis, et cretico, seu proceleusmatico, qui cretico par : si trimetrum in has partes resolves, illico, deprehendes absque aliis auxiliis, integer sit necne.

Hujus generis omnia ubique plena sunt : exempli loco sint hæc ex Eun. I. 1.

Quid' igitur - faciam = ? non e-am, ne = nunc quidem
 C^{um} ac'cessor-ultr^o? an = potius - ita me = comparem,
 Non' perpe-ti mere=tricum - contu=melias?
 Ex'clusit - : revocat = : redeam - ? non, si = m^e obsecret.
 Siquid^{em} hercle - possis =, nihil pri-us, neque = fortius :
 Ve'r^{um} s' in-cipies, = neque per-tendes = naviter,
 Atq^{ue}' ubi pa-ti non = poteris, cum nem^o = expetet,
 In'fecta - pac^e, ultr^o = ad eam venies = : indicans
 Tē a'mar^e, et - ferre = non poss^e - ; act^{um} est ! = ilicet.
 Per'istⁱ : e-ludet =, ubi te-victum = senserit.

Sed quod de nonnullis tetrametris dixi, de trimetris quoque quibusdam dicendum est, aliam scilicet secandi rationem interdum adhibendam esse, ne legitima verborum pronuntiatio nimium violetur, et numeri invenuste incidantur: sed vix tria sunt in toto Terentio hujus generis exempla: duo tantum scribenti hæc occurrunt, quorum alterum est in Eun. 111. 1. 52.

-tromit-tamus = commis-satum = tu' Pamphilam :

alterum in Heaut. 11. 3. 66.

Facile - scires = desi-deri^o id = fie'ri tuo.

Hos versus, ut aliquo sint numero, vides resolvendos esse in duos ditrochæos, syllabam seu semipedem, et creticum.

De hoc autem carminis genere unum porro monendum restat; nempe ut in tetrametris generibus sunt quidam versus, qui mensuram trochaici tetrametri catalectici, et iambici tetrametri catalectici uno pede excedunt, ita in hoc genere sunt quidam, qui uno pede, justo trimetro prolixiores sunt, quos iambicos septenarios dicas, quales pauculi sunt in Terentio, plures apud Plautum; de quorum tamen magna parte merito dubitari possit, utrum satis sani ac sinceri sint, Hujusmodi sunt hi ex And. 1v. 4. 3.

Puer' hercl^e est - : mulier =, tun' ad-posuistⁱ = hunc? ubi - illic est?

Et v. 6.

Quid' turb^æ est - apud fo=rum? quid - illic = hominum - litigant?

Hic quidem versus, si singulis syllabis detur maxima sua quantitas, erit T. t. c. sed id parum convenit homini perturbationem magnam simulanti, et præ metu raptim verba præcipitanti: quid quod nullum certum est in Terentio exemplum, trochaicum tetrametrum catalecticum iambicis trimetris immiscendi: nec nisi

rarissime fit apud Plautum: vid. *Heaut.* I. 1. 20. Aliud autem septenarii exemplum habemus hac ipsa in scena, v. 16.

Mirum ver^o - impu=nter - mulier = si facit

Mere'trix. CH. Ab - Andria = est an-cilla hæc =, quant^{um} in-telligo.

Si, Meretrix, non e margine traducta sit, vel collocanda est post, mulier, et sic prior erit septenarius, aut sequenti apponenda est, ut hic, et tunc ille uno pede augebitur. His addas *Hec.* III. 4. 16.

Her^{et} etiam - tu nunc = hic stas - ? PA. Et quidem = t^e exspec-tō. PAR. Quid est?

sed hujus versus lectionem mihi suspectam esse ad locum dixi. Superest ut moneam, versibus tetrametris et trimetris, præter cola illa de quibus prius dixi, interdum immisceri brevissima quædam commata; unius syllabæ, ut, non, *Eun.* IV. 4. 32. duarum, ut, In-jus, *Phorm.* v. 8. 44. trium, ut, flos ipse, qui est iambicus monometer catal. *Eun.* II. 3. 28. Occidi, *Eun.* II. 3. 1. et, Dorio, *Phorm.* III. 2. 1. qui sunt trochaici monometri catal. quatuor, seu quæ metrum iamb. integrum constituunt, ut, quid illud est? *And.* I. 5. 2. Esse denique quæ metrum iambicum hypercat. constituunt, ut, dis'crucior-animi, *Adelph.* IV. 4. 1.

Est quidem in vulgatis edit. exemplum etiam commatis iambici dimetri brachycatalecti: *Phorm.* I. 4. 18. Hom'inem. AN. Stä-illico. GE. Hem. Sed, Hominem, ad versum præcedentem rejiciendum esse, ad locum dixi: nec plus uno hujus generis memini apud Plautum. *Pers.* IV. 4. 116.

Ab^v argent^{um} - effer huc.

His paucis absolvi quicquid scire opus est ad intelligendum omnia illa carminum genera, quæ a trochæo vel iambo nomen suum sortiuntur; quatenus ad metrorum Terentianorum intelligentiam eorum cognitio necessaria est. De his autem duplex quæstio moveri potest; altera, quamobrem tantam carminum varietatem adhibuerit Terentius, et non potius intra trimetros steterit, quod voluit Quintilianus. Consilii hujus rationem multi e rebus ipsis petendam arbitrantur, et Terentium variis versuum generibus usum fuisse, ut rei de qua agitur naturam numerorum concinnitate spectatorum oculis melius subjiceret: sed vereor ut hoc responsum satis firmum sit, cum locorum inspectione constet in Fabularum partibus maxime inter se dissentientibus idem carminis genus

adhibitum, in continuis autem negotiis diversa. Est quidem ubi numeri rebus mire conveniunt; causam tamen tantæ varietatis opinor hanc unicam fuisse, ut eo magis poëta spectatorum animos reficeret et tædium levaret; cum ipsæ etiam orationis virtutes fastidium pariant, nisi gratia varietatis adjutæ. Gaudent enim omnes varietate, et, sicut oculi diversarum aspectu rerum magis detinentur, ita aures crebris numerorum atque adeo versuum mutationibus oblectantur. Quod cum ipsius Quintiliani iudicium sit, miror voluisse elegantissimas Terentii Fabulas solis trimetris astringi, cum et alia genera sint venustissima, et sine illis gratissima numerorum varietas omnis fere periisset. Hinc est quod in scenis, quæ ex tetrametris solis constant, sæpius de alio genere ad aliud transitur; sed hoc tanto fecit iudicio Terentius, ut in ipsis quoque narrationibus ad aliam rem transitus simul fiat. Vid. Eun. II. 2. 24. et III. 5. 44. In hac denique versuum varietate Latini secuti sunt Græcos, Græci vero naturam, cui semper grata est vicissitudo.

Quod ad alteram quæstionem, cur diversorum generum versus Terentius misceat, et nunc trimetrum tetrametris, nunc tetrametrum trimetris inserat, nunc in diversis tetrametrorum generibus idem faciat; hoc quoque factum arbitror ob easdem fere causas, et ut in prolixioribus scenis dormitans lector ad aures arrigendas excitetur; sed semper commodis in locis, et ubi res ipsa mutationes ejusmodi vel suadere vel pati saltem videatur. Duo vero genera, quod antea monui, tam parum inter se distant, ut eorum mistura merito nulla censeri debeat, trochaicum dico t. c. et iambicum. t. acat. cum sola inter versus eos differentia sit, quod alterum ab initio alter una syllaba vel semipede excedat. Atque hæc de trochaicis et iambicis generibus dicta sint. Sunt vero in veteribus Comiciis, præter hæc, exempla quædam generis etiam pæonici, versus scilicet bacchiaci et cretici; quos apud Plautum magno numero et in omni fere Fabula invenias, sed in Terentio tam pauci sunt, ut ne uni quidem paginæ implendæ sufficiant: de quibus ad loca sua satis dixi, ut iis hic immorari plane supervacaneum sit.

Pergo igitur ad alteram hujus instituti partem, eamque longe difficillimam, de licentiis dicere, quibus veteres Comici usi sunt, earumque modos et rationes exponere. In quibus intelligendis cum viderem me parum adjutum a rei metricæ scriptoribus, quo-

rum tractatus hac in parte sunt supra quam dici potest steriles et jejuni, cum eorum nemo in rem altius penetrarit, aut quicquam solidi tradiderit, præter vulgaria illa quæ in triviis nota sunt; decrevi ante omnia licentiarum causas et origines quantum potui investigare, et nisi plurimum fallor, quænam fuerint, non obscure deprehendi.

In primis igitur sciendum est licentias Comicoꝝ, quod ad partem earum longe maximam, unius esse generis, et in id ferri, ut popularem pronuntiandi consuetudinem repræsentent. Cum enim Comœdia in eo tota sit ut vera vitæ humanæ sit imago, non satis erat eas sibi materias sumere, quæ e quotidiana vita essent deprompta, humilemque illum et depressum populi sermonem imitari; oportuit insuper eandem quoque pronuntiandi rationem, quantum poterat, assequi, qua populus in congressibus et colloquiis familiaribus uteretur. Hic verus licentiarum fere omnium fons, quæ tantum eruditis negotium fecerunt; hinc est quod comicis poëtis licuit, quod alii nulli poëtarum generi concessum est. Cetera poëmata scripta sunt ut legantur; Comœdiæ vero (ut Tragicæ) ut audiantur. Ut igitur eorum numeros intelligamus, et verborum modos rite æstimemus, non tam ad literas quæ se oculis ingerunt, insitamque earum quantitatem attendendum est, sed ad sonos quos efficerent cum in ore populi ferrentur, qualesque ad aures accederent.

Quomodo verba pronuntiarent Veteres Romani, ea præsertim quæ in colloquiis sunt frequentioris usus, idque iis temporibus, cum floreret adhuc respublica, nec dum civilibus armis fracta uni in imperium cecisset, nemo dixerit; nec profecto in ulla lingua vera pronuntiandi ratio certo sciri potest, nisi ab iis qui viva voce loquentes audierint eos, quibus lingua, de qua agitur, fuerit vernacula. Nobis igitur, cum Romana lingua per tot jam sæcula in usu communi esse desierit, longe facilius est ex versuum comicoꝝ constitutione et licentiarum usu pronuntiandi consuetudinem, quam ex pronuntiandi modo versuum et licentiarum rationes investigare. Hoc tamen nemo non sentit, qui vel leviter animum ad hæc advertat, in sermone et colloquio familiari verba multa, ea præsertim quæ in frequentissimo sunt usu, quæque nullam in se emphasin habent, nec sententiam multum adjuvant, sed quasi vincula quædam orationis partibus invicem nectendis inserviunt, quales sunt articuli, præpositiones, interjectiones, conjunctiones,

et adverbia non pauca; nemo, inquam, est, qui non sentit hujusmodi verba quodammodo præcipitari et nimia celeritate ferri; in verbis etiam vel prolixioribus, vel durioris soni, quæque difficilius proferuntur, literas alias emolliri, alias supprimi, vocesque alias in medio, alias in fine syllaba truncari, verasque syllabarum quantitates mire corripiri; multis denique modis effici ut quam minimum temporis inter confabulandum verbis proferendis insumatur, nisi ubi vehementior loquentis affectus, aut rei de qua agitur natura postulet, ut in hoc vel illo verbo insignior mora fiat.

Si quis adeo harum rerum incuriosus est, ut nihil unquam de pronuntiatione linguæ sibi vernaculæ cogitarit, quid velim facile intelliget, si in animum revocet, quid ipse senserit, si unquam homines externos audierit sermone peregrino et sibi prorsus ignoto colloquentes: nonne ipsi visi sunt miris modis verba præcipitare, incidere, devorare, et dimidiata plurima proferre, ut nihil plane et distincte exaudiri potuerit? Immo qui eatenus linguam exoticam tenent, ut scripta oculis subjecta probe intelligant, illis ipsis homines lingua ista confabulantes tanta celeritate verba fundere videntur, ut non modo literæ, aut syllabæ, sed integra etiam verba sæpe eos fugiant: quod vero nos de exteris colloquentibus sentimus, idem illi etiam de nobis. Quod ostendit hoc omnibus linguis natura insitum esse, ut celerius proferantur, quam legantur, cum multa quæ plene scribuntur, non tamen plene pronuntiantur; sed inter loquendum alia premantur penitus, alia mutilentur, ab aliis asperi aliquid abradatur, aliis sua quantitas insigniter imminuatur; alia denique tam raptim efferantur, ut non modo duæ tresve syllabæ, sed interdum etiam duo vel tria verba in unum coaluisse videantur.

Ut hæc pronuntiandi ratio in scena etiam servaretur, necesse fuit ut poëtæ in versibus compingendis non tam spectarent, quid oculus postulet, quam quid ab aure desideretur; qualemque publice recitati sonum effecturi essent, potius quam qua specie essent tacite lecti.

Hæc vera origo atque unicus, opinor, fons licentiarum fere omnium, quæ in veterum Comitorum scriptis occurrunt, quæque tantas offensiones obijciunt lectoribus harum rerum imperitis, et eruditis etiam, qui causas earum investigare neglexerunt. Pleræque enim omnes eodem tendunt, ut veras syllabarum quantitates imminuant, et prosodiæ legibus producenda corripiant, quo ad

popularem loquendi consuetudinem ipsa quoque pronuntiatione propius accedant: quam dum consecantur, longitudo illa ex consonantium positione orta frustra iis obstat; in syllabæ quantitate æstimanda ad vocalis solummodo naturam, quæ syllabæ quasi anima est, respiciunt; si ea brevis sit, syllabam pro libitu corripunt. Idque non in ultimis modo verborum syllabis factitatum est, sed in aliis etiam quibusvis, mediis, primis, nisi contra obstet accentus; acutum illum intelligo tenorem, qui in omni voce unus est, syllabamque quam acuit præ ceteris intendit, et intendendo veræ ejus quantitati aliquam novam addit; cum intentione illa major aliquantum mora in acuta pronuntianda insumatur: alias positionem facile negligunt, præcipue quidem illam quæ ex eadem consona geminata oritur, cum antiquitus ejusmodi voces litera simplice scriptæ essent; dein illam quæ fit ex muta et liquida, aut ex quibusvis aliis consonis quæ in vocis initio connecti possunt, nulla vocali interposita. Sed nec intra hos fines se continuerunt; quæcumque consonæ brevem vocalem excipiant, sive in eadem, sive in diversis vocibus, longitudinem quæ exinde syllabæ accrescit, pro nihilo habent, et, si versus ita postulet, illico corripunt: immo, quod magis mirere, malunt hac corripendi licentia uti, etiamsi facile ab ea cavere potuissent, quam vocem dissyllabam, cujus prima brevis est, in diversos pedes distrahere, cum crebræ cæsuræ orationem nimis exquisitam et elaboratam, numerosam nimis et a pedestri sermone remotam faciant.

Quod videtur etiam in causa fuisse, cur toties creticos, quamvis uno tempore justo longiores, ditrochæorum partes fecerint. Hoc enim sæpenumero ab iis factum quivis facile viderit; sed creticos quatenus creticos non receperunt, cum iste pes ab his generibus omnino abhorreat: hos igitur pedes, licet revera creticos, ac proinde quinque temporum, versibus suis immiscent quidem, sed sub alia quadam specie; nunc utique dactyli, nunc anapæsti, prima scilicet vel ultima pro correpta habita, nunc spondæi, extrita media vocali, vicem sustinent. Maluerunt scilicet prosodiæ leges aliquantum violare, quam a sermonis natura et pronuntiandi consuetudine nimium recedere; cum istis legibus obsequi non poterint, nisi crebris cæsuris uterentur, et verborum creticum pedem constituentium ultimas syllabas a prioribus sæpissime divellerent. Hoc autem non modo in singulis verbis, cum cretico pares essent, factum est, sed sæpe etiam cum duæ voces ad pedem istum effici-

endum concurrerent. Licentiæ hujus unum exemplum, sed insigne admodum dabo ex Plauti Trinummo, II. 1. 172.

Quæ' neque fu-tura nec = facta sũnt - tamen il=li sciunt.

In hoc versu cuivis manifestum est duos esse pedes creticos, sed qui dactylorum plane vicarii sunt. Innumera sunt licentiæ hujus apud illum exempla; nec pauca in Terentio, licet hac, ut et aliis fere omnibus, Plauto longe parcus utatur; quod inter præcipuas Terentii laudes merito recensendum est, qui, quamvis in licentiis, sive earum numerum sive genera spectes, adhibendis tam parum sibi indulserit, sermonem tamen tanta arte temperavit, ut Plautino minus assurgat, et pedestrem multo magis referat. Sed de his hactenus.

Alterum, quod plurimi est in hoc argumento ponderis, est accentus quem dixi, seu tenor, quo verbum secundum legitimam pronuntiandi rationem modulatur. Ut enim ille non temere movendus, nec syllaba quam occupat ex longa in brevem mutanda, ita aliarum syllabarum quantitas, ejus præsertim quæ acutam proxime præcedit, ab eo plurimum pendet; et maximarum licentiarum ratio inde est petenda. Quod ut intelligamus, hæc pauca principii loco de natura et vi accentus probe tenenda sunt.

Primo, in omni voce esse acutam, eamque unam tantum.

Secundo, ultimam nunquam esse acutam, ideoque in dissyllabis priorem semper acui; unde fit ut ultimæ exilius sonent, et obscurius audiantur.

Tertio, in polysyllabis secundam, si longa sit, acutam esse; alias tertiam ab extrema; intra trium enim syllabarum numerum, sive hæc in verbo solæ sint, sive ultimæ, acutam semper contineri: ideoque, si plures acutam præcesserint, omnes graves esse, pariter ac illas, quæ sequuntur.

Quarto, cum syllabæ, quam acutus tenor occupat, ex intentione ejus, nova quædam quantitas accedat, istud incrementum quantitatis de syllaba proxime præcedente quodammodo detrahi videtur, dum vox loquentis per eam rapte fertur, ut ad acutam veniat, in qua insignior mora facienda: hinc usu venit ut syllaba acutæ proxima pro correpta habeatur, breviorque acuta videatur, etiam cum ipsa quoque brevis est. Exempla hujus infra afferam clarissima.

Quinto, accentus legitime migrat ex penultima in ultimam longam, quoties voci alicui enclitica adjuncta est, cum hoc pacto

ultima non amplius ultimam, sed ab ultima secundam sedem occupet: e. g. in, Deæ, acuitur prima, in Deæque, secunda.

Sexto, in dissyllabis, quorum prior brevis est, altera longa, si cæsura in diversos pedes distrahantur, accentus necessario migrat in ultimam; quod ideo licitum fuit, quia fieri non poterat ut poëtæ hac licentia non uterentur; ipsa metri necessitas excusat. Nec vitari potest in cujusvis generis iambicis, quoties versus ab hujusmodi voce incipit; et, si in talem desinat, quæcumque vox præcesserit, ultima ejus syllaba si longa sit, a ceteris divulsa fiet prima pedis cretici, adeoque in pronuntiando acuetur: quod valet etiam in trochaicis catalecticis, qui hac in parte ab iambicis nihil differunt.

Septimo, in trisyllabis metri conditio interdum mutat accentum, facitque ut e prima in secundam migret; cum scilicet syllaba brevis ante mutam et liquidam producitur: ut si secundam in, volucres, producas, quæ extra metrum et in ore populi semper corripitur: sed non licet contra in trisyllabis accentum e secunda in primam vel tertiam movere, mediamque licet positione sola longam corripere; cum eo legitima pronuntiandi ratio nimium immutetur, nec immutationis idonea satis causa audienti, quo minus offendatur, se ostendat. Est quidem ubi Plautus hac etiam licentia utitur, sed parcius; e. g. vi eorum, quæ quarto loco dicta sunt, corripere licet secundam in, voluptatis, sed non idem licet in, voluptas, quamvis hoc quoque a Plauto sæpius fiat.

Unum porro monendum superest de pronuntiatione consonarum i et u, quæ non tam dure efferendæ sunt, ac apud nos fieri solet, sed molliore sono, quique proxime accedat ad illum quo pronuntiamus y et w; quod et ab aliis dudum observatum est, et verum esse abunde constat ex resolutionibus syllabarum quæ ab istis literis incipiunt, quæ nunquam tam crebræ fuissent, si Veteres literas eas eodem quo nos modo pronuntiassent: cum majus tum fuisset inter ejusdem literæ sonos, quibus nunc consona, nunc vocalis efferretur, discrimen, quam quod ex altera in alteram transitum facile pati potuisset: e. g. inter, pariete, et, pargite, quomodo nos efferimus, pernimum interest; inter, pariete, vero et, paryete, parum admodum: sic, tenuia, et, ten-wia, idem fere sonant, sed, tenuia, et, tenvia, cum van, sono multum diversa sunt. Atque hæc observatio de veris harum literarum sonis est maximæ sæpe utilitatis: v vero consonam sic pronuntiari solere clarissime

ostendit vox, cauneas, cum sono referret, cave ne eas: Cic. de Divin. II. 40.

His autem principiis ex pronuntiationis in sermone familiari usitatæ et accentus natura desumptis innixi, omnium fere licentiarum quibus Comici veteres usi sunt, rationes facile expediemus. Quod ad illas, quæ alterius sunt generis, ex iis etiam plures ex sermonis et colloquii natura oriuntur; aliæ libertati isti imputandæ sunt quæ aliis etiam poëtis ex metri necessitate concessa est, quæque ex eo poëtica licentia dicitur, in qua Latinis præverunt Græci, imprimis vero Homerus. Sed, ut distinctius agam de licentiis hisce, quæ ex diuturna Plauti et Terentii lectione observavi, huc fere redeunt.

Primo, monosyllaba quævis, ea præsertim quæ sunt frequentioris in sermone usus, pro libitu corripunt, licet obstet non positio modo, sed in nonnullis etiam vocalis longa, vel diphthongus. Exemplo sint hæc:

a	aut	ob	quod
ab	dein	per	hic
abs	e	sed	hæc
ad	ex	vel	hoc
an	haud	ut	huic
at	in	proh	hunc
et	nec	qui	hanc
atq' (vel) ac	nunc	quid	hoc (abl.)
hac			
huc	cum	rem	est
hinc	dum	quum	estn'
mihi (monos.)	hem	quem	sunt
is	jam	quam	vult
id	nam		vis (a, volo)
nihil			ir ^e .

Ad, ab, abs, ob, an, in, con, in compositione etiam sæpe corripuntur, cum brevis sit omnium vocalis. "Observat curioseque animadvertit (ut Gellii verbis utar, I. II. c. 17.) M. Tullius, in et, con, præpositiones tunc produci atque protendi, cum literæ sequerentur, quæ primæ sunt in, sapiente, atque, felice: in aliis autem omnibus correpte pronuntiarum." Quæ vero in sermone correpte pronuntiabantur, in versibus quoque Comici pro arbitrio corripue-

runt. Et quod de, in, et con, dixit Cicero, in aliis etiam præpositionibus et particulis locum habuisse plurimis exemplis constat, quæ infra suo loco afferam. Sed an ad illorum modum ante easdem aut alias quasdam literas producte etiam in sermone dicerentur, cum id non ab ipsius rei ratione, sed ex linguæ consuetudine penderet, nobis frustra hodie quæritur.

Secundo, in dissyllabis multis quæ sunt frequentissimi in sermone usus, priorem pro libitu corripiunt, si vocalis brevis sit, ut in

ante	inde	quippe	hujus
autem	inter	unde	ille ²
ergo	intro	ambo	illic
etsi	intus	ejus ¹	illuc
forte	nempe	ejus	illinc
ipse	eccum	perque	esse
ipsus	eccam	numquid	estis
iste	ecquis	quicquid	essent
istic	ecquid	unquam	posse
istuc	idne	usque	adde
istinc	quodque	usquam	redde
			omnis. ³

Quibus addas, herele, neve,⁴ et sive.

Tertio, in dissyllabis, quorum prior brevis est, alteram quoque sæpissime corripiunt : ut in

apud	foris	quidem	utrum	fidem
enim	foras	simul	amor	Jovem
ehem	heri	tamen	color	manus
fere	parum	velut	pudor	forum

1 *Ejus*] In, ejus, cujus, et hujus, ut prior corripiatur, i consona in vocalem vertitur, et cum vocali præcedente diphthongescit ; diphthongum autem ante vocalem corripit ad Græcorum exemplum poetis Latinis familiare est : et hinc fit quod cum, modi, composita sæpe us abjiciant, et dicimus, eimodi, cuimodi, huimodi.

2 *Ille*] Prior in, ille, ipse, et iste, corripitur per omnes casus, et secunda fere in, illius, ipsius, et istius.

Delph. et Var. Clas.

3 *Omnis*] Priorem in, omnis, videntur pronuntiasse, ut Itali in *ogne*.

4 *Neve*] Neve et sive, cum pyrrhichii locum obtinere videntur, opinor promonosyllabis potius habenda esse, et licet plane scribantur, contracte pronuntiarum oportere, ut *neu* et *seu* ; et inde esse quod *siv'* corrupta sit, *And. 1. 3. 2.* Sive ista uxor, - sive a $\alpha\mu\mu\iota\kappa\alpha$ est - gravis e $\alpha\mu\mu\iota\kappa\alpha$ Pamphilo est.

Terent.

P

fores	viris	hero	dabit	sedens
Idem	bonis	herum	dari	erat
levi	bonas	senex	dolet	erant
manum	bonos	soror	habet	erit
manus (plur.)	malis	uxor	habent	foret
miser	malos	abi	solent	abest
minas	domi	cave ⁶	studet	potes
modo	domo	mane	student	potest
aves ⁵	donum	nega	tacet	velim
oves	puer	roga	taces	velis
boves	pater	tace	tacens	velint
novæ	patris	vide	vides	volunt
novo	patri	amat	viden	lubet
novum	herus	dedi	videt	licet
dolis	heri	dedit	lubens	

Quarto, in polysyllabis compositis, si prima syllaba componens brevis est extra compositionem, in compositione quoque sæpissime corripitur solere, (quod de monosyllabis prius observavi, quodque valet etiam in compositis ab, ante, et inter,) exempla hæc, ne plura congeram, ostendunt.

advenis	arcesso	interest	indiligenter
abduco	cognatus	interminatus	ingenium
absurde	colloquor	ignavus	integer
adsitis	commodare	ignoro	invidia
advenis (verb.)	incedo	impingo	inveniri
affines	incepto	intelligo	oblecto
ancilla	incertus	impero	obsecro
antehac	indignus	imperium	occultus
antiquus	interim	imprudens	ostendo.

Quinto, quæ acuuntur in tertia ab extrema, interdum acutam corripiunt, si positione sola longa sint, ut, optime, servitus, perve-
lim, Pamphilus, et pauca alia, quo cretici mutantur in anapæstos. Idem factum est in, neutiquam, licet incipiat a diphthongo: inter-

⁵ *Aves*] V in, aves, et similibus, videtur in vocalem verti, et voces proinde pro monosyllabis habendas esse.

⁶ *Cave*] In, caveto, etiam, negato, et rogato Plautus secundam corripit.

dum quidem in verbis hujus formæ dubium est, utrum prima an ultima sit quæ pro correpta habeatur, ut in, expedi, centuplex, perdidit, &c.

Sexto, in polysyllabis syllaba, quæ acutam proxime præcedit, sæpe corripitur, etsi non positione modo, sed et vocali longa sit, vi eorum quæ de accentu dicta sunt, ut in

argentum	ministratus	voluntatis	supellectilis
ornatus	magistratus	voluptatis	cicatrices
Alexandrum	pugillatum	venustatis	obedirent
gubernator	potestatis	senectutis	videbatur
			verëbamini.

Plautus hac licentia usus est etiam cum syllabam producit diphthongus, ut in, audivi. In nonnullis etiam, cum syllaba acuta brevis est, ea quæ illam proxime præcedit, etsi vocali longa animata, tamen corripitur, ut in, amicitia et pudicitia.

Septimo, in quibusvis verbis vocalem longam vel diphthongum finalem sequente vocali corripunt, et pro arbitrio negligunt longitudinem ex positione sola ortam; et quasvis syllabas pro brevibus habent, quarum vocalis brevis est, siquidem accentus non eas intendat. Plautus quidem ipsam acutam quoque in nonnullis corripuit, ut in

dedisse	modestæ	fenestras	Philippus
necesse	sceleste	papillas	Philippei
libello	puellam	sagittas	sinistram.

Terentius vero nusquam, quod sciam, nisi in, tametsi et favillæ, quas in vulgi quoque ore corripere solere credibile est: quod de aliis etiam maximam partem dicendum arbitror.

Octavo, in unam sæpissime contrahunt syllabas in quibus duæ quævis vocales concurrunt, ut

ai in, ain	ia in, scias	
ea in, solea	ei in, hodie	oi in, proin
ei in, dein	ii in, rediit	ui in, huic
eo in, adeo	io in, otiose	uo in, duobus.
eu in, Deus	iu in, diu	

Exempla hujusmodi sunt magno numero:

mihi ⁷	eum	eorum	fuere
nihil	eam	earum	fuisse

ais	eo	eodem	fuissent
ait	rei	eadem	sciunt
meus	spei	eamus	videat
tuus	fidei	fili	taceo
suus	diei	perii	docuit
Deus	die	aiebat	commoveo
Deæ	via	fui	transeuntem
duæ	quia	fuit	gaudii
	trium	fuisti	jurgium
mulier ⁸	eveniat	grandiuscula	potuerit
melius	perveniat	tardiusculus	rejeciat
suavius	divitias	comprehendit	introiit
probior	etiam	reprehendit	abieram
nequior	ineptias	deosculor	abiero
sexcenties	certiorem	dehortatus	redierit
via	occasionem	aperiuntur	perierim
quia	tumultuosa	ejiciat ⁹	perimus.

Nono, verba sæpe breviant exterendo vocalem vel syllabam e media voce, vel resecando a fine : quorum prius syncope dicta est, alterum apocope.

Exempla synopes sint hæc :

Eodem modo in dissyllaba contrahuntur

erpite	dixti	alterum	} quo pacto hæ voces e creticis fiunt spondæi.
surpuit	justi	militis	
exporge	sensti	nominis	
amisti	audistin	virginem ¹	
commisti	dixe	clamitans	
promisti	decesse	paululum	
præscripti	excessis	liberæ ²	
exclusti	scissem.	liberet :	

7 *Mihî*] *Mihî* et nihil sunt semper fere monosyllaba, vel certe rarissime in duos pedes distrahuntur.

8 *Mulier*] In hac voce plurimisque aliis, in quibus vocalis prior est i, contractio fit mutando i in consonam, quæ, ut ante dictum est, pronuntian- da est ut nostrum y : atque hac ratione pedes procelesmatici in ver- sum finibus sæpe in dactylos vel

creticos contrahuntur, ut in, mulie- rem, mulieres, abiero, perierim, re- dierit, præterieris : quæ pronun- tianda, mul-yerem, mul-yeres, ab- yero, per-yerim, red-yerit, præter- yerit : neque syllaba, quæ i in conso- nam versam præcedit, mutatione ista semper producitur. Hujus exempla plura sunt apud Plautum, ubi, mu- lier, potius, probior, et similes voces

Apocopes exempla hæc habe :

itan	tun	in, pro, isne	star' ³
satin	parumn'	haben	potess'
egon	sanun	viden	animul'.

Denique in multis non modo s finale pro libitu abjiciunt, sed vocalem etiam quæ proxime præcedit. Exempla sunt innumera, in quibus s abjicitur cum dictio desinit in us; sed vocalem quoque, cui adjuncta est, resecurit sæpe Plautus, idque non in nominibus tantum, ut in, servus, sed in verbis etiam, ut in, volumus, attulimus, &c. Eadem quoque licentia, cum vox desinit in is, non modo s abjicitur, ut in, magis, nimis, pergis, tristis, quod a Terentio factum, sed is etiam, ut in, similis, consimilis, exorabilis, corporis, Veneris. Interdum s abjecta, i corripitur, neque s modo sed is quoque a fine detrahitur, etiam cum natura longa est; exempla, ubi s detracta i corripitur, sunt, multis et miris, ex quibus facta sunt, multimodis et mirimodis: posterior quoque in, nobis, et, vobis, eadem licentia aliquoties apud Plautum corripitur videtur, et nunquam totum is abjici, nisi pro iis legendum sit bis et vis, quorum prius pro, nobis, antiquos dixisse annotavit Festus: hujus autem licentiæ clara exempla sunt, paratis, imperiis.

His addas quod es interdum abjicitur in, res; et, res est, ex eo sæpius fit monosyl.

Atque hæc fere sunt rationes, quibus veteres Comici verborum quantitates solent imminuere, corripiendo nempe et contrahendo. Et hujus generis est licentiarum pars longe maxima: earum vero causæ ex populari loquendi consuetudine et pronuntiationis natura petendæ sunt. Sed et aliæ nonnullæ sunt alterius

pyrrhichii loco sunt, quasi duorum tantum essent temporum.

9 *Ejiciat*] In vocibus hujus formæ prior i cum altera in unam coalescit, et tum i duplex cum vocali prima diphthongum induit.

1 *Virginem*] Non satis constat utrum in hac voce vocalis media elidenda sit, an prima corripienda; posterius malim, cum in multis animadvertas, vocalem brevem ante duas consonas quorum prior est r, corripit. Contra vero affertur hic versus Ennii:

Virgines nam sibi quisque domi Romanus habet sas. Sed satis multa apud Ennium exempla sunt, in quibus versus hexameter incipit ab anapæsto.

2 *Liberæ*] Eadem contractio fit in, liberare, liberius, periculum, et similibus.

3 *Star'*] Clara, ni fallor, apud Plautum exempla sunt hujus licentiæ, quæ finale in verbis modi infiniti abjicitur sequente consona, qua licentia nulla apud Italos frequentior.

generis, quæ scilicet insitas verborum quantitates augent, et in prosodiæ leges peccant, ut syllabas natura breves producant; quæ fere sunt hujusmodi.

Primo, synalæphas crebro negligunt, et vocalium concursus, nec vocalem ne brevem quidem elidunt, his præcipue locis; sequente diphthongo, ante pausam, in bisegmentis, et cum alia persona dicentem excipit.

Secundo, in dissyllabis quibusdam priorem non raro producant, ut in, ei, rei, spei: quæ tunc i duplici scribi solent. Plautus etiam eadem licentia usus est in, tuus, suus, eum, Deus; qua licentia nulla minus venia videtur digna; nunquam certe eam adhibuit Terentius.

Tertio, finales syllabas breves in quavis sede ante diphthongum producant, ut, id aurum, sēd æquum, inaudit; nec non ante vocalem quamvis in bisegmentis, et vi cæsuræ; id quod Plautus sæpe fecit in vocibus dactylicis, cum in vocali exeunt sequente consona; sed et vocalem brevem sequente etiam vocali sæpius produxit in bisegmentis.

Quarto, re in compositis sæpius producant consonam quæ sequitur geminando, ut in, redux, reduco, retulit.

Quinto, in polysyllabis sæpe producant antepenultimam, contra prosodiæ leges, si in eam cadat accentus, ut in, conventitia, conductitium, projectitiæ, emissitiis, et aliis in itiis desinentibus. Sed Plautus hac licentia usus est etiam in dissyllabis, cum encliticæ adjectione accentus movetur, Æræque, Lactēque, in quibus vel secundas produxit, vel, que, in duas syllabas resolvit: idem etiam in vocibus quaternis aut quinis syllabis constantibus primam, brevem licet, plus semel produxit, ut in, amarentur, amatoribus, amatorie.

Sexto, i et u breves in primis aut mediis syllabis ante vocalem producant, ut in, ierit, fūerit, plūerat, audierat, habūerit.

Septimo, unam syllabam in duas resolvunt, vel resolutione diphthongi, ut in, hospitæ, Cliniaæ, aquæ, vel i et u consonas in vocales mutando, ut in, iam, quod sæpe fit dissyllabum, larvæ, larvatus, milvus, &c. quæ mutatio non dura, aut coacta videbitur, si, quæ prius dixi de legitima literas has, cum consonæ sunt, pronuntiandi ratione, in animum revocemus. Et hac forte licentia, quid et que interdum Plauto producta sunt.

Octavo, h consonæ sæpe vim habet, ut syllabam brevem posi-

tione longam reddat, vel ut vocalis finalis, quæ præcesserat, non elidatur. Hoc Plauto perpetuum : sed Terentius parcissime.

Hæc autem ea fere sunt quæ de licentiis dicenda habui, quarum quasdam in prosodiæ leges et pronuntiandi rationes nimium peccare non diffitendum est. Sed istæ pleræque omnes Plautinæ sunt ; Terentius et modum adhibuit, quod ad licentiarum numerum, et miro delectu usus est, quod ad earum genera, et a non paucis penitus abstinuit.

Is quidem tam caste egit, tam parcus fuit in licentiis utendis, iis præsertim quæ veras verborum quantitates augent atque intendunt, ut sæpe in iambicis, cum licentiam adhibitam putes, dum in legendo legitimæ pronuntiationi et sectioni in ditrochæos obtemperas ; si tamen versum ad veros pedes exigas, nullam ei sustentando licentiam necessariam esse deprehendas. Vide *And.* I. 5. 54.* *And.* I. 5. 14.* *And.* IV. 1. 58. *Eun.* III. 5. 12. *Eun.* IV. 3. 23. et 4. 6.* *Eun.* V. 1. 17.* *Heaut.* III. 1. 6.* *Heaut.* V. 1. 50.* *Hec.* IV. 1. 46. *Hec.* IV. 2. 29.* *Phorm.* I. 2. 96.* *Phorm.* III. 1. 10. *Phorm.* III. 2. 44. Quæ cum recogito, Terentium ad veras vocum quantitates magis quam ad pronuntiandi rationes animum in pluribus advertisse arbitror ; ideoque muto jam sententiam in iis ex locis laudatis, quibus signum hoc * apposui, et eorum sectiones ad veras verborum quantitates refingi velim, contra ac putabam, cum notas ad ea scriberem, Plautinis licentiis æquo tum forte addictior.

Sed et ipse quoque Terentius in earum usu nimius videbitur iis, qui novis solum Augustei sæculi poëtis legendis assueverint, nullum vero in Veteribus hisce legendis tempus posuerint. Ab his quæretur, cur non Terentius eandem in numeris puritatem servaverit, ac Græci in suis Comædiis, aut Latini etiam ipsi in Tragædiis componendis. Quod ad Græcos, si Terentius eos non assecutus est hac in parte, in aliis enim non raro superavit, id non poëtæ sed linguæ culpa fieri puto, quæ tam dura, tam aspera, tot consonis obsessa, tot elisionibus obnoxia, ut, quod Quintilianus dixit, ‘ Sermo ipse Romanus non recipere videatur illam solis Atticis concessam Venerem, quando eam ne Græci quidem in alio genere linguæ obtinuerint :’ quod de numerorum et versuum apud Græcos puritate et suavitate non minus verum est, quam de alia quavis Comædiæ Græcæ præstantia, unde tanta illis quam mirantur omnes venustas. Quod vero Tragædias Latinas spectat, ex

Seneca male judicatur de illis qui Terentio erant vel antiquiores vel ætate pares, cum apud eos etiam numeri multo sint impuriore quam apud tragicos recentiores. Quod si ipsi etiam Terentio longe castiores fuerint, et parcius multo licentiis uterentur, id diversis scribendi generibus imputandum est. Cum Comœdia, ut pluribus dixi, vulgarem et loquendi et pronuntiandi consuetudinem imitetur; Tragœdia vero, ut in argumentis longe majoribus versatur, ita dictione quoque sua, et eloquendi ratione a plebe longissime recedit. Tragœdia enim est poëma nobile, elatum, grandi lentoque passu incedit, amat lecta, pulchra, sonora verba, nec quicquam eorum quæ profert, aut præcipitari velit, aut obscure premi. Hinc Tragœdia in numeris etiam tantum a Comœdia distat, et licentiæ in hanc frequentissime receptæ, quæ in altera nequaquam essent ferendæ.

De Comicatorum enim licentiis in genere, jure dicas, quod Terentianus elegantissimis versibus dixit de singulari illa, qua in iambicis spondæum vel dactylum in secundo vel quarto loco posuerunt.

Sed qui pedestres fabulas socco premunt,
 Ut quæ loquuntur sumta de vita putes,
 Vitiant iambum tractibus spondaicis,
 Et in secundo et ceteris æque locis.
 Fidemque fictis dum procurant fabulis,
 In metra peccant arte, non in scitia,
 Ne sint sonora verba consuetudinis, &c.

Iambi quidem sedes Græci quoque Comici vitiarunt tractibus spondaicis; et id insigne est discrimen inter eos et Tragœdiæ scriptores: sed hoc Græci raro. Latini vero, ut Prisciani verbis utar, 'in multis initium aliquod accipientes a Græcis, solent ab angusto in effusum licentiæ spatium hoc dilatare:' quod, ut dixi, linguæ plurimum vitio vertendum est. Latine quippe scribentes salvo puri sermonis nitore haud efficere potuere, ut, in vitæ communis rebus exprimentis, numeris astrictioribus uterentur.

Quod ad eas autem licentias quas adhibuit Terentius, ne lectori minus exercitato vel minimam offensiunculam objicerent, ubicumque in prosodiæ regulas peccatur, signo aliquo quænam esset licentia, indicavi: syllabis præter morem correptis accentum brevem, productis longum apposui; eorum etiam alterum appinxi

omnibus syllabis in quibus synalœpha vel ecthliipsis negligitur; et nonnunquam iis etiam syllabis quarum quantitas minus cognita est: o etiam finale verborum, ut puerorum præjudicio occurratur, qui plerumque pro correpto habere solent, cum in id accentus metricus cadit, accentu longo notavi: ubi vero in voce aliqua binæ syllabæ in unam contrahuntur, id literis margini appositis semper ostendi. Ad hæc, cum sæpe fiat ut metrum seu διποδία in pedes diversis modis resolvi possit, e quibus ille eligendus qui legitimæ pronuntiationi minime officit, numerosque minime sonoros reddit; ejusmodi metra hac nota - in pedes suos distinxi. Nihil denique omissum est, quod excogitare potui, ut metri Terentiani intelligentia facillima redderetur, et ad tironum captum prorsus accommodata. Cum vero versus comici ad tibias canerentur, superest ut de iis pauca quædam dicam, quæ satis sint ad intelligenda illa quæ in Fabularum harum titulis habentur.

De his multi multa et valde diversa; quæ ne recensere quidem, nedum excutere vel otium est vel animus. Constat apud omnes primis temporibus tibias ex arundine fuisse; eam vero, quæ radicem antecesserat, lævæ tibię convenire; quæ cacumen, dextræ, inquit Plinius l. XVI. c. 36. ex Theophrasto, cujus verba sunt: *Τὴν μὲν πρὸς τῇ ῥίζῃ ἀριστερὰν εἶναι, τὴν δὲ πρὸς τοὺς βλαστοὺς, δεξιάν*: ex his autem dextram graviorem sonum edidisse sæpius a Donato dictum est; quod isti tibię convenisse, quæ angustiore esset foramine, ostendit vir clariss. Isaac Vossius in *elegantissimo Libello de Viribus Rhythmi* p. 111. ex hoc Æliani loco, qui extat apud Porphyrium in *Hypomnematis ad Harmonica Ptolemæi*: *Εὰν λάβῃ τις δύο αὐλοὺς, τοῖς μὲν μήκεσιν ἴσους, ταῖς δὲ εὐρύτησι τῶν κοιλιῶν διαφέροντας, καθάπερ ἔχουσιν οἱ Φρύγιοι πρὸς τοὺς Ἑλληνικοὺς, εὐρήσει παραπλησίως τὸ εὐρκοίλιον ὀξύτερον προϊέμενον φθόγγον τοῦ στενοκοιλίου. Θεωροῦμέν γέ τοι τοὺς Φρυγίους στενοὺς ταῖς κοιλάις ὄντας, καὶ πολλῶ βαρυτέρους ἤχους προβάλλοντας τῶν Ἑλληνικῶν.*

Ea quæ de Tibiis in titulis dicta sunt, juxta fabularum seriem sic se habent:

1	2	3
Tibiis paribus dextris et sinistris.	Tibiis duabus dextris.	Acta primum Tibiis imparibus, deinde duabus dextris.

4	5	6
Tibiis Sarranis.	Tibiis paribus.	Tibiis imparibus.

Sed quædam ex his non satis sincera esse liquet cum ex codicum varietate, tum ex Donato, juxta quem,

Secunda acta est	Quarta	Sexta
tibiis dextra et sinistra.	tibiis dextris.	tibiis Sarranis.

Ut hæc autem intelligamus, observandum est Veterum tibicines duas simul tibias inflare solitos esse, quæ, si dextra manu dextraque oris parte tenerentur, dextræ dictæ sunt: quæ vero læva manu lævaque oris parte, sinistræ: hunc apud illos morem fuisse antiqua marmora et nummi magno numero ostendunt. Duas vero dextras, non pares dextras, et proinde duas sinistras, recte et proprie dici patet et ex his titulis, et ex notissimo Phædri loco *l. v. Fab. 6. de tibicine, qui sinistram fregerat tibiam* :

DUAS CUM DEXTRAS maluisset perdere.

Ex tertio titulo liquet tibias dextras ab imparibus distingui, ideoque pares fuisse, id est, paribus foraminibus, paresque sonos edidisse, quod idem pari jure de duabus sinistris etiam dicendum. Impares igitur fuere duæ tibiæ, quarum dextra altera, altera sinistra: in primo igitur titulo, cum tibiis paribus addatur dextris et sinistris, in quinto vero tibiis paribus nihil tale addatur, censendum est vel in primo dextris et sinistris ex abundantia adjici, vel in quinto voces eas injuria quadam excidisse: cumque, nisi aliquid ejusmodi addatur, scire nequeamus, utrum dextræ an sinistræ fuerint, opinor paribus tibiis quatuor intelligi, duas scilicet dextras, cum duabus sinistris, et diversas Fabulæ partes diversis tibiis actas fuisse; alias nempe duabus dextris, alias vero duabus sinistris; vel totam Fabulam altera vice his tibiis, altera illis. Utrumque in usu fuisse non est ut dubitemus, cum ex hisce titulis constet eandem fabulam non semper iisdem tibiis actam fuisse; et in eadem actione modos canticorum et diverbiorum sæpe mutatos annotarit Donatus.

Quarta fabula acta dicitur tibiis Sarranis, vel, ut alii legunt, Serranis; sed mihi indubium est *Sarranis* veram esse lectionem, a Sarra dictis, quæ Tyro olim nomen fuit; unde Virgilius, ‘Sarrano indormiat ostro:’ *G. II. 506.* et antiquior Virgilio Ennius, ‘Pænos Sarra oriundos,’ ut locum illum laudavit Probus. Mihi

quidem locus non parum suspectus est, cum in nullis aliis titulis tibiæ proprio nomine indigentur; quamvis dextras Lydias fuisse, impares vero Phrygias, post Donatum eruditi fere omnes existiment: sed ut hoc sit, si nec duæ dextræ, nec dextra altera, altera sinistra fuerint, necesse est fuisse duas sinistras; quas forte ominis causa Sarranas quam sinistras dicere maluerunt.

Atque hæc de vexatissima quæstione dixisse sufficiat, cum, pauca licet, e rebus tamen ipsis petita sint, et proinde vera, et illa, quæ de tibiis in titulis dicuntur, satis explicant. Tota enim quæstio curiosa magis, quam utilis, nec ad Fabulas melius intelligendas quicquam adjuvat, cum eadem Fabulæ diversis tibiis, diversæ vero eisdem agerentur. De tibiis igitur qui plura velit, adeat Jul. Scaligerum, Salmasium, Is. Vossium; præ ceteris vero C. Bartholinum, qui de earum materiis, formis, usibus, copiose atque erudite scripsit.

RICARDI BENTLEII

DE METRIS TERENTIANIS

ΣΧΕΔΙΑΣΜΑ.

* Ἀρσις, Θέσις, et Διποδία.

IAMBICUS versus senorum pedum Latinis veteribus senarius vocabatur, a pedum et ictuum numero. Horatius, Art. Poët. 251.

Syllaba longa brevi subjecta vocatur Iambus,
 Pes citus: unde etiam Trimetris accrescere jussit
 Nomen iambeis, cum senos redderet ictus
 Primus ad extremum similis sibi.

Sex, inquit, habet ictus versus senarius; et tamen Trimetrus sive Ternarius Græcis vocatur; quasi tres tantum ictus redderet, ob pedis celeritatem, præsertim cum totus iambis puris decurrit. Latini igitur per *μονοποδίαν*, singulos pedes, hos versus dividebant; Græci per *διποδίαν*, seu geminatos. Inde, qui Græcis est Tetrametrus, Varroni a pedum numero est Octonarius. Juba rex apud Rufinum de Metris, p. 2712. 'Quod autem binis pedibus, et non

singulis, scandatur iambicus, vetus institutum est.' Et mox : 'Unde apparet heroicum singulis pedibus scandi etiam apud Veteres solitum, Iambum autem binis.' Marius Victorinus, p. 2497. 'Per Monopodiam sola Dactylica scanduntur; per Dipodiam vero cetera.' Nescivit hic Bacchiacos et Creticos, quos etiam Monopodia dimetitur. Diomedes, p. 503. 'Feritur senarius iambicus combinatis pedibus ter.' Terentianus Maurus, p. 2432.

Iambus ipse sex enim locis manet,
Et inde nomen inditum est senario :
Sed ter feritur, hinc trimetrus dicitur ;
Scandendo binos quod pedes conjungimus.

Ictus Percussio dicitur; quia tibicen, dum rhythmum et tempus moderabatur, ter in Trimetro, quater in Tetrametro, solum pede feriebat : "Αρσις autem sive Elevatio appellatur; quod in iisdem syllabis, quibus tibicen pedem accommodabat, actor vocem acuebat ac tollebat. In Thesi autem sunt ceteræ syllabæ, quæ ictu destitutæ minus idcirco audiuntur. Hos ictus sive ἄρσεις, magno discentium commodo, nos primi in nostra editione per accentus acutos expressimus, tres in Trimetris, quatuor in Tetrametris :

Poëta cum primum ánimum ad scribendum áppulit,
Id síbi negotí crédidit solúm dari.
Enimvéro, Dave, níl loci est segnitiæ neque socórdiæ,
Quantum íntellexi módo senis senténtiam de núptiis.

Etsi revera, quod Romani voluerunt, seni in quoque Trimetro sint Ictus; qui sic exprimi possint :

Poëta cúm primum ánimum ad scribendum áppulit,
Id síbi negotí crédidit solúm dari.

Verum quia in paribus locis, 2. 4. 6, minus plerumque elevantur et feriuntur, quam in imparibus, 1. 3. 5, idcirco eos more Græcorum hic placuit omittere. Horum autem accentuum ductu (si vox in illis syllabis acuat, et par temporis mensura, quæ pedis Ditrochæi vel Ἐπιπέριτον δευτέρου spatio semper finitur, inter singulos accentus scrvetur) versus universos eodem modo lector effe- ret, quo olim ab actore in scena ad tibiam pronuntiabantur. Hoc quoque commodi in his accentibus lector inveniet: quod statim et ictu oculi trochaicos ab iambicis, qui in eadem scena interdum locum habent, possit distinguere: si accentus scilicet in prima ver- sus syllaba est, trochaici sunt; sin minus, iambici.

CÆSURA.

Omne versuum genus suam habet cæsuram sive incisionem, qua verbum terminatur, et vox in decursu paulum interquiescit. Illa fere cæsura Romanis placuit, quæ in priorè tertii pedis syllaba fit: ut in heroico :

Arma virumque cano | Trojæ qui primus ab oris
 Italiam fato | profugus Lavinaque venit
 Littora, multum ille et | terris jactatus et alto
 Vi superum, sævæ | memorem Junonis ob iram.

Varro quidem apud Gellium XVIII. 15. scribit observasse se in versu hexametro, quod omnimodo quintus semipes (id est, prior pedis tertii syllaba) verbum finiret. Mirum, quod ‘omnimodo’ dixerit, cum Lucretius jam tum variaverit :

Reddenda in ratio | ne vocare, et semina rerum :
 et Catullus :

Omnia fanda nefan | da malo permissa furore.

Postea sæpius Virgilius :

Lyrnessi domus al | ta, solo Laurente sepulcrum.

Homerus autem olim sæpissime,

Ὀλομένην ἢ μὴ | ρι' Ἀχαιοῖς ἄλγε' ἔθηκεν.

Non ‘omnimodo’ igitur dictum oportuit; sed ‘plerumque.’

In Sapphico similiter Romani quinto fere semipede :

Pindarum quisquis | studet æmulari,

Jule, ceratis | ope Dædalea

Nititur pennis | vitreo daturus

Nomina ponto.

In Alcaico : Doctrina sed vim | promovet insitam,
 Rectique cultus | pectora roborant.

In Phalæcio : Multis ille bonis | flebilis occidit :
 Nulli flebilior | quam tibi, Virgili.

Sic et in iambo trimetro :

Jam jam efficaci | do manus scientiæ :
 Supplex et oro | regna per Proserpinæ,
 Per et Dianæ | non movenda numina,
 Per atque libros | carminum valentium
 Refixa cælo | devocare sidera.

Hanc cæsurae sedem plerumque in trimetris servant poëtæ comici :
ut Noster :

Ne cui sit vestrum | mírum, cum partés seni
Poéta dederit | quaé sunt adolescéntium :
Id primum dicam | deinde quod veni éloquar :

et itidem Græci :

Οι γάρ βλεποντες | τοίς τυφλοις ηγούμεθα,
Ουτός δ' ακολουθει | κίμε προσβιάζεται.

In iambicis trochaicisque tetrametris cæsura plerumque fit post
ditrochæum secundum :

Demíssis humeris ésse vincto | pectore ut graciláe sient.
Video sentum squálidum ægrum | pánnis annisque óbsitum.

Illud autem inprimis notandum ; cum Græci magistri per *διπο-
δίαν* trimetros iambos scandere juberent, semper eos intellexisse
διποδίαν iamβικήν ; adeo ut sic divideretur ex eorum ratione ver-
siculus :

Ne cui sit ve | strum mírum, cur partés seni
Poéta dede | rit quaé sunt adolescéntium :
Id primum di | cam, deinde quod veni éloquar.
Οι γάρ βλεπον | τες τοίς τυφλοις ηγούμεθα,
Ουτός δ' ακολου | θει κίμε προσβιάζεται :

ubi vides primam dipodiam in mediis verborum syllabis desinere,
totamque cæsurae virtutem ac gratiam misere perire. Quare ego
jam ab ipsa adolescentia in omnibus iambicis præter tetrametrum
catalecticum, de quo postea dicam, aliam mihi scansionis rationem
institui, per *διποδίαν* scilicet *τροχαικήν*, hoc modo :

Po | éta dederit | quaé sunt adolescéntium :

primo semipede quasi subducto et abciso, versu autem in dacty-
lum vel creticum exeunte. Si quidem ista *διποδία* ex trochæis
duobus, vel uno et spondæo sive epitrito secundo constans, com-
modare, commodavi, et cum cæsurae indole convenit ; et verum
iambei rhythmum auribus insinuat ; et poëtæ, dum versus hos fa-
bricatur, præcipue mentem occupat ; et, quod maximum est, in
omni fere comicorum metrorum genere principatum obtinet ; ve-
ramque causam, cur in una Comædia tot versuum species adhi-
beantur, sola demonstrat.

VARIETAS METRORUM. IAMBICI, TROCHAICI.

Quintilianus, Institut. Orat. x. l. ' In Comœdia maxime claudicamus,—licet TARENTII scripta ad Scipionem Africanum referantur: quæ tamen in hoc genere sunt elegantissima; et plus adhuc habitura gratiæ, si intra versus trimetros stetissent.' Mirificum sane magni rhetoris iudicium! Optabat scilicet, ut Fabulæ Tarentianæ, quæ in primo cujusque actu et scena a trimetris inchoantur, eodem metro ac tenore per omnes actus scenasque decurrissent. Crederes profecto hominem nunquam scenam vidisse, nunquam comœdum partes suas agentem spectavisse. Quid voluit? quod nec Menander nec ullus Græcorum fecit, Terentius ut faceret? ut ira, metus, exultatio, dolor, gaudium; et quietæ res et turbatæ, eodem metro lente agerentur? ut tibicen paribus tonis perpetuoque cantico spectantium aures vel declassaret vel offenderet? Tantum abest, ut eo pacto plus gratiæ habitura esset Fabula, ut, quantumvis bene morata, quantumvis belle scripta, gratiam prorsus omnem perdidisset. Id primi artis repertores pulchre videbant; delectabant ergo varietate ipsa, diversaque ἴθη καὶ πάθη diverso carmine repræsentabant. Marius Victorinus, p. 2500. ' Nam et Menander in Comœdiis frequenter a continuatis iambicis versibus ad trochaicos transit, et rursus ad iambicos redit.' Non ita tamen agebant Veteres, ut ab uno in aliud plane contrarium repente exilirent; ab iambicis in dactylicos; sed in propinquos trochaicos, ipso transitu pæne fallente. Quod ut clarius conspiciatur, omnem Tarentianam copiam hic sistam, unoque et eodem pede ditrochæo universam fere emetiar.

Illud tamen prius admonendum; ut a trimetris suas Fabulas, rebus sedationibus, nostrum inchoasse; ita semper tetrametris finisse; quod Fabulæ catastrophe, cum res turbulentæ paulatim et ægre consulescerent, hoc carminis genus postularet, magno spiritu effundendum. Præ omnibus tamen trochaici pleni firmum actoris latus requirebant; qui nunquam scilicet nisi in maximo affectuum tumore veniunt; efferendi, non, ut quidam autumant, tarde lenteque, sed clamore summo, cum labore maximo. Unde factum, ut, cum alias in διποδία spondæi vel anapæsti placuerint, in his trochæi vel dactyli studio quærantur:

Crêdo equidem illum jam affuturum, ut illam a me eripiat: sine veniat
Atqui, si illam digito attigerit, oculi illi illico effodientur:

qui versus, nisi toto pulmone exhausto, pronuntiari apte non possunt: in trimetris vero clamosa hæc *πάθη* inarescerent prorsus et obmutescerent.

Ditrochæis igitur sic constituitur iambus trimetrus:

Id | sibi negoti | erédidit so | lám dari.

Vi | cómmodavi | cómmodavi | cómmoda.

Iambicus tetrametrus plenus:

Dum | témpus ad eam | rém tulit sivi | ánimum ut exple | rét suum.

Vi | cómmodavi | cómmodavi | cómmodavi | cómmoda.

Trochaicus tetrametrus plenus sive *ἀκατάληκτος*,

'Adeon' hominem esse | invenustum aut | infelicem | quémquam ut ego sum.

Cómmodavi | cómmodavi | cómmodavi | cóμmodavi.

Trochaicus tetrametrus syllaba deficiens, sive *κατάληκτικός*,

Quót modis con | témtus spretus? | fácta, transacta | ómnia: hem.

Cómmodavi | cóμmodavi | cóμmodavi | cóμmoda.

Pentametrus *κατάληκτικός*; qui semel iterumve adhibetur:

Sánus es? Domum | íre pergám: ibi | plúrimum est. Revo | cémus
hominem. | Sta íllico.

Cómmodavi | cóμmodavi | cóμmodavi | cóμmodavi | cóμmoda.

In his omnibus commodius est, meo iudicio, *διποδίαν τροχάϊκην* cæsurae accommodatam et congruam, quam *ιαμβικὴν* ab ea deerantem, in metiundo versu ascendere.

Superest tamen unus iambici generis, tetrametrus *κατάληκτικός*; in quo *διποδία* veterum magistrorum *ιαμβικὴ* sine controversia tenenda est; ob ipsam, a qua in aliis discedit, Cæsurae concinnitatem:

Nam sí remit | tent quíppiam | Philúmenam | dolóres.

Ανδρὲς φίλοι | και δῆμοται | και τοῦ πονεῖν | εράσται.

Δημόσθενης | Δημόσθενους | Παιάνιευς | εγράφει.

Vi cóμmoda | vi, cóμmoda | vi, cóμmoda | vi, cóμμο.

Sed et in his *διποδία τροχάϊκὴ* tempus quidem et spatium exacte servat, in incisionibus tamen peccat. Ceterum utram velit rationem lector sequatur: accentus in nostræ editionis textu ambabus æque conveniunt: at in nupera quadam, universi hujus generis, quorum ingens copia est, versus prava cæsurae distinctione jugulantur:

Concurrunt læti mi obviam cup | pediarii omnes,

Cetarii, lamii, coqui, far | tores, piscatores.

Cum sic cæsura ponenda esset,

Concurrunt læti mi obviam | cuppediarii omnes,
Cetarii, Ianii, coqui, | fartores, piscatores.

Illud quoque in hoc genere observandum, pedem illum ante cæsuram, mi obviam, et, i coqui semper, ut hic, creticum vel ei *ισόχρονον* media brevi esse oportere; nullum hic apud Nostrum licentiæ locum esse; non magis quam in fine senarii. Hæc versuum horum indoles et sola gratia est: quam in nostra editione incolumem habent; in prioribus vero ante nos innumeris mendis strangulatam et sepultam.

CRETICI, BACCHIACI, CHORIAMBICI.

Porro, super hos iambicos trochaicosque, etiam creticis, bacchiacis, choriambicisque versibus, sed semel tantum singulis, utitur Terentius; eisque in monodia duntaxat, nunquam in diverbio: hi, ringente licet invidia; nobis se apud Nostrum debent:

Creticus: Tánta ve | córdia in | náta cuiquam | út siet.
Cástitas | cástitas | cástitas | cástitas.
Bacchiacus: Adhúc Ar | chylís quæ ad | solént quæque | opórtet.
Honéstas | honéstas | honéstas | honéstas.
Choriambicus: 'Obstipuit | péctore con | sistere nil | cónsili quit.
Cóntremui | cóntremui | cóntremui | cóntremisco.

Hi tamen, more Græco, novissimum sibi versum alterius generis assumunt, ut pro rhythmici ratione cum strepitu ac canore finiantur.

CLAUSULÆ.

De clausulis sic Varro apud Rufinum, p. 2707. 'Clausulas primum appellatas dicunt, quod clauderent sententiam: ut apud Accium:

An hæc jam obliti sùnt Phryges?

Nonnunquam ab his initium fit; ut apud Cæcilium:

Di boni, quid hoc?

apud Terentium: Discrucior animi.'

Huic ultimæ adde aliam ex Nostro:

Occidi.

Ceterum de clausulis hoc uno verbo dixisse sufficiat: si ab eis initium fit, liberæ sunt et nullius metri legibus astrictæ: sin sententiam claudunt, a præcedentibus legem accipiunt. Scilicet post

iambicos tetrametros, vel trochaicos catalecticos, ab iambo incipiunt; ut illa Accii:

An hæc jam obliti sũnt Phryges?

et illæ Nostræ:

Præscisse me ante? nõnne prius communicatum oportuit?

Miserám me, quod verbum aúdio?

Mínus nostrum ornáto verbis, quód poteris; et istum aémulum

Quod póteris ab ea péllito.

Ita semper in ceteris: et ratio est, quod *διποδία τροχαϊκή* quasi uno versu continuetur:

Communicatum oportuit: miserám me quod verbum aúdio?

Unde in trochaico pleno, quo *διποδία* consummata est, a trochæo incipit:

Próin tu sollicitúdinem istam fálsam, quæ te excrúciat, mittas.

Quícum loquitur filius?

Et illud rus nulla ália causa tám male odi, nísi quia prope est:

Quód si abesset longius.

Hanc sibi legem fixerunt, sancientibus aure ac rhythmo, primi artis inventores: sed in hac tamen ante nos editiones peccant. Illud porro notandum; in tetrametris solis apud Nostrum, nunquam in trimetris, clausulis locum esse. Neque id omittendum, has et reliquas omnes apud Nostrum clausulas in cretico terminari: audio, pellito, filius, longius; una tantum excepta, Hec. v. l. quæ in spondæum exit:

Aut né quid faciam plús, quod post me mínus fecisse sátius sit.

Aggrédíar. Bacchis, sálve.

Id tamen iudicio, non casu, a Poëta factum: quippe post hanc solam ex omnibus clausulam a tetrametris plenís in catalecticos scena transit, qui spondæo finiuntur:

Salvé, Lache. Edepol crédo te non níl mirari, Bácschis.

LICENTIA TERENCEIANA, QUA DEFLECTIT A GRÆCIS COMICIS.

De licentia veterum Romanorum, tragicorum comicorumque, paulo inclementius loquitur Horatius, Arte Poët. 255. Iambicus, inquit, versus,

Tardior ut paulo graviorque veniret ad aures,
 Spondæos stabiles in jura paterna recepit
 Commodus et patiens; non ut de sede secunda
 Cederet aut quarta socialiter: hic et in Acci
 Nobilibus trimetris apparet rarus et Enni.
 In scenam missus cum magno pondere versus
 Aut operæ celeris nimium curaque carentis,
 Aut ignoratæ premit artis crimine turpi.
 Non quisvis videt immodulata poemata iudex:
 Et data Romanis venia est indigna poetis.
 Idcircone vager, scribamque licenter? ut omnes
 Viros peccata putem mea, tutus et intra
 Spem veniæ cautus? vitavi denique culpam,
 Non laudem merui. Vos exemplaria Græca
 Nocturna versate manu, versate diurna.
 At vestri proavi Plautinos et numeros et
 Laudavere sales: nimium patienter utrumque,
 Ne dicam, stulte mirati; si modo ego et vos
 Scimus inurbanum lepido seponere dicto,
 Legitimumque sonum digitis callemus et aure.

Candide magis de iis iudicat, venustissimus in tenui materia scriptor, Terentianus Maurus, p. 2433.

Culpatur autem versus in Tragædiis,
 Et rarus intrat ex iambis omnibus:
 Ut ille contra, qui secundo et talibus
 Spondæon aut quem comparem receperit.
 Sed qui pedestres fabulas Socco premunt,
 Ut quæ loquuntur sumta de vita putes,
 Vitiant iam bonis tractibus spondaicis,
 Et in secundo et ceteris æque locis:
 Fidemque fictis dum procurant fabulis,
 In metra peccant, arte, non inscitia:
 Ne sint sonora verba consuetudinis,
 Paulumque rursus a solutis differant.
 Magis illa nostri: nam fere Græcis tenax
 Cura est iambi, vel novellis comicis,
 Vel qui vetusta præcluent Comædia.

Ceterum quod in utrisque vituperat Flaccus, et in Comicis ex-

excusat Maurus, hoc est : quod in sedibus paribus, secunda et quarta (nempe uterque per dipodiam iambicam dimetitur : in ratione nostra erunt prima et tertia, pedes scilicet ditrochæorum priores) non volubiles pedes iambum aut tribrachyn, ex rhythmī lege ac Græcorum exemplo; sed tardos spondæos sive alios eis *ισοχόρους* intulerint. Totum hoc, uno exemplo, et sensu et memoria facile tenebis. Græci ad hanc formam in iambicis :

Vi cómmodavi | cómmodavi, cómmoda.

Latini ad istam, non semper, sed quotiescumque vellent :

Vi cómmendavi | cómmendavi | cómmoda.

Vides, menda, spondæum bis positum pro iambo, moda : postremam sedem violare nunquam sunt ausi. Idem et in trochaicis obtinet :

Græci: Commodavi | commodavi | commodavi | commoda.

Latini: Commendavi | commendavi | commendavi | commoda.

In his pedibus, excepto ultimo, pro brevibus longæ syllabæ assumuntur; quod tamen, opinor, celeri pronuntiatione juvabat et occultabat actor, ne ipse a tibicine rhythmum Græcum servante discreparet.

Quod ad crimen autem hoc attinet; tragicis quidem veteribus minor est excusatio, cur non ad artis regulas versus suos exeegerint; cum, toto stylo et colore a communi sermone discreti, nova verba ac sesquipedalia pro lubito finxerint. Fugiebant scilicet limæ laborem; certi se in re ante inexperta et apud aures tum indoctas veniam impetraturos. Melius vero ac mitius de comicis est sentiendum. Profecto Terentius noster, si quisquam alius, in artis leges arte peccavit; studio, non ignorantia; necessitate vel saltem commoditate inductus; et, quaecumque illud delicti est, magnis virtutibus redempturus. Sermo enim ea de causa propius apud Nostrum ad consuetudinem accedit, quam apud Menandrum: oratio apud unum de medio sumta deque vita honestiorum civium; versus minime cavi, sed verbis sensibusque spissi: apud alterum, dum metro servire coactus est, stylus paulo elatior, et sententiæ dilutiores. Adde huc, consonantes in lingua Latina pro vocalium numero frequentiores esse, quam in Attica: adde omnia apud Latinos vocabula, monosyllabis duntaxat exceptis, esse barytona: de qua re mox plura dicam; et facile pronunties, minoris esse operæ atque artis, ad Menandri normam Græce scribere, quam Latine ad Terentii.

DE METRIS IN LINGUA NOSTRA USITATIS.

Enimvero par et æquum est, ut eandem veniam veteribus Latinis demus, quam hodiernis qui Anglice scribunt poëtis concedimus: quorum nemo est, cui non indulgemus, ut syllabis interdum longis contra indolem rhythmici loco brevium utatur. Nam, ut Latini omnia metrorum genera de Græcis acceperunt, ita nostrates sua de Latinis. Quo magis est dolendum atque indignandum, jam a literis renatis pueros ingenuos ad dactylica, quod genus patria lingua non recipit, ediscenda, ferula scuticaque cogi: Terentiana vero metra, quæ domi tamen et in triviis inscientes ipsi cantitant, magistrorum culpa penitus ignorare. Trochaicus tetrametrum catalecticum, ut Terentio, ita nostratibus frequentissimum est:

'Ego ille agrestis, | sævus, tristis, | pærus, truculen | tús, tenax.

Háppy is the | couñtry life blest | wíth content good | heálth an' ease.

Qui trochaicus, unius syllabæ accessione, fiet iambicus tetrametrum plenum:

Thrice háppy is | the couñtry life | blest wíth content | good heálth an' ease.

Quin et iambicus ille *καταληκτικός*, Terentio multum et merito amatus, apud nostros quoque in magna gratia est;

Nam sí remit | tent quíppiam | Philúmenam | dolóres.

Is décently | run thiróugh the lungs: | And thiere's an end | o' Búilly.

Neque vero bacchiacus Terentii nostris intactus est:

Adhúc Ar | chylís quæ as | solént quæque | opórtet.

All jóy to | great Caésar | long life, love | and pleásure.

Creticum ejus quoque lingua nostra facillime admittit;

Tánta ve | córdia in | náta eni | quam út siet.

'O the sweet | couñtry life | blést with health | peáce an' ease.

Denique et illud metrum, quod in epicis et heroicis jam diu apud nostrates regnum obtinet, ab iambico Veterum senario profluxit; necessitate linguæ nostræ, quæ tota monosyllabis scatens cæsuram senarii raro admittit, quinarius factus:

Though deép, yet clear; | though géntle, yet not dúll.

Huic in fine sextum iambum appone; et extemplo habebis senarium Terentianum:

Though deép, yet clear, though | géntle, yet not dully slow.

Rursus, si ab hoc Euripidis senario, qui primus omnium in Oresta [Hecuba] venit,

Ἡκὼ νεκρῶν | κευθμῶνα καὶ σκοτοῦ πύλας,

pedem novissimum auferas; quinarium jam habebis, perfectissimum hodierni nostri epici exemplar:

Ἡκὼ νεκρῶν | κευθμῶνα καὶ σκοτοῦ.

Though deep, yet clear, | though gentle, yet not dull.

In Anglico tamen hoc notes velim, tres syllabas positione longas loco brevium poni. Eas tu postea, et quam Denhamo veniam concedis, Terentio neges. Perfectissimum autem exemplar ideo appello; ut poëtis nostratibus, ingenii sane venæque felicibus, sed eruditionis interdum modicis, quid hodierni epici, quo numeris omnibus absolutus fiat, rhythmus geniusque sibi poscat, obiter ostendam: in versibus nempe singulis tres syllabas breves. Hoc sane confitendum est, avorum tempore, scabros asperosque versus, magno longarum pondere onustos, plerumque exiisse: hodiernos autem poëtas longe eos teretiores tornatioresque dare; sed aure fortassis magistra, non arte; quæ tamen ars principio iudicibus auribus dedebatur. Habent itaque, quod in longo sane opere frustra expectandum, in epigrammate vel elegiola facile obtinendum, versus epici exemplar; quo et numerus brevium et sedes ostenduntur. Quanquam in nostris est et varietati locus, ut in his:

Though deep, yet clear; though gentle, yet not dull;
Strong without rage, without o'erflowing full.

Ictus in hoc posteriore, qui in secunda syllaba fieri solet, in prima fit; et venuste quidem; modo raro fiat, ac brevis sequatur. Et nescio equidem, an in Terentio quoque, cum trimetrum aliquoties inchoet ab, hicine, hocine, sicine, libera, non in primam retrahendus sit accentus, libera, &c. etiam in iambico; ob τὸ ἰσόχρονον scilicet et ἰσοῤῥυθμον; cum rhythmus, Hephæstione teste, sit metro potentior. Tale illud Plauti, Rudent. II. 6. 29.

Piscibus in alto credo præbent pabulum:

ubi, piscibus, libentius efferrem, quam, piscibus.

LICENTIA TARENTIANA, QUA DEFLECTIT
A LATINIS EPICIS.

Sed, ut redeam, unde digressus sum. Ut a Græcis comicis desciverunt Latini pro brevibus syllabis tardas infulciendo; ita vitio prorsus contrario peccarunt, corripiendo scilicet ejusmodi syllabas, quæ in Latino sermone erant longæ. Hujus autem licentiæ modum ac fines non cujusvis est reperisse; cum ex interpretibus hi, qui laxissime et ultra terminos licentiam hanc expandunt, monstra nonnunquam et portenta pro veris lectionibus tumentur; alii contra, qui nimis arctis eam finibus claudunt, syllabasque omnes ad epicorum poetarum normam exigunt, singulos fere versus miseris modis, addendo, mutilando, invertendo, contra codicum fidem, jugulant et trucidant. Illud in universum animadvertas velim, nullas eos syllabas, quæ natura et vocalis sono longæ sunt, corripuisse; sed eas tantum, quæ per vocalem quidem breves erant, positione tamen et consonantium concursu factæ sunt longæ. Hæc vero voces et numero paucæ sunt, monosyllabæ fere vel dissyllabæ, vel cum præpositionibus compositæ; et ex ipsa sede situque commodo veniam merentur. Cum autem in ipso nostræ editionis textu singula hæc in versibus singulis per accentuum intervallum sponte se ostendant; non opus est, ut singillatim hic enumerentur. Illud tantum monebo, quod ante me opinor nemo; in primo fere versuum pede, et parcius alias, licentiam hanc exercuisse Nostrum: idque rectissimo judicio; cum actor, in fine prioris versus anima recepta, plenum rapidumque spiritum posset effundere:

Sed id gratum fuisse—
Sine invidia laudem.
Sine omni periculo.
Propter hospitai.
Hic est ille non te.
Studet par referre.
Ob hanc inimicitias.
Ob decem mnas inquit.
Inde sumam uxori.
Soror dicta est, cupio.
Simul consilium cum re.

Color verus, corpus.
Neque Antipho alia.
Sed hoc mihi molestum est.
Bonum ingenium narras.
Sed hic Pamphilus quid.
Is hinc bellum fugiens.
Nempe Phormionem.
In hanc nostram plateam.
Supellectile opus est.
Sed ecce ipsa egreditur.
Ego excludor, ille.

Négat quis! négo, ait, aio.	Sed ostium cóncrepuít.
Enimvéro, Dave, nil loci est.	Némini plúra acerba.
Habent déspicatu.	Quid ignáve peniculo.
Dolet díctum imprudenti.	Sed estne ille noster.
Adest óptime ipse.	Tamen víx humane.
Solent ésse id non fit.	Tacet cúr non ludo.
Quid huic híc negotist.	Jubet fráter? ubi is est.
Student fácere.	Omnia ómnes ubi resciscunt.

Hoc, ut vides, Terentii iudicium erat; ut in primo fere pede versus, ubi paratior venia est, licentia illa uteretur: idcirco excusatio, quod non ipse eam primus intulerit; sed a Plauto, Cæcilio, ceterisque tum in scena regnantibus acceptam retinuerit. Licentia certe erat; et indigna forte, cui Romuli nepotes indulgerent. Nam, qui hodie non Comicos veteres excusatum, sed defensum eunt; qui fontem rei causamque et originem deprendisse se gloriantur; popularem scilicet tunc temporis pronuntiandi morem: ut necesse fuerit comicis, quæ verba communi civium sermone spretis consonantibus rapide efferebantur, ea verba in suis Fabulis, quæ audiebantur scilicet, non legebantur, corripere: næ illi operoso conatu nihil dicunt, pollicentes magna nihil extricant. Quid enim? si usus tum civium communis,

Quem penes arbitrium est et jus et norma loquendi,

syllabas de quibus agitur raptim pronuntiabat; jam non comicorum vel licentia vel crimen est, qui mori obtemperantes eas corripiebant; sed epicorum, qui usu improbante producebant. Mutantur tantum rei; crimen ipsum non eluitur: aut hi aut illi sunt culpæ damnandi. Quibus autem culpa hæreat, scitu facillimum est. Priorem in, ille, et, esse, constanter producebant epici; Noster interdum corripit, sæpius producit: quod si recte et ex usu corripit, tanto sæpius, dum sæpius producit, peccat. Propter, apud epicos semper priore longa est: Noster semel corripit, And. 11. 6. 8.

Propter hóspitaī hujusce consuetudinem.

Si hoc ex consuetudine vulgi; cur intra decimum versum, et ubique alias, producit?

Nil própter hanc: sed est quod succenset tibi.

Eadem reliquorum ratio est; quibus venia quidem, præsertim

hodie, lingua jam dudum emortua, facile conceditur: nisi culpam quis defendendo fecerit majorem.

Ceterum, abi, domi, redi, dari, roga, jube, tace, vide, et si qua id genus alia quæ ultimam brevem habent, vix est ut licenter dicas, sed legitime corripi; cum veteres epici idem jus usurpaverint.

Similiter de crasi censeas; qua duæ vocales, quarum una brevis, in unam contrahuntur: ut, diu, Deum, Deorum, meum, tuum, suum, meorum, &c. fuit, fuisse: hæc, et si qua hujusmodi, jure quoties vellent contrahebant comici; quia idem epicis jus erat. Durius quidem nostratibus sonant, hujus, ejus, novo, levi, in unam syllabam contracta: verum id eo evenit, quod nos hodie male pronuntiemus. Notum enim est eruditis, consonantes i et u apud Latinos eodem fuisse sono et potestate, quo hodie y et w. Pronunties igitur, cujus, novo, levi, et mollior fiet crasis. Ita Noster, twa, swa, grandyuscula, stellyonino; plane ut Virgilius, stellyo, abyete, &c. Eadem ratione, cum, jam, efferrent, ut nos hodie, yam; in duas syllabas pro lubitu dissolvebant, 'nunc iam.' Ceterum in hac editione, ubi iam disyllabon est, notatur diæresis; et, cuius, huius, eius, ubi monosyllaba sunt, super i habent accentum; ubi disyllaba, super u et e; cûjus, hûjus, êjus.

Eii, reii, speii, priore per ectasin producta, non indigent venia; cum Lucretius aliique olim epici idem fecerint. In nostra editione, cum producantur, duplice i scribuntur.

Neque illud inter licentias numeres, cum Comici s finale in syllaba brevi, sequente tamen consonante, nonnunquam abjiciunt, ut, tristi', famelicu': siquidem idem facit passim Lucretius. Ceterum quod nos quidam docent, et in syllaba longa hoc solere fieri, et sequente vocali, et totam etiam syllabam cum s sæpe resecari, falluntur et fallunt. In, consimilist, a priore nihil, sed ab, est, vocalis resecatur; ut in, palamst, necessumst. Multimodis apud Nostrum non divisim effertur, multi' modis; sed vox una est ut, omnimodis: et Lucretius utraque utitur.

Quin et, ubi synalæphæ vis cessat, et vel vocalis quæpiam vel m finales non eliduntur, altera vocali eas excipiente; ne hoc quidem in licentiis ponas: qualia ista et plura apud Nostrum: omnes qui amant, mé et ætate, né ubi acceperim, quæé erat mortua, una ire cûm amica, dùm id efficias, quicum uno rém habebam. Quippe et epici, Lucretius, Virgilius, Horatius eodem modo in hexametris:

sed dùm abest quod avemus, credimus an quí amat, si mé amas inquit, cocto núm adest honor idem. In his autem aliisque similibus tria sunt observanda; nunquam hoc fieri nisi in verbo monosyllabo; quod verbum si in vocalem exit, oportet syllabam esse longam; ictum denique habere in prima syllaba anapæsti. Harum vero conditionum ignorantia quot nuper peperit errores? dum et in polysyllabis verbis, et in syllabis brevibus, et in aliena sede, posse fieri hoc existimabant.

Atque hactenus de licentia Terentiana, deque ejus limitibus, modicis sane illis neque incommodis: qualem hodie in poëtis nostratibus patriaque lingua patienter ferimus. Quin et ausim polliceri sponsorque fore, quemvis adolescentem, vulgaris modo prosodiæ et syllabarum quantitatis callentem, lecta una alteraque editionis nostræ scena, suo Marte ac sine magistro totum hoc quod quæritur percepturum. Quo magis mirum, quosdam cetera doctissimos, sed in his rebus paulo ὀψιμαθεστέρους, tam immodica verborum pompa se et operam suam efferre: quasi tantæ molis esset Romanam nunc licentiam, quantæ olim erat gentem, condidisse. Neque tamen, si ipsi audiendi sunt, immerito glorianur: cum ex eorum sententia nihil non veteribus Comicis et licuerit et libuerit: ut tam vagæ licentiæ limites ullos posuisse, perinde sit ac Sarmatas et Gelonos intra campos suos coërcuisse. Nimirum hi non ipsos poëtas, non artem et rhythmí genium, sed librarios sibi duces sumunt; et tot fere licentiarum species sibi fingunt, quot in toto Plauto Terentioque vitiosæ lectiones nunc restant; unique loco, qui emendandus erat, ex altero æque mendoso patrociniū quærunr. Quid mirum igitur, si, quo major iis tam falsæ metricæ notitia accrevit, eo in dies, ut queruntur, magis decreverit emendationum suarum numerus? Illud, si dubitas, exemplo sit; ubi Plauti auctoritate pedes creticos in trimetris asciscunt. Locus elegantissimus est, Trinummo, 1. 2. in urbanos, quos vocat scurras,

Qui omnia se simulant scire, nec quicquám sciunt:

Quod quisque in animo hábet aut habiturúst, sciunt:

Sciunt, quod in aurem rex reginæ dixerit:

Sciunt, quod Juno fábulatast cùm Jove:

Quæ neque fu | tura neque | facta sunt | tamen illi sciunt.

Duos illic creticos agnoscunt et accipiunt, dactylorum scilicet vicarios: neque hoc contenti, innumera hujusmodi portenta Plauto

suo assignant, pauca etiam Terentio. Nos pauca illa jam ejuravimus; de innumeris olim fortasse curabitur. Interea, quid hic Plauti locus sibi postulet, videamus;

Quæ néque futura nec facta sunt, tamen illi sciunt.

Hic duæ longæ corripuntur; duo cretici veniunt, quo ne dactylis quidem, si aurem habemus, venire fas est. Hosne numeros ut laudaverint Pisonum proavi? quis comædus actor, ne ipse quidem Pellio, vel pretio voluerit emere; vel blaterare hæc ad tibiam in scena ausus fuerit? non suas potius sibi res poëtam talem habere jusserit? Si licentiarum nostri de emendatione desperarunt; humanus tamen erat, de mendo potius confiteri, quam poëtam ipsum proscribere. Vide tamen, quam facilis ea ne quærentibus quidem se offerat. Tolle illud *facta*; et trimetrum, quales hic ceteri sunt, rotundissimum habes:

Quæ néque futura, néque sunt, tamen illi sciunt.

Quin et hoc sensus ipse, non metrum solum, efflagitat: nam quæ futura, et quæ sunt, in eodem genere sunt opposita: non futura et facta. Si illud 'facta sunt' a poëta esset, dixisset utique, quæ neque fient neque facta sunt; atque insuper de duobus peccatis unum lucratus esset.

ARS TARENTIANA.

Restat jam, ut de arte Terentiana, quæ tantopere olim celebrata est, pauca delibemus. Horatius, Epist. II. I.

Ambigitur quotiens uter utro sit prior; aufert
 Pacuvius docti famam senis, Accius alti:
 Dicitur Afrani toga convenisse Menandro:
 Plautus ad exemplum Siculi properare Epicarmi:
 Vincere Cæcilius gravitate, TARENTIUS ARTE.

Ubi dubium est, artemne metricam velit, an comicam. Utramque opinor; nam in utraque laude Noster, tam versuum concinnitatis, quam lucidæ rerum dispositionis, primas tenebat.

Illud sane in lingua Latina notabile, ne unum quidem verbum præter monosyllaba tonum in ultima habuisse. Déum, igitur, vírum, méum, túum, priore licet brevi pronuntiabant, nunquam nisi in versu, Deúm, virúm, meúm, tuúm. Quintilianus, Instit. I. 5. 'Est autem in omni voce utique acuta syllaba, nec ultima unquam:

ideoque in dissyllabis prior.' Priscianus, p. 1287. 'Acutus accentus apud Latinos duo loca habet, penultimum et antepenultimum: apud Græcos autem et ultimum.' Et paulo post: 'Apud Latinos in ultima syllaba, nisi discretionis causa, poni non solet accentus.' Donatus, p. 1740. 'Tonus acutus, cum in Græcis dictionibus tria loca teneat, ultimum, penultimum, et antepenultimum; tenet apud Latinos penultimum et antepenultimum; ultimum nunquam.' Maximus Victorinus, p. 1942. 'Acutus, cum apud Græcos tria loca teneat, apud nos duobus tantum poni potest; aut in penultima, ut, *πρælegίστις*; aut ea quæ a fine est tertia, ut, *πρæλέγimus*.' Olympiodorus in Aristotelis *Meteora*, p. 27. *Τότε μὲν Γραικοὶ ἐκλήθησαν, νῦν δὲ Ἕλληνες. τοῦτο δὲ τὸ ὄνομα οἱ μὲν Ῥωμαῖοι παροξύνοσι, Γραικοὶ λέγοντες. ἡ δὲ κοινὴ διάλεκτος ὀξύνει. Καθόλου δὲ οἱ Ῥωμαῖοι πᾶν ὄνομα παροξύνοσι διὰ τὸν κόμπον ὅθεν Ὑπερηνορέοντες ἐκλήθησαν ὑπὸ τῶν ποιητῶν.* Hoc est: Qui olim *Γραικοὶ* dicti, nunc appellantur *Ἕλληνες*. Illius autem verbi penultimam Romani acuiunt, dicentes *Γραικοὶ*; sed communis sermo acuit ultimam, *Γραικοὶ*. Et universim Romani in quacumque voce penultimam vel antepenultimam acuiunt, propter fastum et grandiloquentiam: unde a poetis dicuntur *Ὑπερηνορέοντες*, feroces et superbi.—Ceterum quod hic fastui tribuit, id dialecto Æolicæ, unde lingua Latina partem maximam profluxit, rectius imputatur. Æolenses enim, ut notum est, *Βαρύτονοι* erant; et *Θέος*, *Ἄνηρ* pronuntiabant, cum alii *Θεός*, *Ἄνιρ*.

Jam vero id Latinis comicis, qui Fabulas suas populo placere cuperent, magnopere cavendum erat, ne contra linguæ genium ictus seu accentus in quoque versu syllabas verborum ultimas occuparent. Id in omni metro, quoad licuit, observabatur; ut in his:

Ἄρμα virúmque cáno, Trójæ qui prímus ab óris
 Itáliam fáto prófugus Lavínaque vénit
 Líttora; multum ille et térris jactátus et álto
 Vi síperum, saécνæ mémorem Junónis ob íram.

Qui perite et modulate hos versus leget, sic eos, ut hic accentibus notantur, pronuntiabit; non, ut pueri in scholis, ad singulorum pedum initia,

Ἰταλίαν φάτο πρόφугύς Λαvíναque véνιτ,
 sed ad rhythmum totius versus. Ubi nulla vox, ut vides, accen-

tum in ultima habet, præter unicam illam, virum : idque recte obsequens encliticon, que : quod hic semel dictum, in Terentio passim fieri, animadvertes. Idem efficiunt ME, TE, SE : Miseram me, quod verbum audio ? quippe hæc Latinis, ut etiam, rem, enclitica sunt, ut Græcis ME, ΣΕ. Eadem est et interrogationis vis ; sive cum ne enclitico, sive absque ne. In hac igitur concinnitatis laude palmam omnibus præripuit Terentius ; eamque ut consequi posset, ut et vetitos ictus effugeret, et vocabula tamen significantiora semper sub ictu poneret ; non minore studio iudicioque verba disposuit, et a prosæ orationis ordine decenter invertit, quam mirificus in hac materie artifex ipse Virgilius.

Priscianus de versibus comicis narrat, ‘ fuisse quosdam, qui abnegarent ulla esse in Terentii Comædiis metra : vel ea, quasi arcana quædam et ab omnibus doctis semota, sibi solis esse cognita confirmarent.’ Ibidem ait, ‘ Omnes quidem Comicos crebris synalæphis et episynalæphis et collisionibus et abjectionibus S literæ fuisse usos scandendo versus suos ; TARENTIUM AUTEM PLUS OMNIBUS.’ Verum profecto hoc est ; et causa unica, cur magistris isti vel negarent metra esse apud Nostrum, vel ut arcana quædam venditarent. Quod vero hic queritur et criminatur magister grammaticus, non vitium est, sed virtus Terentii prima : qui synalæphas illas data opera consecutus est ; quo syllabæ ultimæ liquescerent coalescerentque cum sequentibus ; eoque vetiti ac vitiosi in ultimis ictus artificiose effugerentur. Hæc vero synalæphæ, quæ tenebras olim magistris offuderunt, jam in nostra editione, percussionum intervallis distincta, ne pueris quidem negotium facerent.

Totum autem hoc, quod de ictu in ultimis syllabis cautum fuisse diximus, de secunda tantum trimetri *διποδία* capiendum ; nam in prima et tertia semper licuit ; siquidem ista sine venia conclamatum actumque erat de Comædia Tragædiaque Latina. Cum igitur hunc versum similesque apud Nostrum videris :

Malum quod isti Di Deæque omnes dunt :

cave vitio id poetæ verteris ; etsi, Malum, illud et, omnes, si in communi quis sermone sic acuisset, deridiculo fuisset. Nimirum aures vel invitæ patienter id ferebant, sine quo ne una quidem in Fabula scena poterat edolari. Quin et Græcos ipsos eadem tenuit necessitas, eadem passa est indulgentia. Cum Aristophanes dixit,

Δουλόν γενεσθαι πάραφρονουτος δέσποτου.

Cum Euripides,

Ηκώ νεκρων κευθμώνα και σκοτού πυλας.

idem admiserunt in Δουλόν et Ηκώ, quod Noster in, Malúm et omnes : ipsi enim alibi priorem acuunt, Δούλον et 'Ηκω.

In secunda igitur trimetri διποδία hoc de quo agimus non licebat. Gellius xviii. 15. 'In senariis versibus animadverterunt metrici duos primos pedes, item extremos duos, habere posse singulos integras partes orationis, medios haud unquam posse : sed constare eos semper ex verbis aut divisis aut mixtis atque confusis.' Quotus quisque hoc vel intelligat ? nedum ut senarios per singulos pedes scandendo tempus in hac observatione conterat ? At in nostra editione vel aliud agentibus in oculos incurrit ; simulque ratio, quam metrici isti tacent, plane apparet. Hoc illi voluerunt ; in his et similibus senariis :

Venit Chremes postridie ad me clamitans.

Mansuetique animi officia, quid multis moror :

duos primos duosque postremos pedes singulis verbis claudi, et recte : at pedem tertium quartumve non posse recte. Cur hoc ? quia tum necesse est, ut ictus in ultimas syllabas cadant ; quod, ut dixi, in prima ultimaque διποδία solet fieri ; in media nec solet et vix unquam licet. Rarissime igitur, semel atque iterum, sed magno sententiæ lucro, admisit hoc in trimetris Terentius :

Persuásit nox, amór, vinum, adolescentia.

Scelésta ovém lupó commisi : dispudet.

Nam illud,

Nosse ómnia hæc salús est adolescentibus,

in hac editione *saluti* est. Notandum quoque in, amór, et lupó, priorem brevem esse, et ex musicæ rationibus ita oportere ; ut apud Horatium,

Jam jam efficaci do manús scientiæ.

Ad pervicacis heu pedés Achilleï.

Et similiter in verbo trisyllabo duos ictus recipiente, si id διποδιαν trochaicam inchoat, media erit ex arte brevis :

Nísi pol filiúm multimodis éxpeto, ut redeát domum.

Ita recte hic editum, non *expecto* ; ut et alia plurima, quæ ante nos vitiosa ferebantur, in omni versuum genere hic corriguntur.

ELOGIA VETERUM

DE PUB. TERENCE.†

Varro, Parmenone; Nonius in, Poscere.

IN argumentis Cæcilius poscit palmam; in ethesin Terentius; in sermonibus Plautus.

† In his judiciis quædam ne absurditate quidem carent: quale Volcatii Sedigiti pridem doctis visum est. 'Elegantia sermonis,' et 'mores,' consensu tribuuntur: etiam 'ars et metri diligentia.' In 'argumentis' quid valeat subinde videbimus. Diximus autem antea, aliud vulgi, aliud eruditorum de Poëtis iudicium esse. Certe, si quis attendat, Horatii versus allati, vulgi sententiam, non ipsius, summi sane Critici, exprimunt. Quid enim ipse admiraretur in principe Comicorum, noluit cuiquam occultum esse. Ipsi eruditi tantum inter se non discrepare videbuntur, si singulos intueamur, quin unius et alterius sententia ceterorum auctoritate obrui queat. De Horatio dictum est: quem non legit, multo minus Terentianas in eo imitationes observavit, qui ad interpretes sibi hic eundem existimat. Servii auctoritas tantum non est, ut loco rationis esse debeat. Nonne enim multa sunt, quæ eruditionis potius, quam iudicii facultatem in eo Grammatico testantur? Fabius Quintilianus pleno laudat ore Terentium; nisi quod incaute de trimetris addit: refutatus merito a Georgio Fabricio. Ceterum, qui paucis-

simos accuratæ criticæ successu omnino præstitisse ignorat, illum pleraque interioris doctrinæ mysteria fugiant necesse est. Non sufficit eruditio, quæ confidentiam persæpe generat; ut plus satis prompti sint, ad pronuntiandum, qui Auctoris genium nondum perdidicerunt: ne dicam de pervulgatis opinionibus, quæ haud raro eximias quoque mentes devertunt: cum præsertim, quod probe notandum, de Nova Comœdia iudicaturis, respectus Veteris subinde obstaret, animumque diverse traherent. Dicam iterum: Accedat vir ingenio et doctrina præstantissimus ad ferendam paulo explicatius de magno aliquo et perfecto ex Veteribus Poëta sententiam: nisi iterum iterumque relegerit, nisi cogitaverit subtilissime, ac exegerit singula attentissime, facile linea excidet. Documenta nolumus jam nisi ex proximo petere. Sicut acerrimi viri ingenii Franciscus Guætius nuper admodum, rectissime et felicissime amplexus Afranii sententiam, 'omnes omnium Comicorum in uno Terentio eminere virtutes,' iudicavit; ita superiore sæculo, nollemus summo viro, et quod caput rei est, κριτικῶτάτω, Julio Scaligero ea

Cicero, de optimo genere oratorum.

In re quod optimum sit quæritur: in hominibus dicitur, quod est. Itaque licet dicere, et Ennium summum epicum poëtam, si cui ita videtur; et Pacuvium tragicum; et Cæ-

de nostro poëta excidisse, quæ nullo modo defendi, ac ne tolerari quidem possunt.

Illud quidem libenter sumimus, quod de iudicio populi fatetur: quo etiamsi superatum esse legam a Philemone Menandrum, nondum tamen ideo Menandro major est Philemon. Debet enim, ni fallor, eruditus idem licere, quod populo: ut hic quidem pro suo captu, illi pro ingenio et doctrina sententiam ferant. At enim populi iudicio hic standum est: populo dabantur fabulæ; et is 'non ad discendam sermonis puritatem eo confluebat, sed ad animum risu ac jocis relaxandum:' quæ Scaligeri verba sunt. Sed *περιεργία* populi non tollit artium instituta. Quando in foro reus accusatur ac defenditur, populus non confluit ad discendam sermonis elegantiam; neque propterea non laudabitur Orator, qui ei studet. Confluxerit populus ad oblectandum animum visu et auditu rerum ridicularum; hinc desiderio explendo, nemo opinor Poëta fabulam scripserit: histrione enim quam poëta dignior hæc opera esset. Poëta institutum ad philosophiam spectat: atque in Comædia hoc ipsum agit, ut, dum putat populus ludicram rem geri, amore virtutum, odio vitiorum, quæque his affinia sunt, et ad emendandos mores pertinent, imbuatur. Rudioribus itaque temporibus, rudius hoc solebat fieri: animisque nec compositis nec excultis aliquid indulgendum erat. Accedente quodam cultu, ut in omnibus civitatibus ab inconditis moribus ad gradus quosdam disciplinæ proceditur, temperandum erat quic-

quid nimium videbatur; invitatis et placide traductis ad rectiora animis, ut voluptatem non jam ex solo risu, quod imperitissimorum est, sed ex consuetudine vitæ fortunæque humanæ, eleganti rerum textu ac consecutione per imitationem expressa, sibi petendam iudicarent. Quam ipsam rem cum Comædia Nova sibi proposuisset, aliorum industria sane profecerit; certe solius Terentii ingenio ad fastigium ascendit. Si igitur Volcatius Sedigitus de Comicis iudicium ferre voluit, cur tam diversa miscuit? Cur Plantum et alios ideo prætulit, quod plus de antiquæ Comædiæ genio referrent; cur populo, etiam cultiori sæculo haud ægre ad solutiora respicienti, adulatus potius, quam Poëseos instituto, et doctrinæ legibus obsecutus est? Sed mittamus Sedigitum: qui tamen errandi Scaligero auctor fuit: nam, ut ejus iudicium defenderet, suo non bene usus est. Quis enim porro ferat ista? 'At res putentur ipsæ, profecto languidiores erunt Terentianæ:' quam apud Plantum scilicet aliosque. Quis demum ille languor? si omnia excutias, hoc dicendum fuerit: Quæ res in Comædia ita exhibentur, ut minus captetur risus, neque jocis et facetiis omnia impleantur, illæ languidiores sunt. Nunquam tulisset ille princeps Criticorum æquo animo, si quisquam alius pronuntiasset languidiorem esse Poësin, ubi retinetur, quod est difficillimum, sed Poëta accurato dignum, ex hilaritate modus. Quid? quod urbanitatis eruditæ ac festivitatis artificio nemini cedit Terentius. Tantum obest rationi auctoritas, cui te semel

cilium fortasse comicum. Unum vero est genus perfecti, a quo qui absunt, genere differunt, ut ab Accio Terentius, sed in eodem non sunt pares.

Et infra.

Iidem et Andriam et Synephebos, nec minus Terentium et Cæcilium, quam Menandrum legunt. Quod est igitur eorum in orationibus e Græco conversis fastidium, nullum cum sit in versibus ?

Lib. VII. Epist. 3. ad Attic.

Secutus sum, non dico Cæcilium, Mane ut ex portu in Piræeum, (malus enim auctor latinitatis est,) sed Terentium, cujus Fabellæ, propter elegantiam sermonis putabantur a C. Lælio scribi: Heri aliquot adolescentuli coimus in Piræeum.

In Lælio.

In Andria familiaris meus Terentius dixit.

permiseris. Et excogitandum tamen aliquid fuit, ne sine ratione videretur disputari. 'Quando,' inquit Scaliger, 'res eo perducta est, ut nos in lingua patria, hoc est, Latina simus peregrini, quam ex nitidissimi cujusque auctoris operibus emendicatum, ad ea, quæ sentimus, applicaremus; atque in ea Terentianæ munditiæ potiores essent salibus Plautinis: quantum propter animi voluptatem tribnerunt Plauto Prisci, tantum ætas nostra ob linguæ Latinæ cultum, Terentio. Ille igitur illorum secunda fortuna commendatus: hic nostra miseria magnus factus est. Nam equidem Plautum ut Comicum, Terentium ut locutorem admirabor.' Si miseria junioris ævi causam dedit ἀμαρτήματι κριτικῶ, quid ergo ante tot sæcula Horatium movit, ut stultitiæ postularet eos, qui sales Plautinos ad urbanitatem et leporem referrent? ut non phrasin magis Terentii, quam sales et lepores tanto studio consec-

taretur? At unus et item alter ob solum linguæ Latinæ nitorem nuper tantum Terentio tribuit. Nescio, quinam illi fuerint: omnium minime decebat Scaligerum in eo numero esse: qui, si tanta intensione animi tractasset Terentiam, quanta Virgilium, non minus perfectum in suo opere illum per omnia judicasset. Sunt autem, ut omnibus patet, inter eruditos non pauci, et fuerunt, qui orationem Terentii merito quidem adamarunt, longe plura autem, id est, omnia ea, quibus opera hujusmodi commendantur, in eo admirati sunt: nec ut 'locutoris' (absit verborum vilitas, ubi plus quam verba spectantur) sed ut Comici et Philosophi exacti hoc exemplar sibi proposuerunt. Enimvero, qui præter stylum nihil in Terentio amare didicit, eum a Musis et Græciis cum maxime alienum esse, nemo abnuat. Sed hæc lactenus ad Jul. Scalig. Poët. lib. III. cap. 96. et lib. VI. cap. 2. Jo. Henr. Bæclerus.

Delph. et Var. Clus.

Terent.

R

Et mox.

In obsequio, quoniam Terentiano verbo libenter utor,
comitas adsit.

Horatius, lib. Epist. ad Augustum.

Dicitur Afranî toga convenisse Menandro :
Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi :
Vincere Cæcilius gravitate, Terentius arte.
Hos ediscit, et hos arcto stipata theatro
Spectat Roma frequens.

Ovidius, lib. II. Tristium.

Nec liber indicium est animi ; sed honesta voluntas
Plurima mulcendis auribus apta refert.
Accius esset atrox : conviva Terentius esset ;
Essent pugnaces qui fera bella canunt.

Volcatius Sedigitus, apud A. Gell. lib. xv. cap. 24.

Multos incertos certare hanc rem vidimus,
Palmam poëtæ comico cui deferant.
Eum, me iudice, errorem dissolvam tibi :
Ut contra si quis sentiat, nihil sentiat.
Cæcilio palmam Statio do comico.
Plautus secundus facile exsuperat ceteros.
Dein Nævius, qui servet pretium, tertiu'st.
Si erit, quod quarto, dabitur Licinio.
Post insequi Licinium facio Atilium.
In sexto sequitur hos loco Terentius.
Turpilius septimum, Trabea octavum obtinet.
Nono loco esse facile facio Luscium.
Decimum addo causa antiquitatis Ennium.

Velleius Paterculus, lib. I.

Dulcesque Latini leporis facetiæ per Cæcilium, Teren-
tiumque, et Afranium suppari ætate nituerunt.

Fab. Quintilian. lib. x. cap. 1.

In Comœdia maxime claudicamus ; licet Varro dicat,
Musas Ælii Stilonis sententia Plautino sermone locuturas

fuisse, si Latine loqui vellent: licet Cæcilium laudibus ferant: licet Terentii scripta ad Scipionem Africanum referantur: quæ tamen sunt in hoc genere elegantissima, et plus adhuc habitura gratiæ, si intra versus trimetros stetissent.

Idem Declamat. IX. sive Gladiator.

Terentium, quem inter ceteros captivos, secundo Punico bello, Scipio Africanus vinculis exsolverat, memoriæ tradidere majores, insigne receptæ libertatis pileo testantem in triumpho ducis esse conspectum.

Plinius, lib. I. Epist. 16.

Legit mihi nuper epistolas, quas uxoris esse dicebat: Plautum vel Terentium metro solutum legi credidi.

A. Gellius, lib. VII. cap. 14.

Vera autem et propria hujusmodi formarum exempla in Latina lingua M. Varro esse dicit, ubertatis Pacuvium, gracilitatis Lucilium, mediocritatis Terentium.

Idem, lib. VII. cap. 21.

Neque magno intervallo postea Q. Ennius, et juxta Cæcilius et Terentius, ac subinde Pacuvius: et Pacuvio jam sene Accius, clariorque tunc in poëmatis eorum obtrectandis Lucilius fuit.

Ausonius, in Protreptico ad Nepotem.

Tu quoque qui Latium lecto sermone, Terenti,
Comis et astricto percurris pulpita socco,
Ad nova vix memorem diverbia coge senectam.

Lactant. de Falsa Sap. cap. 4.

Nemo potest de se recte judicare, quod nobilis poëta testatur: Ita enim comparatam esse hominum naturam, &c.

Eusebius in Chronico.

Ptolomæi VI. id est, Philometoris regno decessit P. Terentius, quo tempore Aristarchus, Homericorum ille versuum censor, floruit.

Hieron. in Chronico, Olymp. 155. ann. 3.

P. Terentius Carthaginiensis, Comœdiarum scriptor, ob ingenium et formam libertate donatus, in Arcadia moritur : qui primam Andriam, antequam Ædilibus venderet, Cæcilio (Acilio) multum se miranti legit.

Idem: de Optimo Genere Interpretandi.

Terentius Menandrum, Plautus et Cæcilius veteres comicos interpretati sunt: numquid hærent in verbis? ac non decorem magis et elegantiam in translatione conservant, quam veritatem interpretationis?

Idem, ad Suniam et Fretellam.

Hanc esse regulam boni interpretis, ut idioma alterius linguæ suæ linguæ exprimat proprietate: quod quidem et Tullium in Protagora Platonis, et in Œconomico Xenophontis, et in Demosthenis contra Æschinem oratione fecisse convincimus, et Plautum, Terentium, Cæciliumque, eruditissimos viros in Græcis Comœdiis transferendis.

Idem, ad Paulinum.

Habet unumquodque propositum principes suos. Romani duces imitentur Camillos, Fabricios, Regulos, Scipiones: philosophi proponant sibi Pythagoram, Socratem, Platonem, Aristotelem: Poëtæ æmulentur Homerum, Virgilium, Menandrum, Terentium.

Paulus Orosius, lib. iv. cap. 19.

Scipio jam tunc cognomento Africanus, triumphans urbem ingressus est, quem Terentius, qui postea comicus, ex nobilibus Carthaginiensium captivis pileatus, quod indultæ sibi libertatis insigne fuit, triumphantem post currum secutus est.

Livius, lib. xxx. non comicum hunc intelligit, sed ad Terentium Culleonem senatorem Rom. refert, qui pileo capiti imposito secutus est Scipionem triumphantem: certe de alterntro Quintiliani etiam locus ex Declam. ix. intelligendus est. *Lindenbrogius.*

Sidonius Apollinar. Carm. XX.

Quid vos eloquii canam Latini,
 Arpinas, Patavine, Mantuane,
 Et te, comica qui doces, Terenti,
 Et te, tempore qui satus severo,
 Graios, Plaute, sales lepore transis ?

Rufinus Grammaticus Antiochensis.

Agnovit metrum servatque Terentius artem ;
 Nam prologos trimetro didicit componere versu,
 Scenarumque actus primos pede claudit eodem.

Servius in illud, lib. 1. Æneid. 'Talibus incusat.'

Sciendum est Terentium, propter solam proprietatem,
 omnibus Comicis esse præpositum ; quibus est, quantum
 ad cetera spectat, inferior.

Fl. Sosipater Charisius, lib. 11.

^{Ἡθῆ}, ut ait Varro de Latino Sermone, lib. v. nulli alii
 servare convenit quam Titinnio et Terentio. ^{Πάθη} vero
 Trabea, inquit, et Attilius et Cæcilius facile moverant.

Isidor. Origin. lib. 1. cap. 39.

Fabulas poëtæ quasdam delectandi causa finxerunt,
 quasdam ad naturas rerum, nonnullas ad mores hominum
 interpretati sunt. Delectandi causa fictas, ut eas, quas
 vulgo dicunt, vel quas Plautus et Terentius composuerunt.

Ex antiquo cod. Ms. in Bibliotheca Regis Gall.

Natus in excelsis tectis Carthaginis altæ
 Romanis ducibus bellica præda fui.
 Descripsi mores hominum, juvenumque, senumque,
 Qualiter et servi decipiant dominos :
 Quid meretrix, quid leno dolis confingat avarus ;
 Hæc quicumque legit, sic, puto, cautus erit.

DE ÆLIO DONATO.

Hieronym. in Chronico Olymp. 284.

Victorinus rhetor et Donatus grammaticus, præceptor meus, Romæ insignes habentur: e quibus Victorinus etiam statuum in foro Trajano meruit.

Idem Apolog. advers. Rufinum.

Puto quod puer legeris Aspri in Virgilium et Sallustium Commentarios: Vulcatii in Orationes Ciceronis: Victorini in Dialogos ejus, et in Terentii Comœdias præceptoris mei Donati, æque in Virgilium, et aliorum in alios; Plautum, Lucretium, Flaccum, Persium, atque Lucanum. Argue interpretationes eorum, quare non unam explanationem secuti sint, et in eadem re quod vel sibi, vel aliis videatur enumerent.

Hieronym. in Eccles. cap. 1.

Comicus ait: Nihil est dictum, quod non sit dictum prius: unde et præceptor meus Donatus, cum ipsum versiculum exponeret, Pereant, inquit, qui ante nos nostra dixerunt.

DE EUGRAPHIO.

Gerbertus quondam scholasticus ad Airardum, Epist. vii.

Petitionibus tuis annuimus: nostra ut exequaris negotia, velut propria, monemus. Plinius emendetur, Eugraphius recipiatur.

Gerbertus hic postea PP. factus, Sylvester dictus fuit, vixitque sub Othone III. Imp. circa A. C. 998. Vid. Fascicul. Tempor. Onuphrius Panvin. in Chron. Eccles. et alii.

ELENCHUS ALPHABETICUS

SCRIPTURÆ COMPENDIORUM

QUÆ IN HAC TERENTII EDITIONE INVENIAS.

A B C	Hæ notæ explicantur in p. 18. Præfationis.
Arg.	Editio Argentina. Præf. p. 7.
Bas.	Codex Basilicanus.
Ben.	Codex Bembinus.
Bent.	R. Bentleius.
Bip.	Bipontina Editio.
Bodl.	Bodleianus Codex.
Bœcl.	Bœclerus.
Bænd.	Bøndermakeri Codex. Vid. Præf. p. 5.
Both.	F. H. Bothe.
Br.	Codex Halensis D. Pauli J. Bruns. Vid. Præf. p. 18.
CCC.	Ms. Collegii Christi Corporis.
Dac.	A. Dacieria.
Davent.	Editio Daventriensis. Præf. p. 7.
Do.	Donatus.
EA.	Editio Anonyma. Vid. Præf. p. 6.
EM.	Editio Mediolanensis.
EP.	Ed. Prima : ann. 1469. Vid. Præf. p. 6.
Er.	Erasmus.
ET.	Editio Tarvisiana. Præf. p. 6.
Eug.	Eugraphius.
EV. 1.	Editio Veneta 1490.
EV. 2.	————— 1512.
EV. 3.	————— 1521. Aldina.
EV. 4.	————— 1559. Vid. Præf. p. 7.
Fa.	Faërnus.
F. F.	Franc. Fabricius.
F. H.	Franc. Hare.
G.	Ms. Grævii. Præf. p. 4.
GC.	Gothanus Ms. Chartaceus.
G. F.	Georg. Fabricius.
Glar.	Glareanus.

- GM. Gothanus Ms. Membranaceus: qui Friderico C. G. Perlet antiquior videtur chartaceo. Vide GC. supra.
- Gov. Goveanus.
- Gu. 1. 2. Sic suos Guelferbytanos codd. appellat Bothe. Vid. Præf. p. 18.
- Guelf. 1. 2. 3. Hi sunt tres codd. sic ordinati a Perlet. De quatuor codd. Guelf. sic loquitur vir doctus: "Ante omnes, Guelferbytani, s. Wolfenbittelani codd. quatuor maximo usni mihi contigerunt. Quos ab Langero, bibliothecario meritissimo, venia data ab his qui ex intimis Sereniss. Ducis Brunswigæ florent, ut acciperem impetravisse me gratissimo animo testor. De his codd. membr. est unus, forma splendida, in fol. de anno 1433. Secundus mihi Guelf. cod. in 4to. est, vix aliqua re præter formam insignitus. Tertius scriptus est a duabus manibus diversis. Ultimum commemoro Guelf. librum, quem debeo humanitati Langeri ultro mihi superaddentis." Ceterum, quod attinet ad tres priores horum codd. et quos nominamus Gu. 1. 2. hæc notanda judicavimus: Re diligenter perpensa, credimus Gu. 1. Bothii esse eundem ac Guelf. 3. Perletii: (Cf. VV. LL. ad Andr. 1. 1. 72. Eun. Prol. vs. 3. Adolph. 1. 1. 48. v. 8. 6.) et Gu. 2. Bothii eundem esse ac Perletii Guelf. 2. (Cf. VV. LL. ad Andr. 1. 2. 20. et 3. 13.) At, quoniam vix omnes nodos, qui nobis quærentibus erant impedimento, possumus expedire, potius eorundem codicum lectiones repetere, quam in ambages et insidias lectores adducere visum est. Ergo quisque pro se judicet.
- Guy. Guyetus.
- Hel. Vid. Præf. p. 18.
- Hul. Donati Ms. Hulst.
- J. 'Addo,' ait Perlet, 'lectiones e codice Jenensi, Romano ac Veneto desuntas, quas variantes Baclius familiaris benigne mecum communicavit.'
- Junt. Ed. Juntina.
- Leid. 1. 2. 3. 4. 5. Codices Leidenses. Præf. p. 1.
- Lind. Lindembrogius, s. Lindenbruchius.
- M. Ms. Markianus. Præf. p. 4.
- Mur. Muretus.
- Pal. et Pall. Palatinus et Palatini: Parei codices.
- Par. Pareus.
- Par. 1. 2. 3. Parei codices.
- Perl. Frid. C. G. Perlet.
- Pet. Codex Petrensis.
- Pict. Editio Pictaviensis. Præf. p. 7.
- Pr. Priscianus.
- R. Ms. in Bibl. Reg. Paris.

- RC. Romanus Cod. apud Perlet.
 R. D. Ruhnkenii Dictata. Vid. Præf. p. 30.
 Riv. Rivius.
 St. Editio R. Stephani. Præf. p. 7.
 Tr. Codex Academiae Trajectinae. Præf. p. 4.
 V. Codex Vaticanus.
 Vi. Victorianus Ms.
 Vict. "Victorius vel Victorianus cod." Sic hæc nota in usu
 est apud Perlet, et sic ab eo explicata.
 West. Westerhovius.
 Wiel. Abr. Wielingius. Vid. Præf. p. 8.
 Wit. Ms. V. D. De Wit. Vid. Præf. p. 5.
 Z. Zeuniensis ed. Lond. 1820. Paucissimis exceptis, repe-
 titio (si Auctorem spectes) mera est editionis Frid. Lin-
 denbrogii.
 Zeun. M. J. C. Zeunius.

PUB. TERENTII

ANDRIA.†

ACTA LUDIS MEGALENSIBUS,¹ M. FULVIO ET M. GLABRIONE
ÆDILIBUS² CURULIBUS. EGERUNT L. AMBIVIVS TURPIO, ET
L. ATTILIUS PRÆNESTINUS. MODOS FECIT FLACCUS³ CLAU-
DII⁴ FILIUS, TIBIIS PARIBUS,⁵ DEXTRIS ET SINISTRIS.⁶ ET
EST TOTA GRÆCA.⁷ EDITA M. MARCELLO⁸ ET CN.⁹ SULPICIO
COSS.¹⁰

† *Publii Terentii Carthaginiensis Afri Andria*. Sic hanc Fabulam coronat Lindenbrogius, et sic notat: ‘*Pub. Terentii Carthaginiensis*] Asserere hunc titulum Terentio volui, quem in nonnullis exemplaribus ita conceptum reperi. Itaque sic vocatur a Donato, et a quibuscumque aliis Vitam illius descriptam habemus. Fuit alius Terentius Libo, de quo in Prolegomenis: cujus fortean fragmenta sunt, apud Varr. de L.L. lib. v. ‘Gaudia sua si omnes homines conferant unum in locum, tamen mea exsuperet lætitia.’ Et Gellium Noct. Attic. lib. XVIII. c. 11. ‘Pallium face ut splendeat.’ At vero verba illa apud Festum in Summussi: ‘Quod potes sile, cela, occulta, tege, tace, mussa, mane:’ potius Cæcilii, quam Terentii esse puto. Ex Carthaginiensis vero hujus sex, quæ reliquæ sunt, fabulis, cum primum in scenam producta esset Andria, pronuntiata fuit ‘Andria Terentii,’ ut et ‘Adelphæ:’ quemadmodum docet Donatus. At in reliquis omnibus nomen Auctoris præpositum: quod scire nos, suffecerit. Nam ita nunc quoque edi debere, futilis ratio es-

set: nec puto quemquam adeo inepte religiosum, ut in hoc me errasse dicat.’ Hæc habet Editor Delphinensis:

Andria] Hæc Comœdia prima Terentii nominatur Andria, ab Andro, Insula Maris Ægæi (*l’Archipelague*), hodie *Andrò*.

1 *Ludis Megalensibus*] Exhibita in ludis Scenicis, Cybele magnæ Deorum Matri sacris.

2 *M. Fulvio et M. Glabrione Ædilibus*] Ædiles erant Magistratus Romæ; ex eo dicti, quod ædes sacras et privatas curabant; ut annonam quoque, et ludos et spectacula publica, quæ populo exhibebant: propterea Fabulas, Tragœdias, et Comœdias a Poëtis emebant, agique mandabant. Primo Ædiles ex plebe creati sunt: deinde duo ex Patriciis adjuncti; qui Curules nominati sunt, quod honoris causa in Curiam curru veherentur: in quo sella eburnea erat imposita, in qua considerent.

3 *Modos fecit Flaccus*] Id est, numeros composuit Canticorum, qui post singulos Actus canebantur, eosque distinguebant.

4 [*Claudii*] In Mss. plerisque *Claudi*. Perlet. Sic dat Both. qui, ‘*Claudi*:’

ait: 'Intell. libertus. Vulgo male additur *filius*.'

5 [*Paribus*] In quibusd. vett. *parilibus*. Lind.]

6 *Tib. &c.* [*Tibiis paribus, et imparibus: dextris, et sinistris*] Tibiæ dextræ et sinistræ dictæ sunt a lateribus unde inflantur. Pares sunt dextræ, vel sinistræ, si solis dextris, vel solis sinistris caneretur: impares, si una dextra, altera sinistra: quæ impares dictæ sunt, quia, ut numero foraminum, sic etiam sono differant. Nam dextra pauciora habebat foramina, ac proinde sonum graviolem: sinistra plura, idcirco sonus erat acutior. Quod si dextra et sinistra jungerentur, sonus erat mixtus ex gravi et acuto. Dextræ quoque Lydiæ dicebantur; sinistræ Sarranæ, a Sarra, quæ aliter Tyrus dicta est, unde Sarranum ostrum, pro purpura Tyria. Dextra et sinistra dictæ sunt Phrygiæ. Lydiæ conveniebant rebus gravibus; Sarranæ, sive sinistræ jocis. Phrygiæ adhibebantur, si jocis gravitas misceretur. Hæc fabula Andria acta fuit tibiis paribus, partim solis dextris, partim solis

sinistris: nec enim semper in tota fabula iisdem modis utebantur, sed sæpe eos mutabant: quod cum fiebat, ascribi solebat, M. M. C. hoc est, Mutantur Modi Cantici.

7 *Et est tota Græca*] Id est, argumenti Græci; nam in ea inducuntur Græci, cunctaque scribuntur secundum ritus Græcorum. Græcæ Comœdiæ dicuntur Palliatæ, ut Latine Togatæ: nam Græci super Tunicam Pallium inducebant; Latini vero Togam.

8 *Edita M. Marcello*] Priscum quidem et primum fuit institutum Romanorum, per annos Regum et Consulium tempora notare: mos vero, numerare res gestas ab annis Urbis conditæ, sero cœpit.

9 [Glar. legit *Caio*.]

10 [Mihî sic Inscriptio hæc videtur lègenda: *Andria Terentii. A. l. M. M. Fulvio, M. G. æ. c. Egere L. A. Turpio, L. A. P. M. f. Clau. Flaccus, Clau. Filius t. p. et imparibus, hoc est, sinistris et dextris. Tota Gr. est. Menandrou. Editæ M. Marcello, Cn. S. C. Gov.*]

FABULÆ INTERLOCUTORES.

SIMO, senex, pater *Pamphili*: a *simo naso nominatus*. *Simi iracundi*.

SOSIA, libertus *Simonis*. *A σωζειν, servare, in bello servatus*.

DAVUS, servus *Simonis*. *A patria. Davi enim iidem ac Daci*.

MYSIS, ancilla *Glycerii*. *A patria Mysia*.

PAMPHILUS, adolescens, filius *Simonis*. *A τὸ πᾶν, et φίλος; omnium amicus*.

CHARINUS, adolescens, amans *Philumenam*. *A χάρις, graciosus*.

BYRRHIA, servus *Charini*. *A πυρρός, rufus*.

LESBIA, obstetrix *Glycerii*. *A Lesbo patria, ferace vini suavissimi*.

GLYCERIUM, *amica Pamphili*. *Α γλυκερός, dulcis.*

CHREMES, *senex, pater Philumenæ*. *Α χρέμπτεσθαι, screeare, quod senes screeare soleant.*

CRITO, *hospes Andrius*. *Α κριτής, judex.*

DROMO, *lorarius*. *Α δρόμος, cursus.*

C. SULPICII¹ APOLLINARIS PERIOCHA² IN TERENTII ANDRIAM.

SOROREM falso creditam meretriculæ,
 Genere Andriæ, Glycerium vitiat Pamphilus :
 Gravidaque facta, dat fidem, uxorem sibi
 Fore hanc ; nam aliam pater ei desponderat,³
 Gnatam Chremetis : atque, ut amorem comperit,
 Simulat futuras nuptias ; cupiens, suos
 Quid haberet⁴ animi filius, cognoscere.
 Davi suasu non repugnat Pamphilus.
 Sed ex Glycerio natum ut vidit puerulum
 Chremes, recusat nuptias, generum abdicat.
 Mox filiam Glycerium insperato agnitam
 Hanc Pamphilo dat, aliam⁵ Charino conjugem.

Pamphilus, Simonis filius, pudicitia Glycerii, filia Chremetis, vitium offert. Hæc falso credebatur soror Chrysidis meretriculæ ex Andro insula ; quam Glycerium cum gravidam fecisset Pamphilus, dat ei fidem se hanc uxorem ducturum : nam pater Simo illi desponderat aliam Chremetis filiam, nomine Philumenam : utque rescivit Simo filium captum esse amore Glycerii, fugit nuptias se illi parare mox faciendas, volens deprehendere animum Pamphili de uxore ducenda : ille, suasu Davi servi, ait patri Simoni, se quam is dederit uxorem libenter accepturum : sed, ut Chremes vidit puerulum natum esse ex Glycerio, Pamphilum generum rejicit, nuptias recusat : mox filiam Glycerium cum agnovisset præter spem, dat eam Pamphilo ; aliam nomine Philumenam dat etiam in uxorem Charino.

NOTÆ

1 *C. Sulpicii*] Sulpicius Apollinaris ille est, qui, a Gellio sæpe laudatus, Pertinacem Imperatorem literas docuit.

2 *Periocha*] Est brevis explicatio rem comprehendens, a περιέχειν, comprehendere, complecti.

3 [*Nam, &c.*] *Nam pater ei aliam desponsaverat* dat Both. qui ita notat :
 ‘*Desponsaverat dedi ex B et Hel.*

cum vulgo legatur inconcinne : *nam aliam p. ei desponderat. C sibi desponderat.*’]

4 [*Hab.*] *A habeat, minus bene. Both.*]

5 [*Hanc, &c.*] Vulgo *aliam* legitur pro *illam*, confusione *A* et *I* literarum non infrequenti in codicibus. *Id.* qui exhibet *II. P. illam dat Ch. Z. Dat P. hanc, aliam Ch.*]

Æ L I I D O N A T I,

V. C. ORATORIS URBIS ROMÆ,

PRÆFATIO IN ANDRIAM TERENTII.

COMŒDIA ANDRIA, cum Palliata sit, de loco nomen accepit, a¹ Menandro prius, et nunc ab ipso Terentio: qui, cum de Chryside loqueretur, sic ait: 'Hei, vereor, ne quid Andria apporet mali:' et hoc commune vocabulum est et in Græca et in Latina lingua. Hæc majori ex parte Motoria est; continetque actus amatorum adolescentium, et patrum piorum. Sunt ibi callidi servi, astutæ ancillæ, severi senes, adolescentuli liberales. In hac, primæ partes senis Simonis sunt, secundæ Davi, tertiæ Chremetis, et deinceps reliquorum. Prologus in hac acer inducitur, et in adversarios non mediocriter exasperatus, sed tamen id subtiliter, ut omnia lacessitus facere videatur, ac dicere. Hic protasis subtilis, epitasis tumultuosa, catastrophe pæne tragica; et tamen repente ex his turbis in tranquillum pervenit. Hæc prima acta est ludis² Megalensibus, M. Fulvio et M. Glabrione Ædilibus Curulibus.³ Egerunt L. Attilius Prænestinus et L. Ambivius Turpio. Modos fecit Flaccus, Claudii filius, tibiis paribus, dextris et sinistris. Et est tota Græca, edita M. Marcello et Cn. Sulpicio Coss. Pronuntiataque est ANDRIA TERENTII, ob incognitum adhuc nomen Poëtæ, et minoris apud populum auctoritatis ac meriti. Diverbiis aut canticis⁴ lepide distincta est: et, successu spectata prospero, hortamento Poëtæ fuit ad alias conscribendas. Initium autem προτατικὸν πρόσωπον, id est, adventitiam personam recepit Sosiæ, propter evolvendam argumenti obscuritatem. Persona autem protatica ea intelligitur, quæ, semel inducta in principio Fabulæ, in nullis deinceps Fabulæ partibus adhibetur. Annotandum sane, puellarum⁵ liberalium nullam orationem in proscenio induci,

1 Et a dant edd. Delph. et Z.

2 Vet. cod. Petr. Danielis Hæc pr. facta est, acta ludis. Lind.

3 Al. M. Fulvio ædile, et M. Glabrione, Q. Minucio Valerio curulibus. Id.

4 Diverbiis authenticis. Sic quidem omnes scripti libri. Sed non dubito quin vera sit emendatio hæc: Div. aut canticis. Id.

5 Annotandum sane, puellarum] Falsum est, quod hoc loco monet Dona-

in Comœdia Palliata, præter invocationem Junonis Lucinæ; quæ et ipsa quoque post scenam fieri solet.

tus, puellas liberales nusquam in Palliata Comœdia loqui: loquitur enim Curculione Planesium, in Epidico virgo illa Stratippoelis, aliæ alibi. in Heautont. Antiphila, in Plauti *West.*

ÆLII DONATI ARGUMENTUM IN ANDRIAM.

CHREMES Atticus, pater Pasibulæ et Philumenæ, cum ex his duabus se Pasibulam perdidisse falso crederet, relictam Athenis, nec visam postea multo tempore, tanquam unicam sibi putabat Philumenam: quam Charinus adolescens Atheniensis adamabat unice, et sibi petebat uxorem. Sed pater eam Pamphilo cuidam Simonis filio ultro desponderat: qui Pamphilus contra sororem Chrysidis, ac peregrinam tum creditam, Pasibulam supra dictam, alteram Chremetis filiam, sub nomine Glycerii, latenter sic amavit, ut ex ea filium suscepisset inscio patre. Qua re intellecta, commotus Simo pater Pamphili, dum per falsas nuptias tentat animum Pamphili, multis modis a Davo ipse deluditur servo: periculoque Charini et Pamphili motus error in Fabula usque ad eum finem ductus est, dum Athenas veniens Andrius quidam Crito rem aperiat, et nodum Fabulæ solvat: per quem agnita Pasibula recipitur a parentibus, et traditur Pamphilo amanti: Philumena vero Charino despondetur, et traditur exoptanti. Perspecto argumento, scire debemus, hanc esse virtutem poëticam, ut a novissimis argumenti rebus incipiens, initium Fabulæ, et originem narrative reddat spectatoribus: auctoremque præsentem sibi exhibeat,¹ ubi finis est Fabulæ. Hunc enim orbem² et circulum poëticæ virtutis³ non modo secuti sunt Tragici Comicique Auctores: sed Homerus et Virgilius tenuerunt. Divisionem Actuum in Latinis Fabulis internoscere difficile est: causam jamdudum demonstravimus. Unde autem, aut quo modo, quamvis ægre, tamen intelligi distinguique possint, est operæ pretium dicere. Principio dicendum est, nullam personam, egressam quinques, ultra exire posse. Sed illa re plerumque decipimur, quod personam, cum tacuerit, egressam falso putamus: quæ, nihilominus in proscenio tacens, loquendi tempus expectat. Est igitur attente animadvertendum, ubi et quando scena vacua sit ab omnibus personis, ut in ea Chorus vel Tibicen audiri possit: quod cum viderimus, ibi Actum esse finitum debemus agnoscere. Confundit sæpe lectorem id, quod persona in superiori scena desinens, et in proxima incipiens loqui, non intelligitur ingressa: quod ipsum experientes, statim dijudi-

¹ Excerpta Ms. R. *exhibiturus.*
Lind.

² Ita R. Al. *ordinem.* Id.

³ Al. *poëticæ artis et virt.* Id.

cant de rerum ac temporum quantitate. Post enim fieri, ut et ingressa sit ac egressa, quam prave credimus de proscenio non recessisse. Posse autem quinto egredi personam, non et necesse esse dicimus: ut appareat ultra exire non posse. In Tragœdia et parcius exire, et solere pariter, et licere. Primus Actus in Andria narrationem Simonis apud Sosiam continet argumenti: quod populus hac occasione perdisceat: mox querelam apud se Davi de domino, et ejusdem cum domino verba, et rursus ejusdem servi deliberationem, quid rerum gerat. Secundi Actus hæc sunt: Charini verba primo cum Byrrhia servo, et post cum ipso Pamphilo de nuptiis Philumenæ: Davi interventus, et cum eo disputatio de nuptiis Pamphili: Pamphili sermo cum patre, dolo consentientis in nuptias: Byrrhiæ verba: Davi callida oratio adversum senem. Tertio Actui hæc attribuuntur: Mysidis cum obstetrice colloquium, Davo ac Simone audientibus: partus Glycerii suspectus seni: et Davi apud eum fraudulenta sermocinatio. Simonis verba cum Chremete de nuptiis: Davi perturbatio ac Pamphili. Quartum Actum per hæc intelligimus. Prima Charini verba sunt, indignantis velut fidem sibi non servatam a Pamphilo: tum Mysidis verba apud Pamphilum, ejusdemque questus: Davi administratio doli adversus Chremetem. In quinto Actu: Simonis et Chremetis prope jurgium disputatio; tum detectio fallaciarum Davi; tum indignatio patris adversus filium; tum Critonis interventus: et per eum cognitio rebus in tranquillum res acta, ducentibus uxores, quas concupiverant, Pamphilo et Charino. Illud non commovere nos debet, quod in horum Actuum distinctione videntur de proscenio non discessisse personæ quædam: sed tenere debemus, ideo Terentium vicinioris mentionem fecisse in principio, ut modico receptu et adesse et abesse personam intelligamus. Nihil ergo sequius ⁴ factum est ab antiquis, qui ad hunc modum Terentianas Fabulas diviserunt.

4 Secus Z.

ARGUMENTUM EUGRAPHII † IN ANDRIAM.

SED nunc de Andria videamus. Andria prima fabula ideo vocatur, eo quod ex Andro, insula Græcorum, venerit Chrysis fœmina Athenas, ubi hæc acta referuntur, et cum Chryside alia, quæ vocabatur Glycerium, cum non esset ex Andro sed potius Atheniensis, sicut consequentia manifestant. Argumentum totius fabulæ istud est.

Bello exorto Athenis Chremes quidam Atheniensis, relictis omnibus, ad alia demigravit. Cujus frater Phania, qui Rhamnusius dictus est, accipiens filiam illius, neptem videlicet suam, nomine Pasibulam, quæ postea Glyceriam dicta est, in Asiam proficiscitur, quærens⁵ fratrem suum, nomine

† Vid. Præfationem excerptam e D. Paulo Jac. Bruns.

Chremetem. Sed nave fracta, venit simul cum nepte adhuc parvula, ad insulam Græcorum, nomine Andrium, ibique dum moraretur per aliquot dies in hospitio cujusdam viri qui habebat filiam vocabulo Chrysidem, morte præventus est. Nec multo post pater Chrysidis quoque moritur. Tum illæ duæ puellæ ab Andro proficiscentes, cum aliis pedissequis, Athenas devenerunt, falsoque Pasibula, quæ et Glycerium, credebatur soror esse Chrysidis ob maximam familiaritatem. Illis quoque diebus et Chremes reversus est, pater Pasibulæ, cum alia filia, Philumena nominata. Attamen, cum simul una in urbe habitarent, Chremes et filia ejus Pasibula, quæ et Glycerium, a nemine agnoscebatur, quod filia ejus esset. Non enim recognoscebat illam, quoniam admodum parvula erat, quando ipse ab Athenis demigravit. Quo tempore Simo quidam Atheniensis desponsavit filio suo Pamphilo filiam Chremetis Philumenam. Sed, dum cum aliis juvenibus Pamphilus ad domum Chrysidis meretricis concurreret, non propter ipsam, sed propter Glycerium, quæ falso soror Chrysidis credebatur, nimium iratus pater ejus Simo simulavit se velle nuptias accelerare, statuitque diem nuptiarum, quando filius ejus filiam Chremetis Philumenam, quam ei desponsaverat, duceret, filio totum ignorante, volens probare, si verum esset, quod de filio audiebat, dum ille aut sperneret Philumenam propter scortum quæ dicebatur Glycerium aut etiam duceret. Habebat autem libertum suum nomine Sosiam et servum Davum, quorum consilio credebatur filium amare Glycerium, et, dum eis manifestasset, quidam renuntiavit omnia Pamphilo, filio illius. Qui, quia fidem habebat promissam Glycerio, juravit nullo modo eam dimittere. Tunc Davus astutissimus dedit ei consilium, quatenus interrogatus a patre Simone, si vellet Philumenam ducere, non repugnaret, sed se velle obedire diceret, sicque delusus pater prolongaret ipsas nuptias; sicque fecit. Sed Chremes, ut vidit natum puerulum ex Glycerio, recensavit nuptias, ignorans Glycerium filiam esse suam. Tunc temporis supervenit ab Andro vir nomine Crito, cognatus patris Chrysidis; atque, dum inter Simonem et Chremetem Pamphilumque altercatio esset, nimiumque Simo iratus esset filio suo Pamphilo, advenit Crito Andrius et edocuit ista omnia superius dicta, Glycerium videlicet filiam esse Chremetis. Et, quia Philumena, quam ei pater desponsaverat, soror erat Glycerii, placuit, ut Pamphilus Glycerium haberet; Philumenam vero dedit Chremes Charino, qui eam ducere volebat.

Sensus vero totius fabulæ iste est, sed Comicus miro eam dilatavit modo multaque honesta inseruit. Argumenta et prologos licet quidam autem a Caliopio, ejus recitatore, esse compositos, tamen sciendum, ab eodem Comico fuisse compositos, teste Prisciano, qui versiculum primi prologi in exemplum sumit. In prologis autem nihil aliud ostendit, nisi quod æmulis et reprehensoribus suis respondet, sicque ibi de se quasi de alio loquitur. Illud quoque, quod in fine omnium fabularum habetur, verba sunt Caliopii, ejus recitatoris; qui, dum fabulam terminasset, elevabat auleam¹ scenæ et alloquebatur populum dicens: Vos valet, vos plaudite; sive Favete et plaudite.

1 *Lege aulaa*. Vid. Præf. Bruns.

PROLOGUS. †

POËTA, cum primum animum ad scribendum appulit,
Id sibi negoti credidit solum dari,

(Populo ut placerent, quas fecisset fabulas.

Verum aliter evenire multo intelligit :

Nam in prologis scribundis operam abutitur ;

5

Cum primum Terentius Poëta animum applicuit ad faciendas Comœdias, credidit hunc sibi tantum laborem imponi, ut Comœdiæ, quas fecisset, populum delectarent : verum animadvertit, multo aliter quam putaverat evenire : nam in prologis scriben-

~~~~~

\* \* \* Notas Bentleianas, quas in his VV. LL. ad Andriam inveneris, e Z. fere extraximus. Id quidem fecimus, ut brevitati consuleremus. At, cum Bentleii famæ et veræ harum VV. LL. utilitati vix hac ratione satis factum postea videretur, tandem judicavimus in variis ceterarum Fabularum lectionibus exponendis paulo quidem longiorem, at certe magis fidam, Faërne ac Bentleii Notarum Epitomen exhibendam.—Quam rationem inierit ipse Zeunius, explicatam ejus verbis accipe : ‘ Faërnium quidem olim, et postea Bentleium cum intellexissem multam Terentiano textui emendando et lectionum auctoritate confirmando operam dedisse ; ab usu hujus editionis critico, præsertim cum multæ Lindembrogii notæ eundem spectent, non alienum duxi, ubique utriusque viri sententiam adjungere ; sed, ne liber magnitudine et scholiorum nube molestus lectoribus, et forte pretio emtoribus incommodus existeret, hoc temperamento sum usus, ut fere verbis meis, ad rem brevius, salva perspicuitate, significandam, utriusque viri sententiam in compendium redigerem, et uni nomini tribuerem Bentleii ; adeo ut copia locorum omissa, et verborum formularumque ambagibus detractis et crebris ejusdem rei repetitionibus vitatis, nihil nisi sententiæ argumentorumque, sive a codicum auctoritate, sive metri legibus, sive loquendi usu, et elegantia sermonis sumtorum, summam spectandam sequendamque mihi esse existimarem.’

2 *Negotii Br.* Pareus distinguit dari *Populo*, ut : damnat West.—5 *Operam vulg.* at Par. ex Pall. *opera.* Perlet. *Opera* quoque esse in Bodl. notat

## NOTÆ

† *Prologus*] Est oratio, quæ ad spectantes ante fabulam habetur : estque vel commendatitius, vel relativus, vel argumentativus, vel mixtus. *Commendatitius* est, quo fabula vel Poëta commendatur : relativus sive anaphoricus est, quo maledicta adversario, aut gratiæ populo referuntur : argumentativus, sive hypotheticus est, quo argumentum fabulæ narratur : mixtus est, qui plura horum aut omnia in se continet. Hic

*Prologus* est anaphoricus, sive relativus, defensionem Poëtæ adversus malevolorum accusationes suscipiens.

1 *Appulit*] Appellere proprie est, ex alto mari in portum invchi : cui contrarium est solvere, cum funibus solutis navis e portu discedit.

5 *Operam abutitur*] Abutitur prologo Terentius, quoniam non explicat argumentum, quod vere prologi est officium ; sed respondet malevolis, quibus facit invidiam.

*Delph. et Var. Clas.*

*Terent.*

S

Non qui argumentum narret, sed qui malevoli  
 Veteris Poëtæ maledictis respondeat.  
 Nunc, quam rem vitio dent, quæso animum advortite.  
 Menander fecit Andriam et Perinthiam :  
 Qui utramvis recte norit, ambas noverit. 10  
 Non ita dissimili sunt argumento, sed tamen  
 Dissimili oratione sunt factæ, ac stylo.  
 Quæ convenere in Andriam, ex Perinthia  
 Fatetur transtulisse, atque usum pro suis.  
 Id isti vituperant factum ; atque in eo disputant, 15  
 Contaminari non decere fabulas.

*dis cogitur uti opera aliter atque convenit : cum argumentum fabulæ non exponat, sed respondeat criminationibus Lucii Lavini, veteris Poëtæ malevoli. Nunc autem animum attendite, de qua re adversarii hunc vituperent. Menander Poëta Comicus Græcus fecit Perinthiam et Andriam Comædiis. Qui unam earum noverit, ambas noverit ; adeo simili sunt factæ argumento, sed dissimili tamen sermone : et modo loquendi. Terentius fatetur quidem se transtulisse ex Perinthia, Comædia Græca Menandri, in suam Comædiam Andrium Latinam quæ sibi commoda visa sunt, hisque usum tanquam sibi propriis. Hanc rem isti culpant : ideoque disputantes aiunt, indecorum esse fabulas Comicas corrumpi, alteram alteri immiscendo.*

West.—7 *Maledictis* legit tueturque Both.—8 Guelf. 3. Br. *animadvertite*. In Guelf. 1. script. *advertite*.—11 *Ita non sunt diss. arg.* Both. edidit : ‘quomodo,’ ait, ‘hæc verba etiam Donatus vel scripta invenit, vel certe ordinari voluit.’ *Et tamen* Bent. eleganter. Quam lect. et postea se ap. Euphrasium reperisse idem affirmat. Al. *sed.* Perlet. ‘Nisi elidas in argumento syllabam, non constat trimeter : aut nisi legas *diss. arg. sunt.*’ Erasmus. *Set* Both.—13 Post ‘Per.’ vult Bent. *hic* : quod edidit Perl. ‘Quæ emend.’ ait Both. ‘confirmari videtur codice B, in quo post ‘Per.’ verbum quale *hij*, i. e. *hi*, vel quiddam simile, evidenter erasum est.’ Monet Perlet *hic* non habere Guelf. 2. 3.—15 Goveanus *Isti id* ex libb. antiquis ob metrum. West. Gu. 1. *in eum*, prave legente librario. Both.—16 In quibusd. Mss. *debre*. West. Exemplar Bibliothecæ Regis Galliar. *debre*. Lind.—

## NOTE

9 *Menander*] Fuit Poëta Græcus, princeps novæ Comædiæ, de quo Ovidius lib. 1. Am. ‘Dum fallax servus, durus pater, improba Iena Vixerit, et meretrix blanda, Menander erit.’ Ad ejus exemplum Terentius se composuit ; ideo dimidiatus Menander a C. Cæsare nominatus fuit.

*Perinthiam*] Perinthia Comædia Menandri dicta a Perintho, urbe

Thraciæ, quæ *Pera* est Volaterrano, *Rodosto* Belonio, *Pantiro* Castaldo.

13 *In Andriam, ex Perinthia transtulisse*] Donatus ait Terentium primam Scenam Perinthiæ Menandri in suam Andriam transtulisse.

16 *Contaminari non decere fabulas*] Contaminari res dicitur, cum alteri rei ita immiscetur, ut neutra incorrupta maneat. Livius lib. iv. ‘Contaminari sanguinem suum patres, con-

Faciunt, næ, intelligendo, ut nihil intelligant;  
 Qui cum hunc accusant, Nævium, Plautum, Ennium  
 Accusant; quos hic noster auctores habet:  
 Quorum æmulari exoptat negligentiam 20  
 Potius quam istorum obscuram diligentiam.  
 Dehinc ut quiescant, porro moneo, et desinant  
 Maledicere, malefacta ne noscant sua.

*Certe, dum nimium intelligentes videri volunt, ostendunt se nihil intelligere: nam, cum hunc Poëtam nostrum reprehendunt, etiam reprehendunt insignes Poëtas Latinos, Nævium, Plautum, Ennium; quorum auctoritatem Terentius sequitur; quorum imitari exoptat liberam et negligenti similem in transferendo curam, potius, quam istorum servilem et affectatam in reddendis verbis operam, præ nimia diligentia obscuram. Verum his denuntio, ut in posterum taceant quieti, et desinant maledicere, ne malefacta sua videant manifesta omnibus fieri. Vos quidem, specta-*

//////////

17 Josephus Scaliger ad Propert. iv. 2. 68. legebat, *Faciunt, ne intelligendo ut nihil intelligant.* Quasi duæ negativæ unius vicem sustineant. Duriuscule, si quid video. Turnebus mallet interrogative, *Faciuntne intelligendo, ut nihil intelligant?* Quo modo tamen plures jam dudum ante eum legisse, Guido Juvencialis auctor est. Quin jam Donati ætate ita a quibusdam lectum, palmario argumento utitur Turnebus, quod τὸ ΝΑΕ, formatum e Græco ΝΑΙ, sit fere initiale. Contrarium autem est vel Heaut. v. 1. 45. 'At, næ, illud haud inultum, si vivo, ferent.' Cum Turnebo tamen videntur facere Tanaq. Faber et Dacieria. Gravior autem erit sententia, si legas, ut edidi, utque est in vulgatis. West. Sed et Fr. Sanctius videtur legisse *ne*. Is enim hunc l. respiciens scribit Minerv. ii. 19. init. 'Rogabo ego illos, cur velint artes confundere, et facere ut ne intelligendo nihil intelligant?' *Id. in Add. Næ ferri potest.* Nostri libb. omnes [sc. A B C Gu. 1. 2. Hel. Et sic semper intellige.] *ne*, et sic Bent. *Both.* *Næ* mutand. in *ne*, et cum interrog. proferendum. *Eugraphius.* Et sic habet Br. *Næ* anteponunt R. D.—19 *Habuit* Br.—20 *C spectat*, haud male. *Both.*—25 *Par. pernoscat is.* *Dami-*

#### NOTÆ

fundique jura gentium rebantur.' Sic Lavinii vitio dabat, quod Terentius mutuabatur ex Menandro ea quæ in rem suam faciebant, et ex multis Comœdiis unam faceret.

20 *Quorum æmulari exoptat negligentiam*] Imitandi modus alius est servilis, alius vero ingenuus. Servilis ille est, cum quasi superstitione quadam ab eo, quem imitandum nobis proposuimus, ne transversum quidem digitum discedere audeamus: idcirco Horatius ait: 'O imitatores, servum pecus! ut mihi sæpe Bilem, sæpe jocum vestri movere tumultus!'

Ingenua imitatio est, quando non verbum verbo reddimus; sed sic aliena tractamus, ut non pro alienis habeantur, sed agnoscantur pro nostris: unde Horatius in Arte: 'Nec verbum verbo curabis reddere fidus Interpres.' Subaudiendum, ut. Quo loco non negat fidi esse Interpretis verbum verbo reddere: sed negat boni Imitatoris esse id facere, ut vult quoque Seneca Epist. LXXXV. Similis debet esse imitator, quomodo filius; non quomodo imago. Certe operæ pretium erit hanc epistolam perlegere. Eadem sentit Terentius.

Favete, adeste æquo animo, et rem cognoscite,  
 Ut pernoscatis, et quid spei sit reliquum, 25  
 Posthac quas faciet de integro Comœdias, *renewed*  
 Spectandæ, an exigendæ sint vobis prius.

*tores, favete; adeste benevoli, et spectate attentè hanc Comœdiam; ut persciter noscatis, quæ spes habenda sit de reliquis, quas de novo Poëta faciet: utrum debeat is eas spectare, an e scena excludere.*

nat West. 'Expressi et quid pro *ecquid*, quod ita esset in plusculis Mss.' West. 'Est casca scriptura et quid pro *ecquid*: ita tamen ut *etquid* pro uno verbo veniat, et quid sit encliticum. Semel monuisse sat erit.' Bent. Ut p. quid spei sit reliq. Br. Vulgo *relliquum*, metro laborante. Both. qui exhibet *reliquum*, cum *spe*: ut et *ecquid* cum Perl. Vult Gov. Ut et is *pernoscat*, quid sp. &c.—26 Post hac Br. Post hic Both.

## NOTE

27 *Exigendæ*] Id est, expellendæ. cyræ: 'Partim earum sum exactus: Sic idem Terentius in Prologo He- partim vix steti.'

---

 ACTUS† I. SCENA I.

SIMO. SOSIA.

SI. Vos istæc intro auferte: abite. Sosia,  
 Adesdum: paucis te volo. SO. Dictum puta:  
 Nempe ut curentur recte hæc. SI. Immo aliud. So. Quid  
 est,

SI. Vos, servi, tollite ista, quæ emi apud forum, et inferte ea in cædes: festinate. Sosia accede. Paucis verbis volo tecum loqui. So. Puta te jam mihi dixisse, quod volebas, et me id intelligere; nempe ut hæc obsonia, quæ emisti, recte apparentur?

1 Br. ista hæc, et alibi.—5 Guelf. 1. omitt. arte.—6 Edit. iis: quanquam

## NOTE

† *Actus*] Actus, majores sunt fabulæ partes; Scenæ, minores. Actus vocantur, quia variæ in quoque Actu sunt actiones. Scena Græce significat tentorium; nam præcis temporibus ante usum Theatrorum sub frondibus et umbraculis agebant.

Scenæ in fabula sunt, cum novarum personarum egressus et ingressus fiunt e Scena in Theatrum.

2 *Paucis te volo*] Duplex hic defectus orationis, nam 'verbis' et 'alloqui' desiderantur.

Quod tibi mea ars efficere hoc possit amplius?

SI. Nihil istac opus est arte ad hanc rem quam paro; 5

Sed iis, quas semper in te intellexi sitas,

+ (Fide et taciturnitate.) SO. Expecto quid velis.

SI. Ego postquam te emi, a parvulo ut semper tibi

Apud me justa et clemens fuerit servitus

Scis: feci, e servo ut esses libertus mihi, 10

Propterea quod serviebas liberaliter.

Quod habui summum pretium, persolvi tibi.

SO. In memoria habeo. SI. Haud muto factum. SO. Gau-  
de.

Si tibi quid feci, aut facio, quod placeat, Simo,

Et id gratum fuisse advorsum te, (habeo gratiam.) + 15

Sed hoc mihi molestum est: nam isthæc commemoratio

SI. Immo aliud est. SO. Quid est aliud præter hoc, quod tibi mea ars efficere possit? SI. Nihil ista tua arte opus mihi est ad hanc rem, quam paro facere; sed his virtutibus (quas semper cognovi in te esse positas) fide et taciturnitate in secretis celandis. SO. Expecto quid velis me facere. SI. Ego, postquam te emi tunc, cum puer esses, scis, ut in conditione servili te semper habuerim clementer et moderate. Feci ut esses libertus mihi patrono; non amplius servus domino. Præmium quam potui maximum, libertatem dedi tibi; quoniam libenter, ut liberi homines solent, non invite, ut servi, serviebas mihi. SO. Id in memoria habeo. SI. Nollem non factum esse. SO. Lætor, si quid bene de te merui, aut adhuc mereo, quod probes, Simo; et id tibi placuisse in beneficii loco habeo: verum hæc quæ dicis mihi molesta sunt; nam hæc ista longa recensio tuorum in me beneficiorum

notæ præferunt his. Bruns. His exhibent Gnelf. 2. Br. et ed. Both.—8 Emi a parvulo, ut Br.—9 Fuit Gnelf. 1. et tua in fin.—10 Edit. e. Interpungunt edition. post 'mihi,' atque ita scholia impr. et Bent. Bruns. Ex dat Perl. Legit Br. ex serro ut esses libertus, mihi Propt.—11 Guy. præfert servib. Perlet. Idem in V. C. Paris. legi Pareus auctor est. West. V. C. servib. Lind. Scribe servib. Bent.—12 Q. s. ego h. p. dat Both.—13 Cum Palmerio sic distinguendum esse censeo: haud muto. (h. e. me non pœnitet.) So. factum gaudeo. Bent. Sed res eodem redit. R. D. Alii legunt fatum. Præstat lectio vulg. West. Bentleium sequitur Both.—14 Ed. tibi quid. Ed. placet, improbante Bent. Bruns. Placeat: sic B C Hel. quod et elegantius vulgato et metro aptius. Both. Si q. t. Br. Placet.—15 Gratium id vult Gov.—16 Set hoc m. Ita codd. Gu. et Hel. neque aliter Bent. codd. haud dubie secutus suos. Vulgares tamen librarii et editores, versui timentes,

## NOTE

10 Libertus] Libertus, est servus manumissus a domino; id est, servitute liberatus; nam manus significat potestatem.

12 Summum prætium] Libertas dicitur inæstimabilis a Jurisconsultis.

15 Id gratum fuisse advorsum te] 'Adversum' hic significat, erga.

Quasi exprobratio est immemoris beneficii.

Quin tu uno verbo dic, quid est, quod me velis.

SI. Ita faciam. Hoc primum in hac re prædico tibi;

Quas credis esse has, non sunt veræ nuptiæ. 20

So. Cur simulas igitur? SI. Rem omnem a principio audies;

Eo pacto et gnati vitam, et consilium meum

Cognosces; et quid facere in hac re te velim.

Nam, is postquam excessit ex ephēbis, Sosia,

Liberius vivendi fuit potestas: nam antea 25

Qui scire posses, aut ingenium noscere,

Dum ætas, metus, magister prohibebant? So. Ita est.

SI. Quod plerique omnes faciunt adolescentuli,

*est quasi exprobratio et accusatio facta in eum, qui accepti beneficii oblitus est. Sed age dic semel et breviter, quid est, quod velis me facere. SI. Ita faciam; dicam. Hoc ab initio te monitum volo: hæc nuptiæ, quas credis esse veras, veræ esse a me simulantur. So. Cur simulas igitur? SI. Rem omnem a principio audies, simulque cognosces, quæ sit ratio vitæ filii, et quod meum consilium, et quid facere in hac re te velim. Nam, Sosia, is filius meus postquam egressus est annos primæ adolescentiæ, major ei vivendi arbitrio suo libertas concessa est. Nam antea quomodo quis posset scire aut noscere ingenium ejus, dum ætas puerilis, metus, magister ei moderabantur, et vitii causam præcidebant. So. Ita est, ut dicis. SI. Quod plerique omnium adolescentulorum solent facere, ut animum ad aliquod exercita-*

*Sed m. h. Saltem dedissent S. mi h. sed neutro indigemus. Both.—17 Guy. Bent. immemori. Perl. Dat Both. Quasi beneficii immemoris exprobratio est. Beneficii legend. notant R. D. Vult Gov. Sed mi h. m. e. n. i. c. est Q. ex. i. beneficii.—19 Hoc primum prædicto tibi Br. Vult Gov. in re hac.—21 Cur i. s. Br.—22 Pro Eo notant aliter legi Quo glossæ ejusdem. Sic habent: 'vel quo.' Hæc varia lect. ait Bruns, ab editoribus non annotatur.—23 Vel te h. in re. Erasmus. Te in h. re v. Br.—25 Illud Liberius, cum non minus sententiæ, quam metro officiat, muta in Libera, posito in versu antecedente post 'Sosia,' ac. Ceterum reliqua senis oratio, inde a verbis 'nam,' ad 'cohibebant,' per parenthesin est intelligenda. Bent. V. viv. fuit pot. inconcinne quidem. Bent. Libera, minus probabiliter. Both. qui dat Liberius viv. est pot. Exhibet Br. Lib. f. v. p. Vult Gov. Fuit viv. lib. pot.—27 Vult Bent.*

#### NOTE

16 *Sed hoc mihi molestum est*] Apte ad hanc sententiam Cicero inquit: 'Odiosum sane genus hominum, officia exprobrantium; quæ meminisse debet potius is, in quem collata sunt, non commemorare, qui contulit.'

24 *Excessit ex ephēbis*] "Ηβη, est extrema pars pueritiæ, prima ado-

lescentiæ. Ephēbus est, qui ad ætatem adolescentiæ pervenit, ad decimum quintum ætatis annum.

26 *Qui scire posses, aut ingenium noscere*] Ingenium ejus, qui in potestate est, nosci non potest, cum is sui animi non sit rector, nec ei liceat, quod libet, facere.



Ut animum ad aliquod studium adjungant, aut equos  
 Alere, aut canes ad venandum, aut ad Philosophos : 30  
 Horum ille nihil egregie præter cetera  
 Studebat ; et tamen omnia hæc mediocriter.  
 Gaudebam. So. Non injuria : nam id arbitror  
 Apprime in vita esse utile, ut NE QUID NIMIS. ) +  
 Si. Sic vita erat : facile omneis perferre ac pati ; 35  
 Cum quibus erat cumque una, iis sese dedere ;  
 Eorum obsequi studiis ; advorsus nemini :  
 Nunquam præponens se illis : ita facillime  
 Sine invidia laudem invenias, et amicos pares.  
 So. Sapienter vitam instituit : namque hoc tempore 40  
 OBSEQUIUM AMICOS, VERITAS ODIUM PARIT.  
 Si. Interea mulier quædam, abhinc triennium,

*tionis genus adjungant ; aut equos alere, aut canes venaticos, aut Philosophis operam dare : ex his omnibus studiis nullum vehementius quam alia affectabat, et tamen his omnibus mediocriter studebat. Gaudebam hoc ingenio eum esse. So. Non sine causa gaudebas : nam id arbitror in primis utile in vita esse, Ut ne quid agas supra modum. Si. Sic ejus vitæ institutum erat ; facilitate et suavitate morum, omnes perferre ac pati, quibuscumque una conversabatur ; horum voluntati sese accommodare, eorum obsequi studiis, nemini repugnans, nunquam se illis præferens : quæ ratio facilis est ad laudem comparandam, et amicos sibi conciliandos. So. Sapienter vitam instituit ; namque, ut tempus est, Obsequium amicos, veritas odium parit. Si. Interea dum Pamphilus sic honeste vivebat, tres abhinc*

//////////

*Dum eum . . . cohibebant.—30 Autve ad Ph. Guelf. 1.—33 Vult Bent. nam id ego arb.—35. 36 Pati Cum q. erat, cumque una iis Br. Pati, Cum q. erat c. una. iis Z. Sententia adjuvanda est distinctione hac : facile omnes perferre ac pati : (sc. ignotos etiam) cum quibus erat cumque una, iis sese dedere ; (sodalibus) Bent. Hel. his pro iis. Guelf. 2. iis una sese collocat.—37. 38 Verba advorsus . . . illis sunt interpolata putanda, ob tautologiam, quam efficiunt, et constructionem, quam turbant. Bent. Adv. nem. eor. st. obs. ed. Both.—38 Illis. In vetustiss. edd. sed et Mss. quibusd. aliis. West. Conjecit Gov. Præp. se aliis nunquam : ‘ita,’ ait, ‘et versus vult, et orationis efflagitat venustas. Aliis esse legend. et codex me monuit pervetustus, et aliis quoque video placuisse.’ Ut post ‘ita’ inserunt Guelf. 3. Br. Hic et habet se pr. il. At huj. cod. diversam verborum collocationem fere negligendam esse cum Bruns. putavimus : nam, cum, ut ejus utamur verbis, non secundum metri leges codex exaratus sit, non multum inde subsidii ad constituendum metrum expectari potest.—39 Invenias laudem vult Gov.—43 Huc vicinia.*

#### NOTÆ

30 *Aut ad Philosophos*] Ellipsis est Terentiana : potest enim subintelligi, ire, animum applicare. 36 *Cum quibus erat cumque*] Tmesis est, sive sectio pro, cum quibuscumque erat.

Ex Andro commigravit huc viciniæ,  
Inopia et cognatorum negligentia

+ Coacta, (egregia forma,) atque ætate integra. 45

So. Hei vereor, ne quid Andria apportet mali.

Si. Primum hæc pudice vitam, parce, ac duriter

Agebat, lana ac tela victum quæritans :

Sed postquam amans accessit, pretium pollicens,

Unus, et item alter ; ita ut ingenium est omnium 50

Hominum ab labore proclive ad libidinem ;

Acceptit conditionem, dein quæstum occipit. +

Qui tum illam amabant, forte, ita ut fit, filium

Perduxere illuc, secum ut una esset, meum.

Egomet continuo mecum : Certe captus est ! 55

Habet ! observabam mane illorum servulos

Venientes aut abeuntes : rogitabam : Heus puer,

*annos, scæmina quædam ex Andro insula in hanc viciniam se contulit, egestate et negligentia propinquorum coacta : eximia formæ specie, et florenti ætate. So. Hei timeo ne quid ista Andria apportet mali. Si. Primum hæc pudice, frugaliter, et laboriose vivebat ; nendo lanam et texendo telam victum quæritans. Aliquot amantes accesserunt pretium libidinum pollicentes. Ita, ut ingenium est omnium hominum a labore proclive ad libidinem, consensit pollicitationibus ; deinde cepit quæstum corpore facere. Qui tunc illam amabant, forte (ita ut fit) illuc filium meum perduxerunt ad Chrysidem, ut una cum illis convivarentur. Egomet statim cæpi mecum cogitare ; Captus est certe amore, habet vulnus. Observabam mane illorum servulos venientes ad Pamphilum, aut abeuntes. Scæpe*

//////////

Plaut. Mil. II. 3. 2. 'Hic proximæ viciniæ.' Ut adeo non opus sit tneri *huic viciniæ*, quod ex Nonio, Prisciano, et Charisio laudant Muretus, Lind. et Par. West. In regio exemplari *huic*. Lind. Nostri codd. omnes vitiose legunt *huic*. Bent. *Huic* et Br. et Guelf. 2. 3.—44 Bent. *nec negligentia*, etymo nec indagato, sicut *nec-otium*, h. e. *negotium*. Perl.—46 *Ei v.* Br.—48 *Lana et t.* Br. Guelf. 2.—51 *Ab l.* Sic Gu. 1. quod elegantius vulgato *a l.* Bothius. *A l.* etiam Br. Z.—54 Ita quædam editiones recte exhibent. Vulgo, *illuc secum, ut una esset*. West.—57 *Cogitabam* Br.—59 *Friget illi. C. Illi hoc e. n.*

#### NOTE

43 *Huc* [*Huic*] *viciniæ*] Id est, in hanc viciniam. Dativus pro Accusativo, ut Nonius et Priscianns annotarunt. Donatus legit, huc viciniæ.

46 *Hei vereor*] 'Hei,' interjectio timentis et dolentis.

56 *Habet*] Vulneratus est. Translatio ab Amphitheatro ; ubi, cum Gladiatores vulnus acceperunt, habere dicuntur. Virg. XII. Æn. 'Hoc habet : hæc melior magnis data vicima Divis.'

57 *Heus*] Adverbium vocantis.

Dic sodes, quis heri Chrysidem habuit? nam Andriæ  
 Illi id erat nomen. So. Teneo. Si. Phædrum, aut Cliniam,  
 Dicebant, aut Niceratum; nam hi tres tum simul 60  
 Amabant. Eho, quid Pamphilus? Quid? symbolam  
 Dedit, cœnavit: gaudebam. Item alio die  
 Quærebam: comperiebam, nihil ad Pamphilum  
 Quicquam attinere: enimvero spectatum satis  
 Putabam, et magnum exemplum continentiæ: 65  
 Nam, qui cum ingeniis conflictatur ejusmodi,  
 Neque commovetur animus in ea re tamen,  
 Scias posse habere jam ipsum suæ vitæ modum. †

*ab his quærebam: Heus, puer, dic, quæso; quis heri Chrysidem habuit? Nam hæc Andria sic nominabatur. So. Scio. Si. Respondebant, Phædrum, aut Cliniam, aut Niceratum; nam hi tres tunc simul amabant Chrysidem. Eho, dicebam, quid Pamphilus fecit? Quid fecit? respondebant: partem suam contulit ad convivium, cœnavit. Gaudebam hæc audiens. Similiter alio die interrogabam; comperiebam nihil agi quicquam, quod ad Pamphilum attineret. Certe putabam eum satis a me exploratum esse, et magnum exemplum continentiæ exhibere. Nam, qui cum hominibus talis ingenii conversatur, neque tamen eorum consuetudine ad libidinem impellitur, crede jam posse ipsum vitæ suæ modicamen et regimen*

Both. qui dat *Illud erat n.*—60 Al. *Dicebat*, non inepte. *Perl.* Sic Br. ubi in *Glossis Bruns* notat: ‘*Edit. Dicebant*: atque ita nunc in cod.’ Tum omitunt Br. et ed. *Perl.* qui monet: ‘*Guelf. 1.* post ‘tres’ leg. *tum.* *Guelf. 2.* *tum* post ‘hi.’’ Bent. vult *Aut Niceratum dicebant.*—61 *Præstat symbolam* legere, quam *symbolum*, quod est in nonnullis Mss. et recepit nuper *Daciera*. *West.* *Symbolam*: ita Ms. *Lind.* *Symbolam* Bent. ex Vat. et Bas. aliisque. *Erasm. symbolum.* *Perl.*—62 *Itidem* ed. Both.—64 *Lind.* et *Par.* ex Ms. *Paris.* *attingere* citant. *West.* *Quicq.* non hab. *Guelf. 2.*—66 *Conj. Gov.* *conflictat* ob metrum.—67 *N. commoveatur a. in ea re, tamen Scias* Br. ‘*Tamen. M. tum.* *Gnyetus* delet, legens, *Neque commoveatur animus in ea re, scias, Potesse habere jam ipsum suæ vitæ modum.* Sed et *tum* legebant *Gov.* et *Fr. Fabricius.* *Pareus* τὸ *tamen* frustra mutari ait: recte; nam et *Donatus* legit, et appositum magis est, præterquam quod in plerisque omnibus Mss. legitur.’ *West.*—68 *In exemplari vetusto scriptum reperio, in ea re, scias Tum jam ipsum hab. posse s. r. m.* quæ sine controversia vera est lectio. *Gov.* *Lege* ex cod. *Aca-*

## NOTE

58 *Dic sodes*] *Priscianus* ait verbum esse defectivum, pro, si andes: ut sis, pro, si vis. *Precationem* vel *exhortationem* denotat.

61 *Symbolam Dedit*] *Dicitur symbolum* et *symbola* a *συμβάλλω*, confero. Inter alia significata, est pecunia, quæ erogatur a quolibet con-

vivarum. Latine, collecta. Gallice, *l'escot.*

66 *Conflictatur*] *Confligi* et *conflictari* res aliqua dicitur, cum ad aliam atteritur et affricatur: ut cum lapis ad ferrum igniarii alliditur, ad eliciendam scintillam.

Cum id mihi placebat, tum uno ore omnes omnia  
 Bona dicere, et laudare fortunas meas, 70  
 Qui gnatum haberem tali ingenio præditum.  
 Quid verbis opus est? hac fama impulsus Chremes  
 Ultro ad me venit, unicam gnatam suam  
 Cum dote summa filio uxorem ut daret.  
 Placuit; despondi: hic nuptiis dictus est dies. 75  
 So. Quid obstat, cur non veræ fiant? Si. Audies.  
 Fere in diebus paucis, quibus hæc acta sunt,  
 Chrysis vicina hæc moritur. So. O factum bene!  
 Beasti; metui a Chryside. Si. Ibi tum filius  
 Cum illis, qui amabant Chrysidem, una aderat frequens; 80  
 Curabat una funus; tristis interim,

*habere. Cum hoc mihi pergratum erat, tum omnes una voce omnia bona mihi de illo dicebant, et me fortunatum omnino esse prædicabant, qui filium haberem tam bonæ indolis. Quid pluribus verbis opus est? Hoc secundo rumore adductus Chremes cupide me convenit, ut unicam suam filium cum grandi dote uxorem daret filio meo. Placuit conditio mihi, itaque promisi sponsione filium meum ducturum Chremetis filiam. Hic nuptiis faciendis constitutus est dies. So. Quid ergo impedit quominus reipsa hæc nuptiæ fiant? Si. Audies. Circiter dies paucos, quibus hæc acciderunt, Chrysis hæc vicina moritur. So. O factum bene! Beatum me reddidisti. Metui Pamphilo ab istius Chrysidis consuetudine. Si. Tunc temporis filius meus frequenter aderat in domo mortuæ, cum illius amatoribus. Apparabat una*

\*\*\*\*\*

demico, S. p. jam hab. Bent. Quo modo dat Perl.—69 Tum pro Cum Br. Gnelf. 1. 2.—70 Gu. 2. benedicere, ex int. Both.—72 Compulsus. Sic Gu. 1. quod versus aptissimum: modo tollas vulgatum est, quod post 'opus' ascriptis nescio quis interpret. Id. Comp. Gnelf. 3. Vide nostrum Elenchum Alphabeticum. Sat erit semel monuisse.—76 In Mss. quibusd. et edd. vetustiss. Q. igitur obs. West. Igitur habet Br. In glossis illius cod. notat Bruns: 'Edit. omittit igitur. Sed Bent. in omn. suis eodd. reperiri [et recte reperiri] ait. Idem delere jubet veræ, pro quo Ms. noster vere. Aliter interpungunt hunc vs. edit.' De suo cod. notare pergit Bruns: 'A pr. m. fiunt, quæ vox interpunctioni congruit. Sed est mutata fortasse ab ipso scriba in fiunt.' Interpungit sc. Br. Q. i. obstat? Cur, &c. 'Erasm. omittit igitur; quo retento putat veræ expungend.' Perl.—77 Fere in d. p. Ita omnes libb. Tamen Charisius diversam lectionem affert, lib. 11. in voce 'Ferne.' Lind.—79 F. F. e 7. Mss. Prisciani, lib. VIII. hei m. a C. West. Ei insertum videtur a sec. m. Deest in edit. Bruns, qui de suo cod. loquitur. Tres eodd. nostri habent, beasti; ei m. a C. Hanc lect. comprobant Donati liber, auctoritas Prisciani, et sensus elegantia. Bent. Gu. 1. ei m. B. chi m. Hel. me; hei m. Gu. 2. m. ei a C. Sed nihil muto. Both. Ei inserit Perl.—80 Mallet, si per eodd. liceret, amabant. West. C. i. q. amabant, una a. f.

#### NOTÆ

75 Despondi] Per mutuas stipulationes et sponsiones matrimonia contrahantur. Hinc sponsalia, sponsiones et sponsiones matrimonia contrahantur, et sponsa.

Nonnunquam collacrymabat. Placuit tum id mihi:  
 Sic cogitabam: Hic, parvæ consuetudinis  
 Causa, hujus mortem tam fert familiariter:  
 Quid, si ipse amasset? quid hic mihi faciet, patri? 85  
 Hæc ego putabam esse omnia humani ingenî,  
 Mansuetique animi officia. Quid multis moror?  
 Egomet quoque ejus causa in funus prodeo,  
 Nihil suspicans etiam mali. So. Hem, quid est? Si. Scies.  
 Effertur: imus. Interea inter mulieres, 90  
 Quæ ibi aderant, forte unam aspicio adolescentulam,  
 Forma! So. Bona fortasse. Si. Et vultu, Sosia,  
 (Adeo) modesto, adeo venusto, ut nihil supra.  
 Quia tum mihi lamentari præter ceteras

*funus. Aliquando collacrymabatur. Placuit tunc id mihi. Sic cogitabam; hic, ob conversationem brevis temporis, mortem hujus mulieris ægre fert adeo, ut si familiaris ei longo tempore fuisset: quid si eum amasset? quid mei, qui pater sum, causa non faciet? Hæc ego officia putabam esse ingenîi humani, et benigni. Quid te pluribus verbis detineo? Egomet quoque ejus casu in funus prodeco, nondum habens eum suspectum de amore. So. Hem, quid est? Si. Tu audies. Exportatur cadaver. Imus. Interea inter mulieres, quæ ibi aderant, forte unam aspicio adolescentulam, forma. So. Bona fortasse. Si. Et vultu, Sosia! adeo modesto, adeo eleganti, ut nihil supra dici possit. Quia tunc mihi visa est lamentari plus-*

meus Both. ed. qui *meus* in vs. præc. post 'filius' legi in Hel. notat. *Anurant accipiunt Bent. Perl.—84 Alii, flet. Glossæ τὸν Br. Causa ad prior. vers. Guelf. 1.—85 Minimam στιγμήν posui post faciet, quod ita ἐμφατικώτερον videretur τὸ patri; tum quod Donatum ita pronuntiasse viderem. West. Non sequuntur alii. Lego quid mihi hic. Bent. quem sequitur Perl. Hic quid mihi Both.—89 Quid id est Br. Perl. Both. 'Tres codd. legunt quid id est. Recte.' Bent. 'Vulgo, quid est, solito errore. Sequor B C Gu. 1.' Both. Guelf. 3. abest etiam.—91 Vult Gov. Q. i. a. asp. forte adol.—92 Bent. Forma bona . . . Sosia. Fortasse. O vulgatis abest: extat in Gu. 1. quod placet. Both. qui edidit Forma . . . Sosia. Bona f. SIMO. Et v. o S. Primam versus partem sic etiam dat Perl.—93 Discrepant exemplaria Prisciani lib. XIV. Adeo modesta, adeo venusta. Lind. Abest Guelf. 2. adeo posterius, posito atque in ejus locum. Perl.—94 Quæ tum V. C. Lind. Sic Br. quod probandum videtur, judice Bruns. 'Nostri codd. summo consensu et edd. priscæ pro Quia tum legunt Quæ tum. Vera lectio est Quæ cum.' Bent. Quæ cum dat Perl. quod vocat elegantius quam Quia tum, et Both. notat*

## NOTE

90 *Effertur*] Verbum funebre: solebant enim corpora mortuorum alte ferri humeris a propinquioribus, ut Metellus elatus fuit a filiis tribus Consularibus, duobus Triumphalibus, uno

Censorio, et altero Prætoro.

93 *Adeo venusto*] Id est, pulchro: a Vencre. Venustas proprie de feminis dicitur; dignitas de viris.

Visa est; et quia erat forma præter ceteras  
 Honesta et liberali; accedo ad pedisequas;  
 Quæ sit, rogo. Sororem esse aiunt Chrysidis.  
 Percussit illico animum: At at! hoc illud est!  
 Hinc illæ lacrymæ! hæc illa 'st misericordia!  
 So. Quam timeo, quorsum evadas! Si. Funus interim 100  
 Procedit: sequimur: ad sepulcrum venimus:  
 In ignem imposita 'st: fletur. Interea hæc soror,  
 Quam dixi, ad flammam accessit imprudentius,  
 Satis cum periclo: ibi tum exanimatus Pamphilus

*quam ceteræ, et quia illa erat forma omnium venustissima, et maxime ingenua; accedo ad ancillas, quæ illam sequebantur; quæ sit, ab his quæro. Sororem respondent esse Chrysidis defunctæ. Hoc responsum illico mihi commovit animum. At at, mecum dicebam, hinc illæ lacrymæ stuebant, hæc res, illa causa est, cur Pamphilus tam officiosus erat in curando funere; hæc excitavit illum ad tantam misericordiam erga Chrysidem. So. Quam timeo, ad quem finem procedat tuus hic sermo. Si. Interim exequiarum pompa progreditur: sequimur, ad sepulcrum venimus, in rogam posita est, deploratur. Interea hæc soror, de qua locutus sum, ad flammam appropinquavit inconsideratius; satis cum periculo: ibi tunc exanima-*

//////////

plane legi in cod. Gn. quem hand malæ notæ esse censet. Versus 94—96. sic diminuit Bothius: *Quæ c. m. l. p. c. V. est, et, qua erat, forma, acc. ad ped.*—96 *Ac lib. Guelf. 2. Pediseq. Br. G.M. et ed. Perl.*—98 Qui Percussit defendunt, in Grammaticam peccant. *West. Percuss. Donat. et vett. omnes. Vulg. percussit. Lind. Mutata est lectio [percuss.] in percuss. quam rejecerunt edd. Bruns ad Br. Post 'anim.' add. pavor Guelf. 1. Perl. Attat vult Gov. hic et alibi.*—99 Pro *Hinc lege Hæc.* Nam, præterquam quod tres codd. ita legunt, aliter versus sustentari nequit, nisi amplectaris archaismum *Hæc pro, Hæ. Bent. Hæc dat Both. Est pro 'st Br. et Both.*—100 Priscian. *Inst. Gram. lib. xviii. evadat. West.*—102 *Imp.* Ita edidi ex Mss. quibusd. Sed et ita recensuit olim Heinsius. *Id. Imp. reg. cod. Lind. Imp. B et C. Both. Imp. codd. nostri plerique omnes habent. Recte. Bent. Imp. defendunt R. D. Posita Guelf. 1. Est pro 'st Br. Both.*—104 *Et cum periculo Br.* ubi Bruns notat: 'Hæc lect. est sequior. Olim enim legebatur, ut ex spatio lituræ vestigiisque binarum literarum ss conjici potest, *Satis*, neque

#### NOTÆ

95 *Forma Honesta*] Id est, eleganti. Horat. Sat. 2. lib. 1. 'Neque, si quid honesti est, Jactat, habetque palam; quærit quo turpia velet.'

96 *Et liberali*] Sic liberale ingenium dicitur, libero homine dignum.

102 *Fletur*] Cadavere in rogam collocato, deflebatur a propinquis;

unde deplorata corpora mortuorum dicuntur, quibus ultimus luctus persolutus est. Et, per metaphoram, morbus deploratus, ægroti deplorati, quibus nullo remedio succurri potest: et deplorata Resp. id est, eversa, de qua nihil melioris spei superest.

Bene dissimulatum amorem et celatum indicat. ✕ 105

Accurrit: mediam mulierem complectitur:

Mea Glycerium, inquit, quid agis? cur te is perditum?

Tum illa, (ut consuetum facile amorem cerneret,)

Rejecit se in eum, flens, quam familiariter.

So. Quid ais! Si. Redeo inde iratus, atque ægre ferens. 110

Nec satis ad objurgandum causæ. Diceret:

Quid feci? quid commerui, aut peccavi, pater?

Quæ sese in ignem injicere voluit, prohibui;

Servavi: honesta oratio est. So. Recte putas:

Nam, si illum objurges, vitæ qui auxilium tulit, 115

Quid facias illi, qui dederit damnum aut malum?

Si. Venit Chremes postridie ad me, clamitans,

Indignum facinus! comperisse, Pamphilum

Pro uxore habere hanc peregrinam: ego illud sedulo

*tus Pamphilus amorem, quem tantopere dissimulaverat et celaverat, demonstrat. Accurrit, mediam mulierem complectitur: Mea Glycerium, inquit, quid agis? cur te is perditum? Tunc illa reflexit se in eum admodum familiariter: ita ut quivis posset facile cernere amorem inter illos esse consuetum. So. Quid ais? Si. Redeo inde iratus, ægre ferens ea quæ Pamphilus ostenderat: nec tamen satis causæ habebam ad illum objurgandum; hoc enim mihi dicere potuisset: Quid feci! quam pœnam commerui? quod peccatum commisi, pater? Opposui me ei, quæ in ignem se præcipitare voluit; illam a morte liberari. Honestæ excusatio hæc est. So. Recte putas; num, si eum objurges, qui vitæ alicujus auxilium tulit, quid facias illi, qui dederit damnum, aut malum? Si. Venit Chremes ad me postera die, clamitans indignum facinus se deprehendisse; Pamphilum pro uxore habere hanc*

~~~~~

aliter edit. Eædem præferunt *periculo*.—109 Secutus sum hanc distinctionem, ut pateret, verum sensum esse, Glycerium flentem se rejecisse quam familiariter, atque inde consuetum utriusque amorem potuisse cerni. Paterus non minus significanter edidit: *Rejecit se in eum flens, quam familiariter!* West. quem sequitur Both. *Eum, flens quam* Br. Nullatenus interpungunt Perl. Z. Adeo facile est componere lites.—112 Post ‘aut’ add. *quid* Guelf. 1. *Perl.*—113 Barth. ad Stat. Theb. vi. 203. *projicere* legit. West.—114 *Ratio*, quod est in quibusd. Mss. non placet. *Id.* In quibusd. libb. teste Marcto, *ratio*: sed præstat *oratio*. Perl.—116 *Vulg. qui ded.* sed Bent. invertit, sicut *vitæ qui* vs. snp. *Perl.* qui Bent. hic sequitur. *Ei, qui damnum ded.* Both. *Facies* Guelf. 2.—118 M. et duo Leidd. *comperisse se*. Tr. hæc jungit, *indignum facinus comparisse*. Incertam distinctionem dicit Donatus. Præstat vero lectio vulg. West. Cum Tr. facit Br. *Facinus: comp.* Z. Se post ‘comper.’ inserit Guelf. 3.—119 Gu. 1. *sed. illud*: Hel. *id sed.* Both. qui edidit *Pro ux. pereg. hanc hab. Ego sed. Vult Gov. pereg. illi ego sedulo Negare fac-*

NOTÆ

109 *Quam familiariter*] Valia interpretatur per interjectionem: Quantum familiariter! et refert ad ‘flens.’ 119 *Ego illud sedulo*] Goveanus le-

Negare factum: ille instat factum: denique 120
 Ita tum discedo ab illo, ut qui se filiam
 Neget daturum. So. Non tu ibi gnatum? Si. Ne hæc
 quidem
 Satis vehemens causa ad objurgandum. So. Qui, cedo?
 Si. Tute ipse his rebus finem præscripsti, pater.
 Prope adest, cum alieno more vivendum 'st mihi: ? 125
 Sine nunc meo me vivere interea modo.
 So. Quis igitur relictus est objurgandi locus?
 Si. Si propter amorem uxorem nolit ducere,
 Ea primum ab illo animadvertenda injuria 'st.
 Et nunc id operam do, ut per falsas nuptias 130

peregrinam. Ego illud factum esse pernegare capi. Ille instat factum. Postremo ita tunc discedo ab illo, ut ab eo, qui negaret se daturum uxorem filiam meo filio. So. Non tu filiam tuam ibi objurgasti? Si. Ne hæc quidem causa satis valida fuit ad objurgandum. So. Dic mihi, quæso, cur non? Si. Nam is diceret mihi: Tu ipse, pater, terminus constituisti meis voluptatibus: prope adest tempus, cum vita mihi agenda erit ex voluntate alterius, sine nunc meo me vivere arbitrio. So. Quanam igitur alia occasio opportunior se dare potest ad eum objurgandum? Si. Si propter amorem uxorem nolit ducere, hæc primum punienda est mihi ab illo facta injuria. Et nunc id laboro, ut, prætextu simulatarum nuptiarum, veram objurgandi

~~~~~

*tum est.*—123 Vnlt idem Sat.—124 M. Tute his rebus. Leidd. omnes, Tute ipse. Gulielmus, componens cum verbis Ciceronis Verr. v. 63. 'Statui ego met mihi tum modum orationi meæ,' Nostrum ita citat: Tute ipse huic rei statuisti modum, pater. Crediderim, memoria lapsum, non inspecto Comico. West. Præscripsisti Z. Perl.—125 F. Dousa ad Lucil. i. 13. abest. Cic. de Senect. xxi. 'Propius absum.' Gisb. Cuperns legebat ex Mss. Prope est. Vid. Barm. ad Petron. cap. 127. West. Est Br. in cuius glossis adest videtur poni pro var. lect. Est pro 'st Br. Z. Perl. Both. Sed non idonea causa est cur de hoc plurem mentionem faciamus.—126 Mss. quidam S. n. me meo int. viv. modo. West.—127 In nostris fere omnibus libris est, Qui igitur, quod est recipiendum. Cod. Vaticanus veterrimus, teste ad Phædrum i. 31. Gudio, legebat relicuus h. e. reliquus. Sed recepta lectio est retinenda. Bent. Qui Br. et Ms. Par. et ed. Both.—128 Pro vulgari nolit, et Donati nollet, re-  
 pone nolet. Bent. Notet dant Both. Perl.—129 Ea pr. ab i. est an. inj. Nos ita, versu postulante, neque minore tamen vetustate, Ea pr. ab i. an. inj. est.

#### NOTE

git, Illi ego.

129 *Ea primum ab illo animadvertenda*] Pro ejus injuria, ab eo illata: sic Plaut. 'Foris concepuit a Sene,' id est, Senis. Lucret. 'Fulgur ab auro,' pro, auri. Cicero in Epist.

'Reus a Milone:' id est, accusatore Milone. Animadvertere injuriam pro, punire. Cicero in Verrem: 'Ea sunt animadvertenda peccata, quæ difficillime præcaveantur.'



Vera objurgandi causa sit, si denegat. )

Simul sceleratus Davus si quid consilii

Habet, ut consumat nunc, cum nihil obsint doli :

Quem ego credo manibus pedibusque obnixè omnia

Facturum ; magis id adeo, mihi ut incommodet, 135

Quam ut obsequatur gnato. So. Quapropter? Si. Rogas?

Mala mens, malus animus : quem quidem ego si sensero !

Sed quid opus est verbis ? Sin eveniat, quod volo,

In Pamphilo ut nihil sit moræ, restat Chremes,

Qui mihi exorandus est ; et spero confore. 140

Nunc tuum est officium, has bene ut assimules nuptias :

Perterrefacias Davum : observes filium,

(Quid agat, quid cum illo consilii captet.) So. Sat est.

*causam habeam : si nempe uxorem recuset : tum etiam ut sceleratus Davus, si quas fraudes excogitavit, eas totas effundat ; quoniam mihi nunc nocere ejus non possunt doli ; quem ego credo totis viribus conaturum magis certe propter id, ut mihi incommodet, quam ut obsequatur filio. So. Quapropter? Si. Quæris? mala mens, malus animus ejus ad id credendum me impellunt : quem quidem ego si sensero meis consiliis obsistere, acerbissime eum puniam : sed quid pluribus verbis opus est? Sin eveniat, id quod volo, ut in Pamphilo nulla sit mora nuptiis, restat Chremes placundus, quem spero facile me exoraturum. Nunc tuum est officium, ut has bene similes fore nuptias ; perterrefacias Davum, observes quid faciat filius, quid consilii cum Davo*

Gov.—131 Denegat Br.—133 Obsint. Ita Mss. et edd. veteres, quas vidi, omnes. Fa. *obsunt* malebat, cui assentitur Guy. Non male, nisi auctoritate destituerentur. West. Fa. contra codd. quos et ipse et ego vidimus, mavult tamen legi *obsunt* pro conjunctivo. Nec, quid intersit, video. Bent.—134 Vulgo *pedibusque*. Sed codd. nostri, præter Hel. *et pedibus*. Copula omissa fortior evadit oratio. Vidit Bent. Both.—135 *Facturum, magis, id adeo mihi* Br.—138 *Sine* Br. *Sine* ut Guelf. 1. Q. volo in Pamphilo, ut nihil sit moræ ; rest. C. Br.—141 *Simules* Guelf. 2.—141 Vict. *sequor*. Perlet. Sic Br. ubi

#### NOTÆ

135 *Magis id adeo*] ‘Adeo’ pro, certe, sine dubio. Virgil. 1. Georg. ‘Multum adeo rastris glebas qui frangit inertes.’ Sæpe sumitur pro, quoque, maxime apud Plantum. Subjectum post ‘atque’ auget significationem. Cicero pro Cluentio : ‘De foro atque adeo de civitate sublatus est.’ Apud Comicos sæpe est particula ornativa, seu expletiva, nihil ad sensum conferens, sed vel ad sermonis ornatum, vel ad metrum ex-

plendum adhibita. Terentius infra : ‘Propera adeo puerum tollere hinc a janua.’

137 *Quem quidem ego si sensero*] Est comminatio per reticentiam, sive ἀποσιώπησιν. Convenit irato hæc figura. Idem Terentius in Eun. Act. v. Sc. 5. ‘Ego te furcifer! si vivo; sed istud, quicquid est, primum expedi.’ Subintelligendum, puniam, ulciscar, vel quid simile.

Curabo. Eamus jam nunc intro. SI. I præ; sequar.

*capiat. So. Satis est. Curabo ea, quæ mihi imperas. Nunc jam introëamus domum. SI. Præcede, sequar.*

notat Bruns: 'Sic etiam alii codd. Edit. *sequar*, quæ l. est a correctoris manu in Ms.'

---



---

## ACTUS I. SCENA II.

SIMO. DAVUS.

SI. NON dubium est quin uxorem nolit filius:  
Ita Davum modo timere sensi, ubi nuptias  
Futuras esse audivit. Sed ipse exit foras.

DA. Mirabar, (hoc) si sic abiret: et heri semper lenitas  
Verebar quorsum evaderet. 5

Qui, postquam audierat non datum iri filio uxorem suo,  
Nunquam cuiquam nostrum verbum fecit, neque id ægre  
tulit.

SI. At nunc faciet; neque, ut opinor, sine tuo magno  
malo.

DA. Id voluit, nos sic nec opinantes duci falso gaudio,

*SI. Non dubium est mihi, quin filius neget se uxorem ducturum; adeo Davum modo timere sensi, ubi nuptias futuras esse audivit. Sed ipse exit foras. DA. Mirabar si hæc heri simulatio de nuptiis sine causa excogitata, et pro nihilo foret; vercharque, quem haberet exitum continua ejus et inusitata lenitas: qui, postquam audierat non datum iri filio suo uxorem filiam Chremctis, nunquam ulli servorum vel verbum dixit de hac re, neque id ægre ferre visus est: hanc filii scilicet rejectionem. SI. At nunc dicet tibi; faciet neque id, opinor, sine tuo magno malo. DA. Sententia ejus fuit, nos nihil suspicantes falso ducere gaudio per hanc lenitatem*

1 Quatuor hi versus in quibusdam Mss. etiam in Donato manu exarato, Scenam II. constituunt. *West. Pro filius, Pamphilus Guelf. 2. et natus 3.—2 Ut pro ubi 1.—4. Priores tres a præcedd. vss. non disjungit Both. at hic novum incipit dialogum. Dialogum dico, nam non ille has Fabulas per actus et scenas dividit. Par. conjunctim semper-lenitas. Assentior Guyeto, ait West. hyphen non agnoscenti in his verbis. Hic, aiunt R.D. 'semper' rectius jungitur cum 'verebar.'—5 Sic dividit Bothius: V. q. evaderet: qui, postquam*

### NOTÆ

4 *Mirabar*] Davus, postquam de bus exiens hæc secum metuens lo-  
Sosia futuras nuptias audivit, ædi- quitur.

Sperantes jam, amoto metu; interea oscitantes opprimi; 10  
Ne esset spatium cogitandi ad disturbandas nuptias.

Astute! Si. Carnifex, quæ loquitur! DA. Herus est,  
neque provideram.

Si. Dave. DA. Hem, quid est? Si. Ehodum ad me.

DA. Quid hic volt? Si. Quid ais? DA. Qua de  
re? Si. Rogas?

Meum gnatum rumor est amare. DA. Id populus curat,  
scilicet!

*insolitam, et amoto metu nuptiarum, bene sperantes, et desidentes incuriose, nos prævenire, ne nobis ullum temporis spatium esset cogitandi aliquid, ad disturbandas nuptias. Astute! Si. Carnifex quæ loquitur? DA. Herus est, neque animadverteram. Si. Dave. DA. Hem, quid est? Si. Ehodum ad me. DA. Quid hic vult? Si. Quid ais? DA. Qua de re quæris? Si. Rogas? quasi nescias. Rumor est filium meum amare. DA. Quasi vero ea cura vulgus sollicitet. Si.*

//////////

*audierat filio, Uxorem non dari suo, Nunq. &c.—10 Integrum hunc versum, ut nothum, rejicit Guy. laud cogitans, non cohærere ita, quæ sequuntur, Ne esset spatium cogitandi ad disturbandas nuptias. Sane enim, si opprimerentur necopinantes Pamphilus et Davus, omne spatium cogitandi eadem opera illis adimeretur. Distinxi autem, Sperantes jam, amoto metu; contra ac vulgo fit. Vulgo ita: Sperantes, jam amoto metu. Sed minus apte. West. Alii inter osc. Atque ita Pall. omnes: neque aliter videtur in omn. codd. suis legisse Fa. laudatque Fr. Hare. Ita et EA. Id. in Add. Sperantes, jam an. Br. Sperans, iam, an. Both. Inter Guelf. 2. 'Lege interea. Nam inter repugnat melioribus codd. nocet metro, et turbat sensum propterea, quod præter Davum et Pamphilum non erant tum alii, qui oscitarent.' Bent.—11 Ut ne ess.] Mss. quidam Ne ess. West. Tò Ut requirit iambicus. Id. in Add. Ut ne vult et Bent. Neque esse sp. Both. qui notat: 'B recte Nec esse.'—12 Quidam Mss. Libri et editi, prævideram. Sic et Ms. Donati. West. Provideram] H. e. porro videram; habent et Faëni libri omnes, et nostri, uno excepto, qui legit prævideram. Bent.—13 Hunc in duos vs. dividit Br. secundum ab 'Hic volt' incipiens: sed versus numeros in Br. non mutat Bruus. 'Pall. al. agis; al. cum gl. dicis: sed ais et agis in Terent. comæd. centies*

#### NOTÆ

10 *Oscitantes*] Oscitare, sive oscitari, est hiare, os aperire. Oscitatio negligentiam arguit.

*Opprimi*] Præveniri, occupari. Videtur translatum esse ab ædificii ruina incautos opprimentibus.

12 *Astute*] Hoc gestu et agitatione capitis Davus dixit.

13 *Ehodum*] Est interjectio ad se vocantis, interdum admirantis, ut in-

fra: 'Eho, an tute intellexisti hoc assimularier?'

14 *Id populus curat, scilicet*] Explan-  
sio ironica, qua eludit Davus dictum  
Simonis, ita colligens: Id populus  
non curat. Ironia est Tropus, quo  
intelligitur contrarium ejus, quod di-  
citur, ab εἶπω, quod est, dico; unde  
εἶπων dissimulator, qui aliter dicit,  
ac sentit.

SI. Hoc agis, an non? DA. Ego vero istuc. SI. Sed  
nunc ea me exquirere, 15

— Iniqui patris est: nam, quod antehac fecit, nihil ad me  
attinet.

Dum tempus ad eam rem tulit, sivi, animum ut expleret  
suum:

Nunc hic dies aliam vitam affert, alios mores postulat.

Dehinc postulo, sive æquum 'st, te oro, Dave, ut redeat jam  
in viam.

DA. Hoc quid sit? SI. Omnes qui amant, graviter sibi  
dari uxorem ferunt. 20

*Advertisne animum ad ea, quæ a me dicuntur, an non? DA. Adverto. SI. Sed nunc me curiose inquirere, an filius amet, severioris et durioris patris fuerit. Nam, quod antehac fecit, nil meum refert. Dum tempus adolescentiæ amorem permisit, sivi ut animum voluptatibus satiaret. Nunc hoc tempus aliam vitam rationem affert, alios mores postulat. Dehinc postulo, sive æquum est, te oro, Dave, ut in viam bonæ frugis redeat. DA. Quid hæc verba significant, non intelligo. SI. Omnes, qui amicos habent, inciti uxores accipiunt a parentibus. DA. Ita aiunt. Tum, si*

inter se permutantur.' *Perl.*—16 *Quod.* Sunt ex Mss. et editionibus vetustis, in quibus est *quæ*: et mox, *attinent.* West.—17 *Sini.* Ita Mss. quæ lectio Diomedis auctoritate probari potest: lib. 1. *Lind.* Sed ipse Diomedes præfert *sivi.* Bruns. Codices quidam ap. *Lind.* pro *sivi* habent vetustam formam *sini*, quæ forte a Terentii manu est. *R.D.* *Sini* dat Z.—18 In lectione, *his dies*, nostri et Faërii consentiunt codd. Sed numerus postulat, ut pro vulgari *affert*, cum Cicerone, *Epist. Fam.* xii. 25. *legatur defert.* Bent. *Defert* versus exosculatur. Astipulatur Gu. 1. in quo male expuncto genuino verbo superscriptum legitur vulgatum *affert.* Both.—19 *J. et si pro sive.* *Perl.*—20 *M. Miror, hoc quid sit.* *Leid.* 1. addit, *nescio*, 2. *ignoro*, sed utrumque diversa manu. *Par.* ex Ms. Palatino citat, *DA. Hoc quid sit, nescio. SI. Hoc quid sit, dicam. Omnes qui amant.* Glossemata sunt omnia; quale et illud, quod in Ms. Argentorat. vidit Bæclerus: *Hoc quid sit, nescio. SI. Si quæras dicam. omnes.* Optime omnium ellipsin supplevit Donatus, nisi quod, *ἀπὸ τοῦ quæris*, legendum *quæro.* Possit tamen fortasse interrogative dictum esse, *Hoc quid sit?* pro, *Quid dicam hoc esse?* Quæ explicandi ratio si minus placet, possit abruptus Davi sermo videri per Simonem continuo narrare pergentem connectendus enim illis, 'Non, hercle, intelligo.' Certe quidem ejusmodi loquendi ratio frequens est in Comædiis. *Uxorem.* Quidam libri scripti et editi, *uxores.* West. EA. DA. *Miror, hoc quid sit. SI. Si quæ-*

## NOTE

15 *Hoc agis, an non*] Aliud permiserit, tandem sub ipsas nuptias agere proverbiali figura est, aliud cogitare, *penser ailleurs.* in filii mores inquirere.

*Sed nunc ea me exquirere, Iniqui patris est*] Ironia est; significat enim 19 *Sive æquum 'st*] Ironica correctio: ἐπινοήσις. Quæ tollit id quod dictum est, et pro eo, quod magis idoneum videtur, reponit.

DA. Ita aiunt. SI. Tum si quis magistrum cepit ad eam rem improbum,

Ipsum animum ægrotum ad deteriorem partem plerumque applicat.

DA. Non hercle intelligo. SI. Non? hem. DA. Non: Davus sum, non Ædipus.

SI. Nempe ergo aperte vis, quæ restant, me loqui? DA. Sane quidem.

SI. Si sensero hodie quicquam in his te nuptiis 25

Fallaciæ conari, quo fiant minus:

Aut velle in ea re ostendi, quam sis callidus:

Verberibus cæsum te, Dave, in pistrinum dedam usque ad necem;

quis sibi sumsit magistrum ad amorem, improbum, ipsum animum libidine jam ægrotum ad deteriorem partem plerumque applicat. DA. Per Herculem, hæc, quæ dicis, non intelligo. SI. Non intelligis? Hem. DA. Non: Davus sum, tardi ingenii servulus: non Ædipus anigmatum interpres. SI. Nempe ergo vis aperte me loqui, quæ restant mihi dicenda? DA. Id certe velim. SI. Si sensero te quicquam fallaciæ hodie conari, ad has nuptias impediendas; aut velle in isto conatu ostendere, quantum sis astutus: virgis verberatum te in pistrinum, Dave, conjiciam,

\*\*\*\*\*

ris, dicam. Et ita ET. *Id. in Add.* Codici Br. desunt nomina DA. et SI. ante verba, quæ iis in edit. tribuuntur. Atque codici Donati defuisse suspicatur Zeunius. Bruns. Post *Hoc q. s.* Hel. hæc inculcat: *Nescio.* SI. Si quæras, dicam. Omnes, &c. Gu. 2. *Hoc quid sit, ignoro.* Both. Venustus fecit ut de illo dubitarem, *Hoc quid sit?* Sciebam enim *Quid hoc magis esse Terentianum, quam Quid hoc sit?* Cum ergo mihi jam esset locus suspectus, et scriptum postea in aliis exemplaribus adverterim *Miror quid hoc sit*, iudicavi Interpretis verba pro Terentianis in contextum irrepsisse. Gov. Si quæras, dicam habet Guelf. 1. *Ignoro* 2.—21 Ad 'cepit' glossa τὸν Br. scripsit 'habere.' Legit igitur glossa *capit*, notante Bruns. 'Gu. 1. in litura *magisterium.*' Both.—22 Si τὸν *Ipsum* referas ad 'animum ægr.' languere videtur sententia. Crediderim igitur, scripsisse Poëtam, *Ipsu' animum*, h. e. *Ipsus*, idque a Librariis mutatum in *Ipsum*. West.—23 In R. τὸν hem desideratur. Lind.—25 Aliter hæc. Er.—27 *Ostendi.* Ita post Fa. plures legendum esse contendunt. Ego nullus dubitem, quin scripserit Terentius, *ostendere*, cum quod quidam libri scripti et editorum vetustissimi ita legunt, tum, quod Latinius dictum videtur, *conari, aut velle ostendere.* West. Unus liber habet *ostendere*, ceteri cum Faëruianis recte legunt *ostendi.* Bentleius. Mur. *ostendere* ex antiq. lib. *Perl.* Aut te videre velle, &c. Guelf. 2.—28 *Pristrinum* Br. ubi notat Bruns: 'Edit. *pistrinum*: recte.' 'Nomen 'Dave' cum hic totum

#### NOTÆ

23 *Hem*] Interjectio est irascens aut indignantis.

*Davus sum, non Ædipus*] Allegoria sumpta ab Ædipi et Sphingis fabula.

Ædipus solus Sphingis ænigma solvit, scilicet, quid esset animal mane quadrupes, meridie bipes, vespere tripes: quod quidem homo est.

Ea lege atque omine, ut, si te inde exemerim, ego pro te molam.

Quid? hoc intellextin'? an nondum etiam ne hoc quidem?

DA. Immo callide: 30

Ita, aperte ipsam rem modo locutus, nihil circuitione usus es.

SI. Ubivis facilius passus sim, quam in hac re, me deludier.

DA. Bona verba quaeso. SI. Irrides? nihil me fallis: sed dico tibi,

*quoad neci datus male pereas: ea conditione, eoque auspicio, ut, si te inde exemerim, ego pro te molam. Intellexistine quid hoc est? An nondum ne hoc quidem intelligis? DA. Immo perfecte intellexi: ita clare rem expressisti, sine circuitione verborum. SI. In quavis alia, quam in hac re, me decipi potius passus sim. DA. Meliora loquere, quaeso. SI. Irrides? nihil me lates: sed praenuntio ne temere in*

//////////

in depressione latitet, numerosior efficitur oratio, si post *pistrinum* colloce-  
tur.' *Bent.* Sic id verbum collocant Br. Both. Perl. Collocat versum aliter  
Guelf. 3. *te, Dav. usq. ad nec. in pist. ded.*—30 *Quid hoc? int.* Br. 'Signum in-  
terrogandi in ed. ante[post]' 'Quid?' recte.' *Bruns.*—31 Ms. *circuitione.* Lind.  
Lege *circum itione* ob fidem nonnullorum codd. qui habent *circuitione*, et  
in primis ob usum loquendi apud Plautum et Nostrum, qui semper dicunt  
*circumire.* *Bent.* Utroque modo dicitur *circumire* et *circuire.* R. D. *Circumit.*  
dat Both. *Locutus es, et nih.* Guelf. 2.—33 Nescio quomodo, h. l. non placet  
*rd sed.* Si conjecturam facere fas est, dixerim literam S repetitam ex pra-  
cedente 'fallis,' D vero ex sequente *dico*, atque adeo legendum esse, *edico*,  
totumque locum ita distinguendum: *Irrides? Nihil me fallis. Edico tibi, Ne te-  
mere facias.* Dubium omne tollit Donatus ad III. 2. 15. illa notans: 'Hic illud  
redit: Edico tibi, Ne temere facias.' *West.* Recte vett. nostri codd. *irrides*  
sine interrogatione ponunt. Illud autem *sed dico* cum in re tam gravi nimis  
sit tepidum, reponendum censeo *edico*, h. e. denuntio. *Bent.* Sine interrog.

#### NOTÆ

28 *Te in pistrinum dedam*] *Pistri-*  
num locus est pinsendo frumento des-  
tinatus, ubi molæ trusatiles, dictæ  
a trudendo, quæ impellebantur a ser-  
vis, qui per conviciam Asini audie-  
bant; et molæ quoque contemtim  
præsepia. Aliæ erant versatiles dic-  
tæ, quæ versabantur a jumentis.

29 *Atque omine*] Est signum futuri  
eventus. *Plant.* in *Casina*, Act. II.  
Sc. 8. 'Nestro omine it dies.' Id

est, auspicio, feliciterque; id est,  
Omen est nostrum, non adversario-  
rum.

33 *Nihil me fallis*] Id est, lates.  
*Ovid.* *Eleg.* 2. lib. iv. *Trist.* 'Nos  
procul expulsos communia gaudia  
fallunt.' Id est, latent. *Horat.* 'Se-  
getis certa fides meæ Fulgentem im-  
perio fertilis Africæ Fallit sorte be-  
atior.'

Ne temere facias : neque tu hoc dicas, tibi non prædictum.

Cave. ✓

*hac re quicquam doli coneris, neque tu dicas postea tibi non fuisse prædictum ; cave, tibi dico.*

//////////

dant Br. Both. Et probare videtur Bruns. *Nil me fallis : edico tibi Both. Me irrid. Guelf. 3. — 34* Ita Mureto auctore vulgo nunc editur. Olim ita : *neque tu haud dicas.* Quod prætulerim. Certe neque summorum Criticorum auctoritate caret, neque aliter legendum Donato placuit. Græcissat locutio, majoremque vim habet, quam si simpliciter dixisset, *neque dicas.* Georg. Fabricius inter *παρέλκω* [s. *παρέλκωτος*] species refert, ad Heaut. iv. 3. 7. dicens, esse *pernegantium.* Et citat Gadius ad Phæd. i. 25. Est in uno Leidd. *neque hoc tu dices.* West. EA. *neque haud tu dicas.* Ita et ET. Sed EM. an. 1476. *neque tu dicas.* G. *neque tu hoc dicas.* Id. in Addendis. R. et V. C. *hoc sic dices.* Lind. Pro *dicas* recte V. et tres meliores e nostris legunt *dices.* Non enim edicit Simo, ne Davus *dicat* sibi non prædictum : ipse Davus jam præmonitus non hoc *dicet*, nec dicere audebit. Ceterum pro lectione V. *hoc lege haud*, ita ut *neque haud* accipiatur negative. Bent. *Neque tu haud dicas.* Sic Selmieder. Sed hoc tibi codex Oldenb. Sine dubio legend. *Oldenburgicus* vel *Oldenburgensis.* [Uberiorem huj. cod. notitiam locique ubi lateat, mihi editori impertire non potuit doctissimus et humanissimus frater b. auctoris. Bruns.] C. G. Lenzins. Recte C *dices.* Both. GM. *hoc tu dices.* Perl. *Neque tu hoc dices tibi* Br. Hoc τῶ *haud* præfert Gov. Continuat in Guelf. 2. hæc scena sequenti. Quod ita se habet in ed. Both. Continuari in quibusd. libris, etiam Mss. testis est West.

#### NOTÆ

34 *Neque, &c.* [*Neque tu haud dicas tibi non prædictum*] Goveanus legit, *neque tu hoc, non, haud.* Muretus ita ait : Quicquid dicat Donatus, legendum hoc, non, haud. Est enim ordo, et sensus : Neque, id est, et ne tu dicere possis hoc tibi non prædictum, en prædico : cave.

### ACTUS I. SCENA III.

DAVUS.

ENIMVERO, Dave, nihil loci 'st segnitæ, neque socordiæ,  
Quantum intellexi modo senis sententiam de nuptiis.

Quæ, si non astu providentur, me aut herum pessumdabunt.

*Certe, Dave, nullum tempus relictum segnitæ, neque socordiæ ; quantum modo intelligere potui senis Simonis sententiam de nuptiis Pamphili : quæ nisi caventur astute, me aut herum Pamphilum oppriment ; nec quid agam certum est mihi ;*

#### NOTÆ

3 *Me aut herum pessumdabunt*] *Pessum ire, est perire : ut pessumdare* perdere, et, in eadem significatione, *pessum premere, ducta tralatione a*

Nec quid agam certum est: Pamphilumne adjutem, an auscultem seni :

Si illum relinquo, ejus vitæ timeo: sin opitulor, hujus minas ;

Cui verba dare difficile est. Primum jam de amore hoc comperit.

Me infensus servat, ne quam faciam in nuptiis fallaciam :

Si senserit, perii : aut, si lubitum fuerit, causam ceperit:

Quo jure, quaque injuria præcipitem me in pistrinum dabit.

*Pamphilumne adjutem opera mea, an seni, ejus patri, obsequar. Si illum relinquo, timeo ne in vitæ periculum incidat: sin opem fero, timeo ea, quæ minatus est mihi herus Simo, quem fallere difficile est. Primum jam comperit amare Pamphilum: iratus me observat, ne quam faciam fallaciam ad impediendum nuptias. Si senserit me id fecisse, perii; aut, si ei libuerit, causam capiet, cur me, sive jure, sive injuria*

\*\*\*\*\*

4 *Adscultem* Br. ubi notat Bruns: 'Edit. auscult. Literis ad superscriptum ob: sed *obscoltem* est verbum nullum.'—7 *Observat* Br. 'Sunt ex Mss. et editis libris in quibus τὸ in non legitur.' West. Delent Guelf. 1. Br. Z. 'Faciam nuptiis. Ita R. alii, in nuptiis.' Lind. 'Lectio, in nuptiis, quæ in duobus nostris codd. et editionibus antiquis plerisque reperitur, placet, quod convenit loco 1. 2. 25. et tollit ingratum homœoteleuton, 'faciam,' 'fallaciam.' Bent. —8 Ut sensus constet, notat Bent. in verbo 'ceperit' esse finem antecedentis intelligendum: igitur 'perii' esse pro interjectione, et pro *aut* si reponeud. *aut quam*. Aliquid impediti, aiunt R. D. in huj. l. constructione: de quo vid. Bent. *Si s. perii! aut, si l. f. c. c.* Both.—9 *Quo jure, quaque injuria*. Tuentur hanc lect. Leidd. sed et Tr. cum M. Variant editiones vetustæ; quanquam pleræque cum Mss. consentiunt. Guy. legebat, *Qua jure, quaque injuria*. Malim, si quid solicitandum, integrum locum ita legere et distinguere: *Quo jure, quare injuria; præcipitem me in pistrinum dabit*. Sed et Priscianus lib. XVIII. ita citat: *Quo jure, quare injuria*. Erasmus et Guy. mallent abesse *me*: non intercederem, si per Codd. liceret. West. Gov. omisit *me*. Id. in Add. Etsi omnes codd. et libri consentiunt in lectione vulgari, sensus tamen postulat, ut *Quo* mutes in *Qua*, et *quaque* in *qua me*, et deleas *me* post præcipitem.' Bent. Omnino cum Bent. et aliis legendum *Qua jure, qua injuria*. R. D. *Qua...qua*: docente Bent. Vulgo *Quo jure quaque injuria*. Saltem dedissent *Qua jure*. Both. Plurimi codd. habent ut edidi. *Perl.* qui eadem dedit cum West. *Quo jure, qua inj. p. me in pristr. d. Br. Qua j. qua*

#### NOTÆ

re maritima. Argumento est locus Plauti in Cist. Act. 11. Sc. 1. 'Maritimis moribus mecum experitur: ita meum frangit amentem Animum: nisi quia miser non eo pessum, mihi nulla abest Perdito perniciēs.' Idem Plantus in Aulul. Act. 1v. Sc. 1. 'Servum ratem esse amanti hero

æquum censeo; ut toleret, ne pessum abeat.' In Rudente sine figura, Act. 11. Sc. 3. vers. 64. 'Nunc eam cum navi scilicet abivisse pessum in altum.' J. Gul. Veris. lib. 1v. c. 4. Glossarium: 'Pessumdat: βουδίζει.' 'Καταπορτίζω: demergo, pessumdo.'

9 *Quo jure, quaque injuria*] Id est,



Ad hæc mala hoc mihi accedit etiam: hæc Andria, 10  
 Sive ista uxor, sive amica est, gravida e Pamphilo est.  
 Audireque eorum est operæ pretium audaciam:  
 Nam inceptio 'st amentium, haud amantium.  
 Quicquid peperisset, decreverunt tollere.  
 Et fingunt quandam inter se nunc fallaciam, 15  
 Civem Atticam esse hanc. Fuit olim quidam senex,  
 Mercator: navem is fregit apud Andrum insulam:  
 Is obiit mortem: ibi tunc hanc ejectam Chrysidis  
 Patrem recepisse, orbam, parvam: fabulæ!  
 Mihi quidem hercle non fit verisimile; atqui ipsis commē-  
 tum placet. 20  
 Sed Mysis ab ea egreditur. At ego hinc me ad forum, ut

*in pistrinum dedat. Ad hæc mala hoc mihi accedit etiam, quod hæc Andria, sive ista uxor est, sive amica, e Pamphilo gravida est: et est pretium operæ jucundumque audire eorum audaciam. Nam ea res inceptio est amentium, non amantium; quicquid peperisset, sive masculum, sive fœminam, decreverunt educare; et fingunt nunc inter se quandam fallaciam, dicturi illam Glycerium civem esse Atticam. Fuit olim quidam senex mercator: is, nave fracta, tempestate ad Andrum insulam ejectus est. Is vita decessit: ibi tunc patrem Chrysidis auit Glycerium, ejectam ad littus, parente orbam in suam tutelam recepisse. Fabulæ hæc sunt. Mihi quidem, per Herculem, non fit verisimile: veruntamen hoc ipsis commentum placet. Sed Mysis e domo Chrysidis egreditur: at ego hinc ad forum me confero. Pamphilum*

*me inj. pr. in Both.—10 Edit. Zeunii accidit, forte operarum errore. Bruns. Sic Guelf. 2. omisso etiam.—11 Jan. Gulielmus eumque secutus T. Faber legunt: Si ista. Scilicet, ut metro consulant, Latinitati minus consulunt. West. Si vult et Bent. et probant Both. et R. D.—13 Gu. 1. Namque hæc inc. am. est, non am. 2. Nam inc. hæc am. est, haud am. Both. Inc. hæc Guelf. 2.—15 Nunc post 'fing.' Guelf. 2.—16 Voluit Bent. olim hinc: accipiunt Both. Perl.—17 Narin Guelf. 3.—19 Fabulæ sunt id.—20 Atque. Quidam libri scripti: atqui; sed editam lect. retinet Donatus. Lind. Tolle illud herele, quod et versum et sententiam onerat. Atque pro Mihi repone Mi, et pro atque usus antecedentis particulæ 'quidem' requirit at. Bent. Atque hic ponitur pro, et tamen, et verum. R. D. At Bent. bene cum Guy. pro atque vulg. Perl. Atque dant Br. Z. Mi quidem non fit verisimile: at ipsis Both. qui monet quidem in A omitti. Hercle omittit Perl. quod notat esse in Guelf. 3.—21. 22 Sic legit Both. At ego hinc me ad forum Ut Pamphilum*

## NOTÆ

quocumque modo; sive aliquo jure, sive aliqua injuria.

12 *Est operæ pretium*] Rem significat factu, vel auditu, vel memoratu dignam.

14 *Decreverunt tollere*] Id est, ag-

noscere, suscipere, educare. Infantes olim, simul ac nati erant, humi deponerentur. Ab humo vero tollerentur, et in sinum recipiebantur. Qui non tollerentur, pro abdicatis et projectitiis habebantur.

Conveniam Pamphilum, ne de hac re pater imprudentem opprimat.

*adibo atque alloquar, ne pater ei hujus rei ignaro superveniat.*

*conveniam, ne pater opprimat. Imprudenter Guelf. I. Ne pat. de hac imprudenter opp. omittens re, nisi nos fallit Perl.*

---



---

## ACTUS I. SCENA IV.

### MYSIS.

AUDIVI, Archillis, jamdudum ; Lesbiam adduci jubes.  
Sane pol illa temulenta 'st mulier et temeraria :  
Nec satis digna, cui committas primo partu mulierem.  
Tamen eam adducam. Importunitatem spectate aniculæ ;  
Quia compotrix ejus est. Di, date facultatem, obsecro, 5

*Audivi, o Archillis! quæ præcipis. Jamdudum Lesbiam obstetricem adduci jubes. Sane, per Pollucem, mulier illa valde vinoso est et temeraria: nec satis idonea est, cui committere debeas mulierem primo partu, qui periculosus est: tamen eam adducam. Spectate importunitatem hujus aniculæ. Archillis adeo instat, ut Lesbia quam cito adducatur: quia cum ea comperare solet. Dii, date,*

1 *Archillis.* Secutus sum auctoritatem Fæрни, per unicum l scribendum præcipientis, ex Mss. quanquam non omnibus. Sunt enim, ubi hæc litera geminatur. *Lesbiam adduci jubes.* Goveanum, dum nimis religiose versus Terentianos ad metri normam reducere conaretur, Latinitatem perdidisse, legendo, quod *Lesbiam adduci jubes*, merito post Muretum queritur Sanctius Minerv. III. 14. Fabrini jungit, *jamdudum Lesbiam add.* West. Etsi in omnibus codd. et Færmianis et nostris legitur *Archillis*, tamen ob analogiam *Thestylis*, *Phidylis*, *Erotylis*, hic quoque rescribe *Archyllis*. Atque pro præterito sensus postulat *Audio*, ut inf. Hec. III. 2. 1. *Bent.* *Jamdudum* dicitur de tempore non longe præterito in *Enn.* IV. 6. 5. 'Ego jamdudum hic adsum.' *Cic.* de *Amicit.* c. 22. 'Ea, quam jamdudum tractamus, stabilitas amicitia.' *R. D. Bent.* omnino sequuntur *Both.* et *Perl.* *Archillis Z.* Non distinguit *Br.* post *Arch.*—2 *M.* non agnoscit *illa.* *Guy. pol. sane legit.* *West.*—4 *Contextus* jubet illud *adducam* mutari in *adduci?* ut sit repetitio antecedentis 'Lesbiam adduci jubes,' cum indignatione. *Bent.* *Adducam* tuentur *R. D.* et *Perl.* qui *adduci* non recte conjectum putat.—5 *Obsecro* omittit *Br.*—

### NOTÆ

2 *Pol]* Per Pollucem: Ædepol, hercule, me Hercules juvet.  
per ædem Pollucis: Æcastor, Tenulenta] Id est, vino dedita, a  
ædem Castoris: Mecastor, me Castor Temeto, vino prisca lingua. Gellius  
juvet: Hercle, per Herculem: Me- lib. x. cap. 23.

Huic pariundi, atque illi in aliis potius peccandi locum.  
Sed quidnam Pamphilum exanimatum video? vereor quid  
siet.

Opperiar, ut sciam nunc, quidnam hæc turba tristitiæ  
afferat.

*precor, vires Glycerio ad feliciter pariendum, atque obstetrici Lesbiæ industriam opportunam in educendo partu: ut in aliis mulieribus sublevandis potius erret. Sed quidnam video Pamphilum exanimatum? Vereor quid hoc sit. Expectabo, ut sciam, quidnam tristitiæ hæc perturbatio illi afferat.*

8 In M. non legitur *nunc*. Tr. *nunc* *quidni* corrupte. Donatus legit *num quidnam*, dicitque: Comicum est, et Terentianum. [Sic inf. II. 1. 25. sed ET. et EM. *sciam quidnam*. West. in Add.] Vere illud. Atque ita recensuit Heinsius. *Nunc* nullam vim habere quis non videt? Ita tamen et Bodl. *West*. Pro *nunc*, *quidnam* Donatus et unus cod. legit *num quidnam*, recte. Deinde, cum nondum turbam Mysis vidisset ullam, cetera restitue ita, *hæc turbæ tristitiæ*. Bent. quem sequitur Both. *Num quidnam* accipiunt R. D. *Turbæ tristitiæ* accipit Perl. et bene transmutatas has terminationes censet.

---

## ACTUS I. SCENA V.

PAMPHILUS. MYSIS.

PA. HOC CINE 'st humanum factum aut inceptum! hoc-  
cine 'st officium patris!

MY. Quid illud; est? PA. Proh Deum atque hominum  
fidem! quid est, si non hæc contumelia 'st?

PA. An hoc factum, aut inceptum contra filium, humanum est? an hoc officium  
est patris? MY. Quid illud est? PA. Deos hominesque testor! si hoc con-

1 Ob lect. a Donato indicatam, et sensus elegantiam lege, *Hoc cine est factum humanum aut inceptum?* Bent. Al. *factu—inceptu*, male. Perl. *Hoc cine factum est h. aut i. hoc cine off. patris* vult Gov.—2 Leidd. quatuor: *Quid est, si hæc non contumelia 'st?* Atque ita recentiores ediderunt. M. *quid est, si hæc contumelia non est?* quomodo et vetustissimi impressorum codicum exhibent. Et testatur Pareus, ita esse in uno Pall. Si legas, ut est in M. metrum quidem laborat, sed sensus erit *ἐμφατικώτερος*, q. d. *Quid est contumelia, si hæc contumelia non est?* Leidd. unus: *Quid illud est? Proh Deum fidem, quid? si hæc non contumelia est?* West. Mur. tollit *fidem*. ET. et EM. *Deum fidem atque hominum*. G. *Pro Deum fidem, quid est*. Id. in Add. *Illud atque hominum* a codice primariae notæ abest, nec in codd. aliis certum habet locum. Dele igitur, præsertim cum ita in versu 11. oriatur incrementum.

Uxorem decreerat dare sese mihi hodie: nonne oportuit  
Præscisse me ante? nonne prius communicatum oportuit?

MY. Miseram me! quod verbum audio? 5

PA. Quid Chremes? qui denegarat se commissurum mihi  
Gnatam suam uxorem; id mutavit, quia me immutatum  
videt?

Itane obstinate operam dat, ut me a Glycerio miserum  
abstrahat?

Quod si fit, pereo funditus.

Adeon' hominem esse invenustum, aut infelicem quenquam,  
ut ego sum! 10

*contumelia non est, quid deinde nomine contumeliæ appellandum erit? Si pater constituerat mihi dare hodie uxorem, nonne ante de hac re certior fieri debui? Nonne consilium et deliberationem participare? MY. Miseram me, quod verbum audio? PA. Quid de Chremete dicam, qui denegaverat se daturum filiam suam in uxorem? Mutavit sententiam, quia me animum immutavisse intelligit; itane obstinate laborat, ut me miserum a Glycerio abstrahat? Quod si fit, pereo prorsus. Adeone quisquam hominum invisus est Veneri et Fortunæ, ut ego sum? Proh Deum atque*

//////////

Porro hoc habet CCC. et Donatus. Recte. Bent. Recte Bent. hoc edidit pro vulg. hæc. R. D. *Proh Deum fidem! quid, si hoc non, contumelia est? Both. qui notat: 'Legitur vulgo quid est, si, &c. numeris durioribus, ut vix dubitem est profectum esse a nescio quo sciolo.' Proh Deum fidem, quid est? si hoc non contumelia 'st Perl. 'Bent. atque hominum abesse ait a codice primariæ notæ. Abest etiam a Br. En igitur qualis ille sit.' Bruns. Si hæc non etiam Br. Fidem non habere unum vetustum exemplar, nec atque hominum habere alterum monet Gov.—3 Mur. et Fa. repperunt in Mss. quibusdam decrevit. Probat T. Faber, explicans de secundo Simonis consilio repentinæ nuptiarum. West. G. EA. et EF. cum EM. decrevit: quod probat F. F. Id. in Add. Decrerat, auctore Faëruo, habet liber Victorianus; alii fere omnes, et Donatus, decreverat; paucissimi iique recentissimi, decrevit. Duo tantum ex nostris decrevit; alii magno numero decrerat. Bent. Mi pro mihi Both. Perl. Uxorem sese decreerat dare mihi Br. Dare in aliquibus codd. non legitur: neque carmen postulat, et iratus suppressere multa solet.' Gov.—4 Antea Guelf. 2. et comm. esse op.—6 Denegaverat vult Gov. et sic scriptum reperisse testatur.—7 Quia. Al. quoniam. Lind. Quia, pro vulgari quoniam, comprobatur auctoritate codd. Malim 'mutavit' accipi absolute, ut supra, l. 1. 13. et id mutari in is, ut oppositio venustior efficiatur. Bent. quem sequitur Both. Quoniam Br.—8 Pro Itane rescribe Ita. Bent. quem sequitur Perl. qui eodem Bent. præeunte edidit dat op. Collocat Guelf. 2. ut me mis.—10 Ut*

#### NOTÆ

5 *Miseram me! quod verbum audio]* Audito uxoris nomine, ex terretur Mysis.

10 *Invenustum]* Venus in talorum jactu invocabatur, et, qui Venerem

frequenter jaciebat, venustus, id est, fortunatus habebatur; contra invenustus, id est, infortunatus. Alii venustum eum dicunt, cujus genituræ domina sit Venus; maxime si fuerit

Proh Deum, atque hominum fidem!

Nullon' ego Chremetis pacto affinitatem effugere poterò?

Quot modis contemptus, spretus? facta, transacta omnia.  
Hem!

Repudiatus repctor. Quamobrem? nisi si id est, quod  
suspicor.

Aliquid monstri alunt: ea quoniam nemini obtrudi po-  
test, 15

Itur ad me. MY. {Oratio hæc me miseram exanimavit  
metu;}

PA. Nam quid ego nunc dicam de patre? ah!

Tantamne rem tam negligenter agere? præteriens modo

Mihi apud forum, Uxor tibi ducenda 'st, Pamphile, hodie,  
inquit, para;

*hominum fidem! Nullone ego pacto efficere poterò, ut Chremes mihi affinis et socer non sit? Quot modis despectus et spretus ab illo fui? Facta et transacta omnia in contrahendis nuptiis; postea repudiatus sum. Hem repudiatus repctor. Quamobrem? causam ignoro, nisi forte illud est, quod suspicor: nimirum Chremetis filia deformis est, et monstro similis. Ea quoniam ab omnibus respuitur, quantumvis sapius oblata, ad me recurritur. MY. Oratio hæc me miseram exanimavit metu. PA. Nam quid ego nunc dicam de patre? Ah, tantine momenti rem, ut sunt nuptiæ, tam negligenter transigere potuit? Ipse præteriens modo in foro, Pamphile, inquit, uxor tibi ducenda est hodie. Ad id para te. Abi domum. Sic lo-*

\*\*\*\*\*

*ego sum, quemq.* Both.—11 *Proh Deum atque hominum fidem!* Hæc in nonnullis Mss. continuo subjunguntur illis versu 8. *Ut me a Glycerio miserum abstrahat.* Hæc notat Perl. ad *abstrahat?* in vs. 8. 'Sustulit Bent. interrogationem, probatam multis, ut melius procedat sententia. Recte. H. l. sequitur ap. Par. versus 11. quem is ita collocatum in Pall. reperisse affirmat.' 'Hic versus non post octavum est collocandus ob codd. novicios; antiqui sunt audiendi.' Bent.—12 *Nullò ego pacto Chremis vult me miseram exanimavit metu.* Nisi id est. Magis Comicum videtur nisi si. West. ET. nisi id est. Id. in Add.—15 *Ea, quoniam* Br. Notat Bruns: 'Edd. non distinguunt post 'ea:': male: nam 'ea' ablat. casus est, et construitur cum 'Itur.' Sub varietate lectionis Guelf. 1. monet Perlet esse in illo Ms. et post 'alunt:' et sub var. 1. Guelf. 2. esse in illo et ea.—16 Sunt ex Mss. et editis, in quibus *exanimat* legitur. West. *Itum* reperit scriptam in codice Goveanus.—17 *Deleatur nunc cum codd. fide, tum metri causa.* Nam 'quid' sub ictu stare debet. Bent. *Nam quid ego nunc de patre? Val* Both. qui notat *dicam* esse a glossatore. *Dicam nunc* Perl. *Nunc* omittit Br.—18 *Omitte ne cum cod. regio.* Bent.—19 *Mi* dat Perl. et notat: 'Pro *Mihi* vulg. Bent. ubique locorum *Mi*.' Hæc monet West. 'Hodie. Non cepit

#### NOTE

in Geminis, aut in prosperos Jovis et Virgine infelix esse perhibebatur. radios incidere: at in Leone, Ariete,

Abi domum. Id mihi visus est dicere: Abi cito, et suspende te. 20

Obstupui. Censen' ullum me verbum potuisse proloqui? Aut ullam causam, ineptam saltem, falsam, iniquam? obmutui.

Quod si ego rescissem id prius; quid facerem, si quis nunc me roget?

Aliquid facerem, ut hoc ne facerem. Sed nunc quid primum exequar?

Tot me impediunt curæ, quæ meum animum divorce trahunt: 25

Amor, misericordia hujus, nuptiarum sollicitudo:

*quens, id mihi visus mandare, Abi cito, et suspende te. Ad hæc verba obstupefactus sum. Putasne me ullam verbum proferre potuisse, aut ullam excusationem, licet ineptam, fictitiam, et injustam? Mutus repente factus sum. Quod si quis nunc a me querat, quid facerem, si ego id præsensissem? respondebo: Aliquid facerem, ne id facerem: ducerem uxorem, vidererque consentire jussui patris. Sed nunc quid primum exequi debeo? Tot me impediunt curæ, quæ animum meum distrahunt in partes varias; amor, misericordia Glycerii, sollicitatio,*

vim hujus vocis Guy. expungens τὸ cito, quod est in versu seq. et rescribens: *Abi domum. Id mihi visus est dicere: abi domum et suspende te.*—20 *Ac susp.* Ita duo Gu. Vulg. et Both. *Ac Br. et Guelf. 3.* Et hoc et illud delet Gov. —21 *Adrianus Barlandus* legebat, *Obstupui.* Atque ita est in uno *Leidd.* Utrumque enim dicitur, 'obstupesco' et 'obstipesco.' Sed et *Par. Obstupui* edidit ex *Ms. West. Obstupui.* *Al. obstupui.* *Lind. Obstupui* habent, auctore *Faërno, Vaticanus, Decurtatus, alibi Bembinus, et apud Virgilium antiquissimus liber Romanus. Bent. Obstip.* *Br. Z. et Both. Censen' me verb. pot. ull. pr. Br. Perl. Ull. vcrb. me Both.* Sed tales *VV. DD.* variæ collocationes adeo densantur, ut eas omnes nec velimus nec possimus memorare.—22 *Rotundiores* fluunt numeri, fide *Pet.* ubi 'aut' annexis antecedenti versui, et 'saltem' ponis ante 'ineptam.' *Bent.* quem sequitur *Perl.*—23, 24 *Exhibui* vulgatam distinctionem; sed moneo, omnino legendum et distinguendum esse: *Quod si ego rescissem id prius: (quid facerem? si quis nunc me roget; Aliquid facerem, ut hoc ne facerem.) West. Fr. Hare expungit τὸ nunc: nulla nisi metri ratione ductus. Id. in Add. Quod si ego, &c.* Sic edidit *Faërnus, consentientibus codd. vetustis. At, ne Arses et Theses se innocinne habeant, reponit, Quod si ego scissem id prius, quid facerem, si quis nunc me interroget. Bent. Vulg. roget; sed Eug. interroget, astipulante metro. Both. qui sic edidit: Quodsi e. r. id prius, q. facerem, si q. n. m. interroget, Al. facerem, ut h. n. facerem.—Set nunc.* Sic *Perlet: Quod si e. scissem id prius...q. facerem, si q. n. m. interroget; Al. facerem, ut h. n. facerem, sed, &c.* Interrogat *Br.* post 'prius' et 'roget.' Monet *Perlet* legi *resciss. in Guelf. 1. 3. Vult. Gov. Quod si ego prius id rescissem, &c.* Ceterum *exequor Br.* nisi fallit *Bruns.*—25 *Meme F. F. West. in. Add. Adverse Guelf. 1.—26 Sollicitudo.* Ita præstat legere cum plerisque *Mss.* quam *sollicitatio.* Et videtur ita legisse *Donatus, quia prius, quid sollicitudo sit, describit, tum, quid sollicitatio ab ea*

Tum patris pudor, qui me tam leni passus est animo usque  
adhuc,

Quæ meo cumque animo lubitum 'st, facere: ein' ego ut  
advorser? hei mihi!

Incertum 'st quid agam. MY. Misera timeo, incertum hoc  
quorsum accadat.

Sed nunc peropus est, aut hunc cum ipsa, aut me aliquid  
de illa advorsum hunc loqui. 30

Dum in dubio est animus, paulo momento huc illuc im-  
pellitur.

PA. Quis hic loquitur? Mysis, salve. MY. O salve, Pam-  
phile. PA. Quid agit? MY. Rogas?

Laborat e dolore, atque ex hoc misera sollicita 'st die,

*qua urgeor, ut uxorem accipiam, patris reverentia, qui mihi tam leniter permisit usque ad hanc diem arbitrio meo vivere. An ego committam, ut ei advorser? Hei mihi! incertum est, quid agam. MY. Misera, timeo, quo tendat istud, incertum est, et quem exitum habeat. Sed nunc maxime opus est, aut Pamphilum cum ipsa Glycerio, aut me aliquid de illa apud hunc loqui. Dum enim animus pendet dubius, levi impulsu in hanc vel illam partem ducitur. PA. Quis hic loquitur? Mysis, salve. MY. O salve, Pamphile. PA. Ut se habet Glycerium? MY. Quaris?*

\*\*\*\*\*

differat. West. Sollicitatio dant Br. Z. Perl. Both.—27 Leni. V. C. liberali. Lind. Ne totum illud 'animo' in Thesi, plane contra artem, lateat, transfer 'est' post 'animo.' Bent. Assentiuntur Both, et Perl. Pro leni GM. dulci. Aliter ad hoc, pro adhuc, notante Er.—28 Eine Guelf. 1. Ei pro hei Br. et Perl. qui ei esse notat in plurim. Mss.—29 Omnes mei et Faërni codd. habent *Incertum hoc*: recte. Deinde *quorsum* muta in *quorsus*, metri gratia. Bent. *Hoc incertum Z. Quorsus* Both.—30 *Lege peropu 'st*. Nostri codd. omnes hoc ordine, aut aliquid de illa me. Tolle aliquid, quod et incertæ est sedis, et repugnat sensui. Bent. *Set p. nunc est...aut de ipsa me adv.* Both. qui notat: 'De ipsa. Sic Gu. 1. quod concinnius vulgata lect. de illa.' Ipsa est in Guelf. 3. *Sed n. peropust...aut de illa me adv.* Perl. qui aliquid post 'me' concinne ejicere Bentleium censet.—31 Fa. testatur, Donatum cum omnibus libris antiquioribus legere, *huc vel illuc*: quomodo et legit Bodl. Sed in Donato, uti vulgo editur, nihil ad hæc verba notatur; sed neque in Ms. Hulst. Videtur autem elegantius omitti τὸ *vel*. West. *Cum in dub. V. C. Lind. Huc vel ill.* Br. Z. Perl.—32 *Mysis?* Perl. Both. Z. 'Ed. Zenn. Mysis? Sed signum interrogationis mendam esse videtur typog. Super-scriptum 'o' in codice nullum dubium relinquit, quin sermo ad Mysin dirigatur.' Bruns. 'Sign. interrog. non est mend. typog. Nondum tamen pœnitent sententiæ, melius cum Mss. tolli.' Id. in Add. 'Agitur. Sic vett. edd. et codd. nostri præter A et Gu. 1.' Both. qui ita dedit.—33 *Ex hoc misera sollicita 'st*. Locutio rarior, sed elegans. Usitatus, sollicitus causa alicujus,

#### NOTÆ

31 *Paulo momento*] Metaphora a in neutram partem vergit, et incertutina: cum id, quod ponderatur, tum pœndet.

Quia olim in hunc sunt constitutæ nuptiæ: tum autem hoc  
timet,

+ Ne deseras se. PA. Hem, egone istuc conari queam? 35  
Ego propter me illam decipi miseram sinam?

Quæ mihi suum animum atque omnem vitam credidit;  
Quam ego animo egregie caram pro uxore habuerim;  
Bene et pudice ejus doctum atque eductum sinam  
Coactum egestate ingenium immutarier? 40

Non faciam. MY. Haud vereor, si in te solo sit situm:  
Sed vim ut queas ferre. PA. Adeon' me ignavum putas?  
Adeon' porro ingratum, aut inhumanum, aut ferum,  
Ut neque me consuetudo, neque amor, neque pudor  
Commoveat, neque commoneat, ut servem fidem? 45

*partus doloribus torquetur; et, quia olim hic dies nuptiis constitutus est, de hac re anxia timet; tum autem ne deseras se. PA. Hem, egone istud possim conari? ego illam miseram propter me decipi patiar? quæ mihi affectus animi sui atque omnem vitam commisit: quam ego præter ceteras animo meo dilectam loco uxoris habuerim. Egone sinam ejus ingenium, bene et pudice institutum atque educatum, egestate coactum, alia vitæ ratione minus honesta immutari? Non faciam. MY. Non id timeo, si istud in tua unius potestate sit positum; sed timeo ut violentiam paterni imperii possis sustinere. PA. Adeone me pusillanimum putas esse, adeone ejus meritorum erga me immemorem, inhumanum, aut ferum: ut neque me familiaritatis conjunctio, neque amor, neque pudor impellat, et admoveat, ut perseverem in fide*

~~~~~

de aliquo, ex re aliqua. Ut autem, quod sentio, dicam, videntur mihi male cohærere ex hoc et Quia, si legas, ut est in vulgatis, ex hoc misera sollicita 'st, diem Quia. Quare edidi, uti dudum recensuit Heinsius, ex hoc misera sollicita 'st die, Quia. Atque ita Leidd. omnes, tum M. et E. V. 1490. aliæque vetustæ. Nisi quod Leidd. unus repetit, Quia olim in hunc diem. West. G. diem. Quia olim, &c. Id. in Add. Sic Br. Z. Perl. Both. Die esse in Guelf. I. et in 3. in diem monet Perl.—34 A institutæ, opinor ex male intellecto con præpositionis compendio. Both.—35 In Tr. legitur, Egone, hem, egone istuc conari queam. Sed prius Egone linea trajecta deletum. Tum continuo, Egon' propter me. Quod posterius non displicet. Citat etiam ex Ms. Lindenbrogius: et reperi in Leidd. omnibus. West.—36 Omnes nostri codd. Egon' propter. Recte; ut versu præcedente 'egone.' Bent. Egon Br. Egon' Both. Perl. Decepi Guelf. 2.—38 Egregio M. West. Vulgo pro autem, quod nos reposuimus, legitur animo: sed friget hoc, præsertim cum modo habuerimus 'animum.' Both. In Guelf. I. in animo.—39 Nutritum pro, educatum: Glossæ roû Br. Litera erasa inter c et t ostendit olim sic in cod. lectum fuisse. Bruns. Fjus redundat: versui enim officit et venustati. Gor.—41 Vereor. R. verear. Lind. Plerique ex nostris verear, et duo, in te sit solo, quam lect. et ordinem præfero. Bent. Verear Perl. Both.—42 Numeri gratia repone, Sed ut vim queas ferre. Adeone me ignavum putas? Bent. Sequuntur Both. Perl.—43 Lege, Adeone porro ingratum, inhumanum, ferum? ne accentus in repetito Adeon' varietur; et Asyndetorum celeritas a rei natura postulatur. Bent. Accipit Both. ut et Perl. nisi quod dat Adeon'.—44 M. mansuetudo, West.—45 Neque com. omittit Br. Notat Bruus: 'Edd. add.

MY. Unum hoc scio, hanc meritam esse, ut memor esses sui.

PA. Memor essem? o Mysis, Mysis, etiam nunc mihi Scripta illa dicta sunt in animo Chrysidis

De Glycerio: jam ferme moriens me vocat:

Accessi; vos semotæ: nos soli: incipit: 50

Mi Pamphile, hujus formam atque ætatem vides.

Nec clam te est, quam illi utræque res nunc utiles,

Et ad pudicitiam, et ad rem tutandam sient.

Quod ego te per hanc dextram oro, et ingenium tuum,

erga illam? MY. *Quid sis facturus nescio, sed ego hoc unum scio, hanc meritam esse, ut memor esses sui.* PA. *Ut memor essem? O Mysis, Mysis! etiam nunc mihi dicta illa Chrysidis impressa sunt in animo meo de Glycerio. Illa jam morti proxima vocavit me ad se. Ego accessi ad eam. Vos secessistis. Nos soli remansimus. Ea sic incipit loqui: Mi Pamphile, hujus formam eximiam et ætatem vides; nec te latet quam illi utræque res istæ incommodæ sint, et ad conservandam pudicitiam et rem familiarem: propter quod, oro te per hanc tuam dex-*

neque com. quæ in Ms. supra lineam alia, ut videtur, manu.' *Commoneat neq. commor.* Guelf. 1.—46 In R. τὸ hanc desideratur. Lind. Hanc abest a melioribus codd. nec ancillæ de domina loquenti convenit. Deinde 'esse' pone ante 'meritam,' qui ordo est in Donati Msto. Oxoniensi, ut 'meritam' clare possit audiri. Bent. *Unum h. scio esse meritam, ut sis memor sui* Both. qui notat: 'Vulgo ut m. esses sui, depresso verbo 'memor.' C sis: quod recepi: itaque et seq. versu dedi *Memor sim* pro vulg. *Memor essem.*'—48 Ut ambiguitas genitivi tollatur, 'dicta' pone post 'animo.' Bent. Accipit Bothius.—50 Ad 'Acc.' in Glossis τὸ Br. est 'ego:' de quo notat Bruns: 'Inseritur tanquam pars textus.'—52 M. et Tr. sed et Lugdunenses omnes, *inutiles*. Unus ita: *quam illi nunc utræque inutiles*, omisso *res*, quod habet Priscianus. Sed ætate Donati etiam *utiles* lectum. Unde non dubitavi edere, uti recensuit Heins. West. G. EA. ET. EM. *quam illi nunc utræque res inutiles*. Id. in Add. *Illi nunc utræque inutiles*. Sic ex R. editum, quod Priscianus in parte agnoscit, apud quem legimus lib. xiv. *quam illi nunc utræque res inutiles*. Lind. R. hoc ordine ponit, *quam illi utræque res nunc inutiles*. Repone *utiles*, et versus est salvus. Bent. *Quam utiles*. I. e. parum utiles. Sæpe adjectiva affirmantia, si 'quam' illis præponatur, quasi interrogandi modo, negandi vim habent; quod cum viri docti quidam non satis caperent, locum interpolarunt scribendo: *quam illi nunc utræque res inutiles*. R. D. *Quam illi utræque res inutiles* Both. qui notat: 'Vulgo *quam illi nunc utr. inut.* insolite quidem, et verbo *utr.* male posito. Sequimur A et C et vet. edd. Bent. non sine auctoritate librorum *res nunc utiles* ironice: sed nativi sunt morientes.' 'Utiles Do. ironice. Pall. *inutiles*: itid. Romanus cod.' Perl. *Quam illi nunc utr. res inutiles* Br. Q. i. n. *utr. inutiles* Z.—53 Gov. et Glar. tollunt *ad*: quod et abest ab EM. sed nil obstat versus, modo legatur *tutandam ad rem*. West. Recte 'rem' ante 'tutandam' locum obtinet. Bent. *Ad rem tutandam et ad pudicitiam sient* Both.—54 Al. et *genium tuum*. Lind. Lege, *Quod te ego per dextram hanc oro, et per genium tuum*. Duo Pall. habent *genium*, quod et sententia ipsa flagitat. Deinde per repetendum est ante *genium*, ut æqualitas constet. Bent. *Quod ego per hanc te dextram et*

Per tuam fidem, perque hujus solitudinem 55
 Te obtestor, ne abs te hanc segreges, neu deseras :
 Si te in germani fratris dilexi loco,
 Sive hæc te solum semper fecit maximi,
 Seu tibi morigera fuit in rebus omnibus.
 Te isti virum do, amicum, tutorem, patrem. 60
 Bona nostra hæc tibi permitto, et tuæ mando fidei.
 Hanc mihi in manum dat : mors continuo ipsam occupat.
 Accepi : acceptam servabo. MY. Ita spero quidem.
 PA. Sed cur tu abis ab illa? MY. Obstetricem arcesso.
 PA. Propera.

tram et genium tuum ; per tuam fidem, perque hujus solitudinem, te obtestor, ne abs te hanc separet, nece deseras. Si te ut fratrem germanum dilexi, sive hæc te solum semper maximi fecit, ceteris hominibus posthabitis ; sive in omnibus rebus tibi morem gessit : te isti virum do, amicum, tutorem, patrem ; bona hæc nostra tibi committo, et tuæ commendo fidei. Chrysis, hac oratione finita, mihi Glycerium tradit in manum. Mors statim ipsam invadit. Datam accepi. Acceptam servabo. MY. Ita futurum id spero. PA. Sed cur abis ab illa? MY. Obstetricem arcesso.

Genium tuum Both. Bentleium sequitur Perl. ‘Vulg. ingenium: sed Bent. legend. docet genium.’ R. D.—55 GM. *solicitud.* Id. in marg. al. *solitud.* Perl. *Ejus pro hujus* Guelf. 1.—58 Plusculi Mss. legunt *maximum*. West. *Sive hæc te lege ex codd. nonnullis.* ‘Te’ enim, cum in ictu non sit, non potest non elidi. Bent. *Sive te hæc* dat Z. *Maximum* Guelf. 1. 2.—61 *Permitto*. Quidam Mss. *committo* legunt. Præstat autem vulgatum, ne idem bis dicatur. West. EA. et ET. *committo*. Id. in Add. Plus est *permitto* quam *committo*. R. D. A, Gu. 2. Hel. *committo*, ut et Lindenbrogianus, ex int. quidem elegantioris vocis. Both. *Comm.* Br. Guelf. 1.—62 *Ac pro Hanc* Both.—63 *Equidem* Guelf. 1. ‘Post vs. 63. sequuntur hæc in Guelf. 2. Nisi mors adimet hunc mihi nemo. Cf. IV. 2. 14.’ Perl.—64 Bodl. *Properabis*. West. *Tò abis* versus non patitur. Et est brevitatis Comica, si absit. [Sic judicat et Gov.] F. H. laudat Bergium, qui in Ed. sua, anni 1574. tres posteriores vs. in duos tetrametros dispescuerit. Id. in Add. Sic et fecit Both. qui versus 64. ad verbum ‘audin’, et versus 65. scenam terminat. ‘Verba ‘atque audin?’ debent versum antecedentem claudere.’ Bent. ad vs. 65. ‘Sed cur tu ab illa?’ Sic edidit Sandby.’ Zeun.

NOTÆ

- 54 *Et ingenium tuum*] Alii, ut et testor.’
 Donatus, legunt *genium*. Genius
 Deus est, in cujus tutela vivimus, a
 gignendo dictus, quod statim nos ge-
 nitos suscipiat et tæuat. Fuit au-
 tem hic orandi modus, per Genium
 et dextram, Antiquis usitatus et fa-
 miliaris. Horat. Epist. 7. lib. 1.
 ‘Quod te per Genium, dextramque,
 Deosque Penates, Obsecro et ob-
 56 *Ne abs te hanc segreges*] Segre-
 gare est, a grege separare. Senten-
 tia est: Ne segreges, id est, repudies
 tibi junctam, neu deseras solam et
 orbam.
 62 *Hanc mihi in manum dat*] Id
 est, fit mihi uxor, et materfamilias,
 quæ in manu et viri potestate est.

Atque audin'? verbum unum cave de nuptiis; 65
 Ne ad morbum hoc etiam. MY. Teneo.

PA. *Propera.* Atque, audisne? cave, ne illi unum verbum dicas ac nuptias, ne ad morbum, propter hoc, molestia et dolor accedat. MY. Teneo.

~~~~~  
 Ea dat Both. Arcerso Br. Ubique scribend. *arcesso* notant R. D — 66 Sic post 'ad morb.' Guelf. 3.

---

ACTUS II. SCENA I.

CHARINUS. BYRRHIA. PAMPHILUS. †

CH. QUID ais, Byrrhia! daturne illa Pamphilo hodie nuptum? BY. Sic est.

CH. Qui scis? BY. Apud forum modo e Davo audiui.

CH. Væ misero mihi!

Ut animus in spe atque in timore usque antehac attentus fuit;

Ita, postquam adempta spes est, lassus, cura confectus, stupet.

BY. Quæso, ædèpol, Charine, quoniam non potest id fieri, quod vis, 5

CH. Quid ais, Byrrhia? daturne hodie Philumena uxor Pamphilo? BY. Datur. CH. Quomodo id scis? BY. Modo in foro id de Davo audiui. CH. Væ misero mihi! ut animus in spe atque timore antea usque hic attentus fuit ad hujus rei exitum, ita, postquam spes sublata est, lassus, cura exesus, oblanguet et stupefactus est. BY. Quæso, ædèpol, Charine, quoniam id fieri quod vis non potest,

~~~~~  
 † Ch. B. P. Dominus. Serrus Br.—1 In R. τὸ hodie deest. Lind. Etsi in omnibus codd. hic ordo verborum reperitur, daturne illa hodie Pamphilo nuptum? metri tamen gratia Fa. recte correxerit. Bent. Vulgo daturne, metro impeditiore. Both. qui edidit datur.—2 In quibusdam, de Davo legitur, in aliis ex Davo, rursus in aliis a Davo. Plurimi Mss. e Davo: quomodo et Do. West. Pro de D. recepimus lectionem Donati e D. quam ipsi Faëno placere videmus. Bent. E legendum, non de. R. D. De Z.—3 Ante hac Perl. qui notat RC. omittere ante.—4 Lassus cura, conf. Br.

NOTÆ

[1 Daturne illa Pamphilo nuptum] collocare viro virginem.
 Dicitur 'nuptum,' et 'nuptui dare,'

Delph. et Var. Clas.

Tercat.

U

Id velis, quod possit. CH. Nihil volo aliud, nisi Philumenam.

BY. Ah! quanto satius est, te id dare operam, qui istum amorem ex animo amoveas tuo,

Quam id loqui, quo magis lubido frustra incendatur tua!

CH. Facile omnes, cum valemus, recta consilia ægrotis damus.

Tu si hic sis, aliter sentias. BY. Age, age, ut lubet. CH. †
Sed Pamphilum 10

Video: omnia experiri certum 'st prius quam pereo. BY. Quid hic agit?

CH. Ipsum hunc orabo: huic supplicabo: amorem huic narrabo meum.

Credo, impetrabo, ut aliquot saltem nuptiis prodat dies.

Interea fiet aliquid, spero. BY. Id aliquid nihil est. CH. Byrrhia,

velis id quod possit. CH. Nihil aliud, quam Philumenam volo. BY. Ah, quanto potius est, te id laborare, ut istum amorem Philumenæ ex animo tuo ejicias, quam hos sermones habere, quibus cupiditas tua inutiliter inflammetur. CH. Facile omnes, cum sani et valentes sumus, utilia præcepta ægrotis damus. Tu, si meo loco sis, aliter sentias, quam sentis de amore meo. BY. Age, age, ut tibi videtur. CH. Sed Pamphilum video. Decrevi omnia exquirere ad salutem, priusquam peream. BY. Quid hic agit omnia exquisiturus imprudens? CH. Ipsum Pamphilum orabo, huic supplicabo; amorem meum vehementem huic exponam. Obtinebo, credo, ab illo, ut ad aliquot saltem dies nuptias suas differat: interea aliquid, ut spero, accidet boni. BY. Id aliquid nihil est. CH. Byrrhia, quid tibi videtur?

//////////

Lapsus Guef. 2. Et conf. 1.—5 Pro quoniam R. habet quando; sic laudat quoque locum Do. ad Æn. v. 701. et sane melius convenit sensui, ut infra IV. 5. 10. Cetera Fa. emendavit ita, non potest id fieri, quod vis. Recte. Bent. A quando: quod sententiæ magis aptum. Both. qui cum Perl. id dedit. Id omittit Z.—7 Quidam Mss. ab an. West. Dimoveas Er. Gov. et G. F. Id. in Add. Tuo omnino subditium est. Pro animo amoveas Donatus monet etiam legi corde ejicias. Quæ lectio perplacet. Denique, ut ex his duobus versibus unus tantum efficiatur trochaicus acatalecticus, cum Fa. 'BY. Ah' in finem præcedentis rejiciendam puto. Bent. quem ab omni parte sequitur Both.—10 Sensus postulat censcas. Bent. Accipit Perl. Sentires Pal. Autem post 'Tu' Guef. 2. Monet Perl. sentias esse in 3.—11 Mss. quidam et edd. vetustæ, peream. Præstat autem lectio vulgata, utpote certius consilium pereundi indicans. West.—13 Prodat. Ita Do. et Non. Marcell. v. 'Prodere.' Ita et plerique Mss. Prætor autem 'prodere diem' dicebatur, cum rem differebat. Alii, protrahat. Idem. G. ET. EM. protrahat. Id. in Add. Prodat. Gu. 1. producat, ceteri nostri protrahat, ex int. Both. Protrahat Guef. I. 2. producat 3. Ut per aliquot Br. ubi notat Bruns: 'Hæc vox [sc. per] erasa est in Ms. et abest editis.' Ceterum monet Perlet: 'Par. I. var.

Quid tibi videtur? adeon' ad eum? BY. Quidni? si nihil
impetres, 15

Ut te arbitretur sibi paratum mœchum, si illam duxerit.

CH. Abin' hinc in malam rem cum suspicione istac, scelus.

PA. Charinum video. Salve. CH. O salve, Pamphile.

Ad te advenio, spem, salutem, auxilium, consilium ex-
petens.

PA. Neque pol consilii locum habeo, neque auxilii co-
piam. 20

Sed istuc quidnam 'st? CH. Hodie uxorem ducis? PA.
Aiunt. CH. Pamphile,

Si id facis, hodie postremum me vides. PA. Quid ita? CH.
Hei mihi!

Vereor dicere. Huic dic quæso, Byrrhia. BY. Ego dicam.

PA. Quid est?

Adibone Pamphilum? BY. Quidni? saltem, ut, si nihil ab eo impetres, existimet te sibi paratum uxoris Philamenæ adulterum. CH. Abi hinc in malum cruciatum, scelestè! cum suspicione ista. PA. Charinum video. Salve, Charine. CH. O salve, Pamphile. Ad te confugio, spem, salutem, auxilium, consilium impetrare abs te cupiens. PA. Neque pol habeo facultatem aliis consulendi, neque potestatem auxiliandi. Sed quidnam est istud? CH. Hodie uxorem ducis? PA. Aiunt. CH. Pamphile, si hoc facis, hodie me ultimum vides in rivis. PA. Quid ita? CH. Hei mihi! non audeo præ verecundia dicere. Dic, quæso, huic, Byrrhia.

//////////

quod imp.'—15 Unus cod. e nostris habet Quid nisi? ut nihil impetres; duo, Quid nisi? nihil ut impetres. Emenda igitur Quid ni? nihil ut impetres. Igitur 'ut' signif. etsi, quamvis. Bent. quem sequitur Perl. Quid nisi nihil imp. Br.—16 Guelf. 1. omittit sibi.—17 Alii in malam crucem. West. Abin recte legunt codd. præter quatuor nostros, ubi est Abi. In V. et Vi. n abrasum est. Nullus vero nostrum habet crucem. Retine rem. Bent. Suspicio Abin aut Abeas legend. Er. Abi Br. Crucem Guelf. 1. 2.—18 Alia orationis vis et virtus erit, si post 'O salve' majorem feceris interpunctionem. Nam elata voce pronuntiandum est 'Pamphile.' Bent.—19 Advenio. Ita Pr. lib. XVIII. et Mss. plusculi, eosque secutæ edd. vetustæ. Vulgo venio. West. qui notat in Add. venio legere G. ET. EM. Hoc est etiam in Br. 'Auxilium' post 'consil.' poni jubet Bent. Morem faciunt Perl. Both.—20 Mur. et F. F. mallent N. p. auxilii l. h. n. consilii c. West. Pro consilii lege consili. Nam Veteres omnes in substantivis, exeuntibus in 'ius' vel 'ium,' semper genitivos, ut vocativos, 'i' simpliciter efferebant. Sub Augusti senescentis denum ætate mutatio genitivorum, qualis hodie est, facta est. Deinde Pet. et R. habent neque ad auxiliandum copiam: at Eug. neque ad auxilium copias. Ego legendum esse censeo, neque ad auxilium copiam. Bent. Omnino sequuntur Both. Perl. quorum prior notat: 'Vulgo neque auxilii copiam, pessime. A neque ad auxiliandum copiam. Gu. 2. copiam auxilii, quod ferri posset, modo reponeretur auxili. Sed correctorem sapit transpositio.' Consilii Br. at monet Bruns primo in eo lectum consiliis. Neque ad auxiliandum cop. id. cod.—21 Ita aiunt Guelf. 1. O Pamph. 3.—22 Mss. quidam Q. i. est? West.—23

BY. Sponsam hic tuam amat. PA. Næ iste haud mecum
sentit. Ehodum dic mihi,
Num quidnam amplius tibi cum illa fuit, Charine? CH.
Ah, Pamphile, 25
Nihil. PA. Quam vellem! CH. Nunc te per amicitiam et
per amorem obsecro,
Principio, ut ne ducas. PA. Dabo equidem operam. CH.
Sed si id non potes,
Aut tibi nuptiæ hæ sunt cordi. PA. Cordi? CH. Saltem
aliquot dies
Profer, dum proficiscor aliquo; ne videam. PA. Audi nunc
jam:
Ego, Charine, neutiquam officium liberi esse hominis puto, 30

BY. Ego dicam. PA. Quid est? BY. Hic Charinus sponsam tuam Philumenam amat. PA. Certe, valde a me dissentit. Ehodum dic mihi, Charine, numquid aliud amplius, quam amor tibi cum illa fuit? CH. Ah, Pamphile, nihil. PA. Quam vellem fuisset! CH. Nunc te per amicitiam nostram et per amorem meum erga Philumenam obsecro, primo ut ne eam ducas. PA. Equidem id conabor facere, ne mihi sit uxor. CH. Sed, si non potes id efficere, aut si hæc nuptiæ ex animo placent. PA. Placent? scilicet. CH. Saltem has aliquot dies protrahe, dum aliquo me conferam, ne videam illas. PA. Audi nunc jam. Ego, Charine, mini-

Al. disting. V. dicere huic. Dic q. Perl. Ita disting. Br. Both.—24 Ne Br. Glossa cuius habet: Non. De quo monet Bruns: 'Probat nota, tempore librarii æ non per e scriptam esse; quod ad finiendam codicis ætatem facit.'—25 Aha Br.—26 Mss. quidam et amorem. West. Quantum vellem V. C. Lind. Per delet Both. qui notat: 'Vulg. et per amorem, duris numeris. Per abest C.'—27 Pro potes, quod non commodum efficit sensum, lege potest. Potest habent quoque editt. quædam vett. et ipse Do. cum 'fieri' deesse dicat, videtur ita legisse. Bent. Bent. recte legit potest. R. D. Accedit Both.—28 Ut vitetur Homœotelenton, pro hæ lege hæc, ut alibi. Bent. Hæc Bent. recte. Atque sic perspicue Gu. 2. Both. Aut tibi. Ingerit Par. si ex Mss. Perl. Saltim Guelf. 2.—29 Proficiscor. Mss. alii, proficiscar. Præstat prius. West. Posterius habent Guelf. 1. 3.—30 Hominis V. C. Alii τὸ hominis non habent. Lind. Vulg. Ego, Charine, neut. off. lib. &c. sed affectui convenit, metrum hic aliud adhiberi, eumque sequens vs. haud dubie sit iambicus (nam cur mereat reponatur, ut Bentleio placet, nulla causa), hæc quoque ad eand. normam refingenda erant. Ceterum scribendum esse, ut fere ubique scribitur in B C Hel. ne utiquam, non neutiquam, aut certe elidendum esse ne, ut anapæstus efficiatur, non amphimæcer, multi docent poetarum loci. Both.

NOTÆ

26 *Quam vellem*] Ut esset causa re- hæ nuptiæ mihi Pamphilo displi-
cusaudæ Philumenæ in uxorem. cent.

28 *Cordi*] Reuertitio ironica. Immo

Cum is nihil promereat, postulare id gratiæ apponi sibi.

Nuptias effugere ego istas malo, quam tu adipiscier.

CH. Reddidisti animum. PA. Nunc, si quid potes aut tu,
aut hic Byrrhia,

Facite, fingite, invenite, efficite, qui detur tibi.

+ Ego id agam, mihi qui ne detur. CH. Sat habeo. PA. Davum optume 35

Video. Hujus consilio fretus sum. CH. At tu hercle haud quicquam mihi,

Nisi ea, quæ nihil opus sunt scire. Fugin' hinc? BY. Ego vero, ac lubens.

me officium ingenui hominis esse opinor poscere gratiam sibi haberi, cum nullo hanc officio promeruerit. Ego istas nuptias effugere magis cupio, quam tu eas assequi. CH. Recreasti mihi animum tuis verbis. PA. Nunc, si quid potes, aut hic Byrrhia, facite, fingite, invenite, efficite, ut quorvis modo tibi axor Philumena detur. Ego studebo, ut ne mihi detur. CH. Sufficit mihi quod ais. PA. Davum opportune video, cujus consilio confido. CH. At tu hercle, Byrrhia, multo absimilis es huic Davo. Nihil quicquam mihi dicis, nisi ea, quæ scire me, non sunt utilia. An non fugis hinc? BY. Ego vero fugio, ac libenter quidem.

//////////

Bent. divisim ne ~~quam~~. Perl.—31 In Mss. quibusdam est *mereatur*: in aliis *mereat*: rursus in aliis *promereatur*. West. Cum iambicus hic inter tot trochaicos non satis belle iucadat, lege, *mereat*. Sic quoque legisse videtur Do. Bent. Cum nil *promereat* Both. qui *is* delet. *Mereat* Perl. exhibet. *Promereat* Guelf. 3. *promereatur* 2.—33 *Reddidisti* male incipit a pede cretico: corrige itaque *Redduxti*, præsertim cum Pet. habeat *Reddixti*, et usus loquendi postulet. Deinde, *tu* ne elidatur, emenda *tute*. Bent. Omnino sequitur Both. ex parte Perl. qui retinet *Reddidisti*. Notat Bothius: 'Nostri etiam *Reddisti*, i. e. *Reddixti*, literis *s* et *x* passim confusis.' Aut *tu* esse in Guelf. 1. et pro *hic* in 3. *iste* monet Perl.—34 *Eff. J.* ingerit *ut*. Perl.—35 Ut 'mihi' sub ictum veniat, pone *qui mihi*. Bentleius. *Qui ne mihi*. Sic Do. optime collocato 'ne.' Both. Bentleio accedit Perl. qui notat *mihi qui* esse in Guelf. 1.—36 Bodl. *cujus*. Præstat autem lect. vulgata, *Hujus*. West. qui notat in Add. 'G. cum EA. *cujus*.' *Cujus* dant Br. Z. Both. Perl. qui monet: 'Cujus. Ita Bent. Par. *qujus* antique:' et ad vocem 'quicquam': 'GC. *facis*. Glossemia olet.' *Sapis* post 'mihi' in Guelf. 3.—37 Forte rectius *sciri*. West. Unus e nostris, *opus est*. Certe alterutrum legendum est, aut *opus est scire*, aut *opus sunt sciri*. Posterius placet. Bent. Gu. 2. haud male *quæ minime opus*. Bothius. *Sciri*. Ita Bent. Bip. Perl. qui cum Both. id accipit. A Guelf. 3. absunt verba *Nisi . . . scire*.

NOTE

34 *Efficite, qui detur tibi*] 'Qui' quæ in principio retulit Byrrhia: pro, ut. Plant. 'Valeo, et venio ad minus valentem, et melius qui valeat fero.' Idem multis locis aliis. 'CH. Daturne illa hodie Pamphilo nuptum? BY. Sic est. CH. Qui scis? BY. Apud forum modo de Davo audiui.' Quæ verba meminit hoc loco Charinus se non libenter au-

36 *Haud quicquam mihi*] Ellipsis. Subintellige, *dicis*.

37 *Nisi ea*] Scilicet, propter ea,

divisse.

ACTUS II. SCENA II.

DAVUS. CHARINUS. PAMPHILUS.

DI boni, boni quid porto! sed ubi inveniam Pamphilum?
 Ut metum, in quo nunc est, adimam: atque expleam animum gaudio.

CH. Lætus est, nescio quid. PA. Nihil est: nondum hæc rescivit mala.

DA. Quem ego nunc credo, si jam audierit sibi paratas nuptias.

CH. Audin' tu illum? DA. Toto me oppido exanimatum quærere. 5

Sed ubi quæram? aut quo nunc primum intendam? CH. Cessas alloqui?

DA. Abeo. CH. Dave, ades: resiste. DA. Quis homo 'st, qui me? o Pamphile,

DA. *Dii boni, quam felicem et gratum munus affero? Sed ubi inveniam Pamphilum, ut metum, in quo nunc est, ei auferam; ejusque animum lætitia perfundam?*
 CH. *Lætus est Davus, propter nescio quid.* PA. *Nihil est, quod lætetur: nondum hæc mala audivit de nuptiis, quæ mihi parantur.* DA. *Quem ego nunc credo, si acceperit sibi ducendam esse Philumenam.* CH. *Audisne tu illum?* DA. *Toto me oppido exanimatum quærere. Sed ubi cum quæram? Quo nunc primum me vertam?*
 CH. *Quid cessas hunc alloqui?* DA. *Abeo, cum hic cum non invenio.* PA. *Dave, accede, gradum siste.* DA. *Quis homo est, qui me appellat? O Pamphile, te ipsum*

//////////

2 Ne 'metum' in thesi totum subsidat, sed melius exaudiatur, pro in quo, reponere quo in. Bent. *Ut m. qui nunc est* Both.—3 Ab uno Par. cod. abest hæc, ab altero mala. Perl. *Nihil est . . . mala* absunt contextui, suppleta in marg. Bruns, qui loquitur de Br. ut solet.—5 *Quærere.* Superscriptum scio, quasi sit pars contextus. Bruns.—6 *Aut Guy.* delet ex R. Sed et omisit Dac. neque est in Bodl. *Intendam.* Mss. quidam, *tendam.* West. Sex ex nostris melioribus codd. non habent *aut.* Bent. *Aut* abest A. *Both.* qui id delet: nec agnoscit Br.—7 *Abeo.* Guy. ex Mss. quibusdam et editis defendit *Habeo*, scil. ubi quæram. Non videtur. Abiisse Davum apparet. Tum *Habeo* h. l. nihilo magis differt ab *Abeo*, quam *holim* ab *olim*, *hostium* ab *ostium*, et ejusmodi sexcenta alia, quæ sunt in nonnullis Mss. et edd. antiquissimis. West. *Qui me?* M. *qui me vocat?* Ita et quædam edd. vetustæ, etiam anni 1469. Videtur autem *to vocat* ex glossa irrepsisse. *Id.* Nostri codd. quanquam legunt *Abeo*, præfero tamen *Habeo*. Bent. Vulg. putide *abeo*. Both. Parum refert

NOTÆ

1 *Di boni*] Erant enim et Dii mali, quin et Impudentiæ et Infamiæ templa posita fuere.
 ut Pestis, Febris, Pallor, et Timor:

Te ipsum quæro : euge, Charine : ambo opportune : vos volo.

CH. Dave, perii. DA. Quin tu hoc audi. CH. Interii. DA. Quid timeas scio.

PA. Mea quidem hercle certe in dubio vita 'st. DA. Et quid tu, scio. 10

PA. Nuptiæ mihi. DA. Et id scio. PA. Hodie. DA. Ob-
tundis, tametsi intelligo.

Id paves, ne ducas tu illam : tu autem, ut ducas. CH. Rem tenes.

quæro. Euge, o Charine, ambo opportune adestis. Vos alloqui volo. CH. Dave, perii. DA. Immo, tu hoc audi. CH. Prorsus de me actum est. DA. Quid tu timeas scio. PA. Mea quidem hercle vita in gravi periculo versatur. DA. Et tu quid timeas quoque scio. PA. Nuptiæ mihi paratæ sunt. DA. Et id scio. PA. In hunc ipsum diem. DA. Me verbis enecas, quamvis quid sentias intelligam. Tu, o Pamphile, id metuis, ne ducas uxorem Philumenam ; tu Charine, ne non

//////////

quo modo scribatur. Nam Romani olim aspirare ex usu tantum solebant, figura literæ H nondum cognita. *Perl.* qui dat *Habeo* cum *Both.* Pro Charino dat *Br.* medium sermonem in h. v. Pamphilo, quod faciunt *Bent.* *Both.* *Perl.* 'Edd. male tribuunt,' ait *Bruns.* 'hanc loquelam Charino, ut tum ex antecedd. tum consequ. clarum est.' *Vocat* post 'qui' *Gnelf.* 2.—8 *Vett.* edd. o *Charine.* Dedi quærebam pro vulg. quæro. *Both.* *Ambos* *Gnelf.* 1.—9 Integer hic locus varie legitur. *Bem.* ita : CH. Dave, perii. DA. Quin tu hoc audi. PAM. Interii. D. Quid timeas, scio. CH. Mea quidem hercle certe in dubio vita 'st. D. Et quid tu, scio. PAM. Nuptiæ mihi. D. Etsi, scio. Malim, si quid solicitandum, Pamphilum prius facere loquentem, ita : P. Dave, perii. D. Quin tu hoc audi. P. Interii. D. Quid timeas, scio. CH. Mea quidem hercle certe in dubio vita 'st. D. Et quid tu, scio. P. Nuptiæ mihi. D. Et id scio. *West.* Etsi verba, 'Dave, perii—interii,' *Donatus* ascribit Charino, tamen ob consensum *codd.* et contexti rationem tribuenda sunt Pamphilo. Nam absurdum est non modo priores vel in amore vel metu partes Charino dare, sed et Davum prius alienum quam herilem filium compellare. *Bent.* *Bem.* sequitur *Perlet.* *Westerhovii* sententiam de personis mutandis *Bent.* et *Both.* Præcesserat *Br.*—10 *M.* non agnoscit hercle : sed nec plusculi alii. *Defendit Riv.* et videtur omnino retinendum. *Hul.* *Et tu quid, scio,* elegantius et *εμφατικώτερον.* *West.* *EA.* *ET.* et *EM.* non agnoscunt τὸ *certe.* *Id.* in *Add.* *Certe* et *quid tu* *Do.* habet, tres libri, quos vidit *Færnus,* et meliores ex nostris. *Recte. Bent.* *Et quid tu? scio* *Br.* *Notat Bruns :* 'Rectius abest signum interrogandi editis.' *Gnelf.* 1. omitt. *certe,* et *Gnelf.* 2. omitt. *hercle.*—11 *Mss.* plusculi *Et si scio,* minus eleganter. *West.* Plerique libri *Fæрни* habent *Et si scio ;* nostri partim *Et id scio,* partim *Etsi scio.* *Posteriorum* lectionem requirit sententia. *Bent.* *Nuptiæ.* *Mss.* *Par.* add. *parantur.* *Perl.* *Et si, scio* *Br.* *Et si scio* *Z.* *Etsi scio?* *Bent.* *Both.* *Et si scio!* *Perl.* qui notat *Gnelf.* 1. habere *Et* absque *si,* 2. *id* pro *si,* 3. *et* pro *si.*—12 *Pares.* *R.*

NOTE

12 *Ne ducas tu illam ; tu autem, ut ducas*] Post verba timendi, 'ne' per-
tinet ad fugienda : 'ut' ad cupita, pro quo dicimus, 'ne non.' Ergo vir

PA. Istuc ipsum. DA. Atque istuc ipsum nihil periculi est: me vide.

PA. Obsecro te, quam primum hoc me libera miserum metu.

DA. Hem,

Libero. Uxorem tibi non dat jam Chremes. PA. Qui scis?

DA. Scio.

15

Tuus pater modo meprehendit: ait tibi uxorem dare sese Hodie: item alia multa, quæ nunc non est narrandi locus. Continuo ad te properans percurro ad forum, ut dicam tibi hæc.

Ubi te non invenio, ibi ascendo in quendam excelsum locum.

ducus. CH. Intelligis id quod res est. PA. Istud ipsum est. DA. Atqui istud ipsum, quod times, nullum in se habet periculum. Me vide. PA. Oro te, quamcito hunc mihi misero timorem adime. DA. Hem ulimo. Chremes jam tibi filiam non dat uxorem. PA. Quomodo id scis? DA. Ego scio. Tuus pater modo me manu apprehendit; ait se hodie tibi uxorem dare, item alia multa, quæ commemorandi nunc tempus non est. Illico ad te properans celeriter curre ad forum, ut hæc tibi dicam. Ubi te non invenio, ascendo ibidem in altum quendam locum; circum-

//////////

puces. Lind. Al. præcaves. Al. cave. Perl. Illud præcave. habet Br.—13 Atq. hoc ipsum Pr. lib. 11. Lind. Atqui Guef. 1.—15 Unus cod. ex Regiis locat numerosius ita, Tibi uxorem non dat jam Chremes. Deinde Scio est inutile: non enim respondet interrogationi, quæ non est, 'an sciret,' sed 'quomodo sciret.' Præfero igitur lect. variam Scies, quæ est in margine CCC. Bent. Jam delet Both. et cum Perl. dat Scies.—16 Alii apprehendit: sed refragante Do. et plerisque Mss. West. G. EA. EM. app. Id. in Add. Duo codd. rotundius et melius ponunt 'me' ante 'modo.' Omnes Faërne codd. habent dare sese; unus ex nostris ponit sese dare; alter primaria notæ sese non habet; quod cum in versu redundet, lege dari, ut supra, 1. 2. 20. Bent. Prehendit. Nostrum [sc. app.] extat in B C Hel. et Gu. utroque: quod elegantius. Codd. dare se, ut B, vel dare sese, ex int. Both. Bent. ed. dari: respicit ad 1. 2. 20. at ego respicio ad 1. 5. 3. Perl. Dare sine sese Both. App. dat Br.—17 Si cum Gov. legas Se hodie initio versus, præcedens erit trochaicus octonarius catalecticus. West.—19 Guy. legit escendo, quod Veteribus amatum. Id. 'Ibi,' quod a duobus nostris abest, ego versus gratia repono post 'quendam.' Atque ascendo muto in escendo, quod magis est e Vet. consuetudine, et reperitur in cod. vetere Guyeto viso. Bent. Sequuntur omnino Both. et Perl. Invenio ibi, ascendo, &c. Br. Ubi notat Bruns:

NOTÆ

amicus timet, ne ægrotus moriatur; qui vero illius hæreditati inhiat, timet ut moriatur, vel, ne non moriatur.

13 *Me vide*] Asseveratio promittentis: Terentius etiam ea nititur in

Phormione: 'Fient, me vide.' Hoc etiam genere sermonis Galliee utimur, cum quippiam aut non credenti aut non intelligenti persuadere aut demonstrare cupimus.

Circumspicio: nusquam: forte ibi hujus video Byrrhiam: 20
 Rogo: negat vidisse: mihi molestum: quid agam, cogito.
 Redeunti interea ex ipsa re mihi incidit suspicio: hem,
 Paululum obsoni: ipse tristis: de improvise nuptiæ:
 Non cohærent. PA. Quorsumnam istuc? DA. Ego me
 continuo ad Chremem.

Cum illoc advenio: solitudo ante ostium: jam id gaudeo. 25
 CH. Recte dicis. PA. Perge. DA. Maneo. Interea in-
 troire neminem

Video, exire neminem: matronam nullam: in ædibus
 Nihil ornati, nihil tumulti: accessi: intro aspexi. PA. Scio.

spicio. Nusquam ego te aspicio. Forte ibi hujus Charini serrum Byrrhiam video; quæro ab eo, num te viderit; respondet non vidisse. Egre id fero; quid mihi sit agendum cogito. Interea mihi redeunti e foro forte orta est suspicio ex ipso nuptiarum apparatu. Hem, inquam apud me: paululum obsonii est apparatus, ipsemet pater Simo tristis est, quem hilarem esse decet, tam subito nuptiæ fiunt. Hæc inter se non conveniunt. PA. Quomobrem hæc dicis? DA. Ego me continuo confero ad Chremetis domum. Cum ego illuc advenio, solitudo videtur ante ostium: jam ex eo gaudeo. CH. Recte dicis. PA. Perge. DA. Illic expecto: interea neminem introire video, exire neminem; matronam nullam in domo, nullum ornatum, nullum tumultum discurrentis multitudinis. Accessi intro, circumspexi. PA. Scio, curi-



‘Edit. distinguunt post ‘invenio,’ recte.’ Notat Perl. ‘ibi’ esse post ‘inv.’ in Guelf. 1. 3. et in 3. esse *ascendo*.—20 Post ‘nusquam’ reponendum esse censeo *es*. Atque tres e nostris recte collocant *ibi forte*. Bent. Accedit omnino Perl. qui monet: ‘Bent. add. *es*, quo GM. glossam tangit, ‘eras.’—21 Bodl. et ed. an. 1469. *vidisse se*. West. *Vidisse*: Par. Mss. *se*. Perl. *Vid. sese* Br. Est post ‘molest.’ in Guelf. 2.—23 *Tristis erat* Guelf. 1.—24 Pr. [lib. vi. p. 62.] *Egomt*; quo modo et Do. jam legit. *West. Chremem*: ita Bent. Er. Mur. Lind. al. At Par. *Chremetem*, testans in nullo Mss. esse *Chremem*. Perl. ‘Non cohærent’ dat Charino Br. at notat Bruns: ‘Edit. omitt. nomen, et melius tribuuntur verba Davo.’ *Egomt* Guelf. 2.—25 Pro *illoc*, quod est Donati, omnes codd. quos vidit Faërnus, et prisca edit. legunt *illoc*. Bent. Et sic dat Bent. *Illoc* Guelf. 2. qui addit *erat* post ‘solit.’—26 Ita Mss. plerique, etiam Bodl. Alii, PA. *Recte dicis*. CH. *Perge*. Sed et editi variant. Malim cum Do. utrumque tribuere Pamphilo, *West.*—27 Omnes quidem ita distinguunt, sed post ‘matronam nullam’ interpunctionem tollendam censeo, et comma rescribendum post ‘ædibus.’ Bent. *Matrona nulla* optime Gu. 1. et Hel. Vulgo *matronam nullam*, minus vivide. *Both.* qui Bentleio accedit in pungendo post ‘ædibus.’ et sic Br. et Perl.—28 Sunt Mss. in quibus est *introsperi*. West. Vulgo, PA. *Scio*. *Magnum signum*.

NOTÆ

27 *Matronam nullam*] Matronæ pronubæ nuptiarum celebrationi præerant ex parte uxoris, sicut Aruspex ex parte mariti. Illæ nuptam in mariti domum deducebant, et eam in

geniali toro collocabant. Ad hujusmodi officium spectatæ pudicitia mulieres adhibebantur, quæ uni solum viro nupsissent.

28 *Nihil ornati*] Antiquus geniti-

Magnum signum. DA. Num videntur convenire hæc nuptiis?

PA. Non opinor, Dave. DA. Opinor, narras? non recte accipis. 30

Certa res est: etiam puerum inde abiens conveni Chremis, Olera et pisciculos minutos ferre obolo in cœnam seni.

CH. Liberatus sum hodie, Dave, tua opera. DA. Ac nullus quidem.

CH. Quid ita? nempe huic prorsus illam non dat. DA. Ridelicium caput!

Quasi neesse sit, si huic non dat, te illam uxorem ducere.

osus es. Magnum indicium est nuptias non parari. DA. Num videntur convenire hæc futuris nuptiis? PA. Non opinor, Dave. DA. Opinor, inquis? non recte intelligis: certa res est, non opinio. Præterea, discedens illinc, conveni serculum Chremetis, qui dicebat se ferre olera, et minutos pisciculos, obolo entos, in cœnam seni. CH. Liberatus sum hodie omni cura et metu tua opera. DA. Minime quidem liberatus es. CH. Quid ita? Nempe Chremis non dat filium suam Pamphilo. DA. Ridelicium hominem: quasi neesse sit, si ille non dat filiam Pamphilo,



Sed quid tandem se scire dicit Pamphilus? Et vide, quam bene quadret exultans illud 'Magnum signum' tepido 'Non opinor, Dave.' Immo gravissimo verbo, 'Scio,' i. e. certo scio, finit orationem servus; 'Magnum signum' autem calidiori Charino tribuendum est. *Both.*—29 Num *εμφατικώτερος* lectio, quam illa quorundam Mss. *Non. West. Vetus Cod. Magnum signum est hoc.* Lind. Verba 'conce. hæc' invertit GM. *Nihil vid. Guelf. 2.*—31 Do. *Chremi.* Sic et Mss. quidam, et ex editis vetustissimi. *West.* Illud *conveni* alienum ab hoc loco est. Itaque reponere *conspexi.* Deinde, etsi Valerius Probus ait, apud Terentium 'Chremis' et 'Chremetis' in genitivo dici: auctoritati tamen Donati parendum putamus, adeo ut legamus *Chremi.* Bent. Nihil commodius Bentleii conjectura legentis *conspexi.* Donatus et meliores codd. habent *Chremi.* Nam talia nomina duplici modo declinantur. *R. D.*—32 Quidam Mss. legunt, *entos obolo.* Guyeto placebat, *Olera et pisciculos ferret obolo cum seni.* *West.* Ne, *obolo*, quod hic emphasin habere debet, totum in Thesi lateat: ordinem muta sic: *f. in cœn. ob. seni.* Bent. quem sequitur *Perl. Holera Mur.*—33 Joh. Clericus *Art. Crit. 111. 1. 6. 26.* malebat, *Hæc nul.* Melius Mss. quidam et editi, *At nul.* *West.* Omnes codd. Faërii habent recte, *hodie, Dave, non Dave, hodie,* uti tres e nostris: atque *Ac,* non *At,* ut *Put-*

NOTE

vns, pro, ornatus. Fores floribus et frondibus ornari consueverant.

32 *Obolo*] Obolus, minutus fuit nummus Græcus, sexta pars drachma. Drachma Attica et denarius Romanus valebant sex assibus nos-

tris Turonensibus. Obolus igitur asse Turonensi, vel duodecim nummulis Turonensibus valebat, *douze deniers tournois.*

33 *At nullus quidem*] 'Nullus,' pro, non.

Nisi vides, nisi senis amicos oras, ambis. CH. Bene
mones. 36

Ibo; etsi hercle sæpe jam me spes hæc frustrata est. Vale.

te illam uxorem accipere. Nisi tu provides, nisi senis Chremetis amicos oras, ambis: nihil efficies. CH. Bene mones. Ibo ut ea, quæ præcipis, exequar; quamvis, hercle, hæc spes me jam sæpe fefellit. Vale.

//////////

schius edidit; nec *Ah*, uti quidam perperam lusit. *Bent.*—37 *Et si.* Mss. quidam, *tametsi*: alii, *tamen etsi*: uti mox pro, *sæpe jam me spes*, legunt, *sæpe me mea spes.* West.

NOTÆ

36 *Nisi vides, &c.*] Ellipsis; deest ad ejus absolutionem sit necessarium, efficies. Ellipsis est figura, qua in oratione aliquid reticemus, quod

ACTUS II. SCENA III.

PAMPHILUS. DAVUS.

PA. Quid igitur sibi volt pater? cur simulat? DA. Ego dicam tibi.

Si id succenseat nunc, quia non dat tibi uxorem Chremes, Ipsus sibi esse injurius videatur: neque id injuria;

PA. Quid igitur pater cogitat facere? cur simulat nuptias? DA. Ego dicam tibi: si propter id pater tuus nunc irascatur, quia Chremes nolit ut suam filiam ducas; ipsemet tibi videri possit injuriam tibi facere; et jure quidem, priusquam

//////////

1 In vett. codd. nulla hoc loco distinctio est a priori scena, ut neque in R. Lind. Neque in Guelf. 1. 2. et ed. Both. In Guelf. 2. *Dave*, et in 3. o *Dave*, post 'igitur.'—2 Complures Faëni libri habent *dat*: nostri omnes *det*, quod ad sententiam est rectius. *Bent.* Sic dant Br. Both. Perl. qui sic notat: 'Fa. Bent. Par. *suscens.* ex Mss. Vulg. *dat* minus Latine.' *Suscens.* etiam Br.—3 Guy. rescribendum censet *tibi*. Hallucinari videtur. West. Vel quid pro neque id *dat* Br. Ceterum hunc et sequentem vs. transponit Both.

NOTÆ

3 *Ipsus sibi*] Barlandus inquit: Reaudi ad vocem 'injurius' dativum, fer 'sibi' ad 'videatur,' et sub- tibi.

Prius quam tuum, ut sese habeat, animum ad nuptias perspexerit.

Sed, si tu negaris ducere, ibi culpam in te transferet. 5

Tum illæ turbæ fient. PA. Quid vis patiar. DA. Pater est, Pamphile.

Difficile est: tum hæc sola est mulier: dictum ac factum invenierit

Aliquam causam, quamobrem ejiciat oppido. PA. Ejiciat? DA. Cito.

PA. Cedo igitur, quid faciam, Dave? DA. Dic te ducturum. PA. Hem. DA. Quid est?

PA. Egone dicam? DA. Cur non? PA. Nunquam faciam. DA. Ne nega. 10

perspexerit quæ tua sit voluntas de nuptiis; sed, si tu dixeris te nolle uxorem, tunc ille culpam in te conjiciet: tum etiam lites et jurgia maxima commovebuntur. PA. Quid vis? patiar uxorem mihi dari? DA. Pater tuus est, Pamphile! Difficile est te ei resistere. Præterea hæc mulier, quam amas, sola est sine auxilio. Dicto citius inveniet aliquam causam, propter quam expellat illam e civitate. PA. Expellat? DA. Illico. PA. Dic mihi igitur, quid faciam, Dave? DA. Dic te ducturum Philumenam. PA. Hem. DA. Quid est? PA. Egone id dicam? DA. Cur non? PA. Nunquam faciam, Dave. DA. Noli negare te ducturum

//////////

—5 *Omnes*, quod vulgo abest, in fine additur A et Hel. comparetque post ‘culpam’ in Gu. 2. [et Br.] sicut fuit etiam in Lindembrogiano, neque abest B et C. *Both.* qui id in fine addit. Monet Perl. sic ad ‘culpam:’ ‘GM. *omnem.*’ *Negaris* Guelf. 2.—6 M. *Omnes tum illæ.* Lind. in vet. Cod. legit paulo ante, *culpam omnem in te transf.* Videtur autem et *omnes* et *omnem* ex glossa irrepsisse: quanquam *omnem* est in plusculis Mss. Pleræque edd. exhibent, *Quid vis? patiar?* Aliæ, *Quid? vis patiar?* eodem propemodum sensu. Nostra vero lectio jam Donati ætate fuit cognita. Placet vero præ altera illa. Nulla interrogationis nota est in plusculis Mss. unde R. Stephanus, et dudum ante eum plures ita ediderunt, ut nos exhibemus. *West.* *Quid vis patiar.* . . . *Both.* *Quid vis patiar?* Z. *Quidvis patiar* cum puncto maximo Br.—7 Guy. Engraphium secutus, *dictum factum.* Ita et Grævius legebat, forsitan e Ms. suo. *West.* Ibi nunc video legi *dictum aut factum.* Id. in Add. *Aut pro ac* Guelf. 2.—8 Metri causa interserendum est *eam*, et legendum *eam oppido eiciat.* Dein usus loquendi ante ‘cito’ postulat *ac*, quod a præcedente syllaba absorptum est. *Bent.* Vulgo *ejiciat*: sed codd. fere, etiam nostri A C Hel. *eiciat* *πρωλλάβως* recte: modo reponas quoque cum *Bent.* *Ac cito.* *Bothius.* *Eiciat* in GM. inveni. *Perl.* qui sic edidit, et dat Br. *Ac* abesse a Guelf. 2. monet Perl.—10 Duæ syllabæ desunt. Forte scriptum

NOTÆ

7 *Dictum ac factum*] Donatus pro- *aussi-tôt dit, aussi-tôt fait.* Simul fac-
verbinum celeritatis esse ait. Græci *tum ac dictum.*
dicunt *ἕμα ἔπος, ἕνα ἔργον.* Gallice,

PA. Suadere noli. DA. Ex ea re quid fiat, vide.

PA. Ut ab illa excludar, huc concludar. DA. Non ita est.

Nempe hoc sic esse opinor dicturum patrem :

Ducas volo hodie uxorem : tu, Ducam, inquires.

Cedo, quid jurgabit tecum ? hic reddes omnia, 15

Quæ nunc sunt certa ei consilia, incerta ut sient,

Sine omni periculo : nam hocce haud dubium est, quin

Chremes

Tibi non det gnatam : nec tu ea causa minueris

Hæc, quæ facis ; ne is mutet suam sententiam.

Patri dic velle : ut, cum velit tibi jure irasci, non queat. 20

Nam, quod tu speras, propulsabo facile : uxorem his moribus

esse. PA. Noli suadere, ut dicam me ducturum. DA. Vide, quid ex ea re eveniat. PA. Ut a Glycerio excludar, cum Philumena concludar. DA. Non ita est. Nempe opinor, id esse dicturum tibi patrem Simonem : Volo, ut hodie ducas uxorem. Tu vero, Ducam, inquires. Dic mihi, qua de re pater jurgabit tecum, si ita ei responderis. Tunc id efficies, ut, quod certum et deliberatum est ei exequi, incertum fiat, sine ullo periculo ducendæ Philumenæ : nam hocce dubium non est, quin Chremes non det tibi filiam uxorem. Nec tu, ea causa, quod dixeris patri tuo te illam ducturum, minus frequenter cum Glycerio versaberis ; ne scilicet Chremes, credens te illam dimisisse, mutet sententiam de non danda tibi filia ; teque rursus generum petat. Tu autem dic patri te velle facere, quæ voluerit ; ut, quævis cupiat, tibi justa de causa irasci non possit. Nam, quod tu speres, refutabo facile :

//////////

erat faciam. Dave. Er. Præstaret Ego dicam? Er. et Glar. duas syllabas deesse putant. West.—12 Guy. Ut hinc excl. West. qui in Addendis monet : ‘ G. ac concl. fortasse pro huc concl. quod est in EA. ET. EM. sed et in Donati ed. veteri.’ ‘ Huc. Sic Bent. Er. West. Lind. In GM. et Br. huc.’ Perl. Non ita est Nempe hoc. Sic esse, &c. Br. ubi notat Bruns : ‘ Edd. distinguunt post ‘ est ’ male.’—13 Omittit hoc esse Guelf. 1.—15 Reddes ei omnia Br.—16 Sunt ei certa consilia incerta, ut sient sine id.—17 Hoc pro hocce id.—18 Vulgo gnatam : nec, &c. male, Both. qui edidit gnatam, ne.—18-20 Integrum locum ita lego et distingo : nec tu ea causa minueris Hæc, quæ facis : ne is mutet suam sententiam, Patri dic velle, ut, cum velit, tibi jure irasci non queat. Hæc, opinor, expeditissima sunt, et planissima. Velle. Mss. quidam velle te. Et mox, nequeat pro non queat. West. Velle te GM. Br.—21 Ita lego cum Mss. et impressorum vetustis nonnullis ; alii speres. West. Pro vulgari speras, præter Donatum, V. quem Fa. inspexit, et ex nostris veterrimus,

NOTÆ

18 *Minueris*] Minus frequentem Charini persona; quod videre est consuetudinem habere debes cum ex his verbis : ‘ Quid igitur tibi vult Glycerio. Ceterum hæc scena continuatur ad superiorem, summtota pater?’

Dabit nemo : inveniet inopem potius, quam te corrumpi
sinat.

Sed, si te æquo animo ferre accipiet, negligentem feceris.
Aliam otiosus quæret : interea aliquid acciderit boni.

PA. Itan' credis? DA. Haud dubium id quidem est. PA.
Vide quo me inducas. DA. Quin taces? 25

PA. Dicam : puerum autem ne resciscat mihi esse ex illa,
cautio est :

Nam pollicitus sum suscepturum. DA. O facinus audax !
PA. Hanc fidem

Sibi, me obsecravit, qui se sciret non deserturum, ut
darem.

DA. Curabitur : sed pater adest : cave, te esse tristem
sentiat.

Nemo, inquis, dabit uxorem homini his moribus prædito : pater tuus potius tibi inveniet uxorem egenam et indotatam, quam te perditum ire amice amore patiatur. Sed, si cognoverit te libenter velle uxorem, facies eum obsequio negligentem, et tibi aliam quam Chremetis filium otiosus cunctator quæret. Interea aliquid accidet, quod desiderio tuo respondeat. PA. Itane credis fore? DA. Certum id quidem est. PA. Vide in quod periculum me conjicis. DA. Quin taces securus? PA. Dicam patri me ducturum esse Philumenam. Cavendum autem est diligenter, ne pater resciscat puerum esse mihi a Glycerio ; nam ei promisi me illum educaturum. DA. O facinus temerarium ! PA. Illa oravit me ut hoc sibi pollicerer, ut sciret me non eam solam relicturum. DA. Illud a me curabitur ; sed pater adest. Cave ne te esse tristem ex vultu deprchendat.



habent speres. Recte. Bent. Speres dant Z. Both. Perl.—24 Ita in plerisque omnibus est Mss. itaque ediderunt R. Stephanus, Heinsius, alii. Nuperræ vero edd. Mss. quosdam, atque inde Lindenbruchium et Bœclerum secutæ, *Alia* exhibent. West. Etsi omnes codd. quos ego et Fa. inspeximus, habent *Alia* : melius tamen videtur *Aliam*, sc. cum dote, non inopem. Bent. *Alia otiosus* habet Sandby. Zeun. Vulgo *Alia*, et sic omnes scripti : male. Both. GM. et Br. *Alia*. Perl. Sic Z. *Aliquod* Guelf. 2.—25 Bent. cum West. tacite edidit *Haud dubium id quidem est*. Zennius. *Dubium id quidem*. Ita, ne quis porro credat auctoritate carere hanc lect. nostri Mss. præter Hel. omnes, haud dubie Faërniani quoque et Bentleiani, item edd. vett. Vulgo male omittitur *id*. Both. Habet et Br. Omittit Z. *Haud dub. quid. est id* Guelf. 1. 'Mss. quidam,' ait West. 'Quin tace.'—26 Vulgo legunt *ab illa*. Sed præferendum *ex illa*, quod Fa. in multis libris, præsertim antiquioribus invenit, et ego in omnibus meis. Bent.—28 Mss. quidam, *qui sciret, se non deserturum*. Guy. ex Mur. *non desertum iri*. West. Recte legit vetus Mureti cod. *desertum iri*. Bent. *Deserturum* defendunt R. D. sed alterum voluit Both. et cum Perl. edidit. *Qui me sciret* Br.—29 M. *cave ne*. West. *Cave ne te tr. sent. esse* Guelf. 2. Sic notat Perlet : 'Par. un. C. ne.'

ACTUS II. SCENA IV.

SIMO. DAVUS. PAMPHILUS.

SI. REVISO quid agant, aut quid captent consilii.

DA. Hic nunc non dubitat, quin te ducturum neges.

Venit meditatus alicunde, ex solo loco.

Orationem sperat invenisse se,

Qui differat te: proin tu fac, apud te ut sies. 5

PA. Modo ut possim, Dave. DA. Crede, inquam, hoc mihi, Pamphile,

Nunquam hodie tecum commutaturam patrem

Unum esse verbum, si te dices ducere.

SI. *Redeo, ut videam, quid Pamphilus et Datus agant, aut quid consilii capere cupiant.* DA. *Patri nunc dubium non est, quin te ducturum uxorem neges. Venit ille ex secreto aliquo loco, meditatus orationem, quam sperat se invenisse idoneam; qua animum tuum disturbet, et in diversum distrahat; proinde fac ut sis tui compos, et paratus ad respondendum.* PA. *Dummodo id possim.* DA. *Crede mihi hec; inquam, Pamphile, patrem tuum ne uno quidem verbo tecum altercaturum, si te dices uxorem velle, quam dederit.*

1 Pro aut quid numerus postulat et Terentii consuetudo *quidre*. Bent. Sic dat Perl.—2 *Nunc* abest a quibusdam Mss. *West*.—4 M. *Rationem*. Sic et Pal. 1. *Id*.—5 Quidam Mss. atque in iis duo Leidd. *Qua*. Mss. quidam *ap. te sies*. Idem. G. *Qua*. Idem in Add. *Qua*. Ms. *Qui*. Lindenbrogius. Bas. et Decurtatus habent *Qui*, et ita quoque in Vi. et V. est emendatum, ait Fa. Duo tantum e nostris *Qua*, ceteri *Qui*. Bent. Vulgo *ap. te ut sies*, frustra. *Both*. qui delcet *ut*. *Qua* dant Guelf. 1. 2. Br. *Sis* GM.—6 Guy. *Modo possim*, ob metrum. *West*. *Modo ut possim*. Ms. *Modo ut possim, Dave*. Lind. Vulgo *Modo ut possim, Dave*: consentientibus quidem scriptis, sed invitis veteribus impressis libris, qui instar scriptorum merito habentur. Et mihi subridiculum semper visum est illud *Dave*. *Both*. qui dat *Ut possim modo*. 'C. I. et E. V. *possum, male*,' Perl. Per has abbreviaturas vult J. et fortasse ed. Ven.—8 Abest esse a Par. Mss. quarto. Perl.

NOTÆ

1 *Captent*] Captare, est desiderare capere; ut vendito, non est, frequenter vendo, sed vendere cupio. Talia multa sunt, quæ frequentativæ formæ censentur, cum sint desiderativa; qualia sunt *prendo*, *dormito*, *ostento*, *munito*, id est, munire cupio. Hæc ex Turnebo.

7 *Commutaturum Unum esse verbum*] Sermones commutare, est colloqui; sed hoc loco est altercari, et verbis invicem certare; et 'nunquam tecum commutaturum unum esse verbum,' hoc possis interpretari, ne uno quidem verbo tibi reclamaturum.

ACTUS II. SCENA V.

BYRRHIA. SIMO. DAVUS. PAMPHILUS.

BY. HERUS me, relictis rebus, jussit Pamphilum
 Hodie observare, ut, quid ageret de nuptiis,
 Scirem: id propterea nunc hunc venientem sequor.
 Ipsum adeo præsto video cum Davo: hoc agam.

SI. Utrumque adesse video. DA. Hem, serva. SI. Pam-
 phile. 5

DA. Quasi de improvise respice ad eum. PA. Ehem, pa-
 ter.

BY. Herus Charinus jussit me, rebus omnibus posthabitis, hodie observare Pamphilum, ut scirem quid ageret de nuptiis cum Philumena: propterea nunc venientem hunc subsequor. Sed ecce hic propius adest cum Davo. Hoc agam, ipsum observabo. SI. Utrumque, Pamphilum ac Davum, prope esse video. DA. Hem serva, quæ præmonui. SI. Pamphile. DA. Respice ad patrem, tanquam non prævideris



1 Mss. quidam *rel. r. omnibus*. West. ET. et EM. *rel. r. omni*. Id. in Add.—2-3 Guy. omnino docet scribendum, *huc cen.* intelligitque Pamphilum. Mihi etiam major obscuritas esse in his verbis videtur. Quid ergo? Conjeciebam, lect. vulg. *hunc*, esse retinendam, et per *hunc* non Pamphilum, sed Simonem intelligendum. West. Pro *id* unus e nostris habet *huc*, rectius. Sed totus versus est spurius. Emenda sic, *observarem, quid ageret*, &c. Bent. Bentr. legit, *observarem quid*: et seq. versus tanquam spurium delet. Burmann. Bentleianis inventis ad Suet. Vesp. c. xxxiii. contradicit, et constructionem *me jussit observarem* scabiam vocat, sed Gesnerus defendit et construendi rationem explicat in Thes. Ling. Lat. voce 'Jubeo.' R. D. Bentleium omnino sequitur Both. *Observarem quid* dat Perl. Ad vocem *hunc* notat Gloss. ap. Br. 'Vel huc.' Distinguit Perlet *Scirem id: propt.*—6 De. Alii *ex*. West.—8 Ordo

NOTÆ

3 *Id propterea*] 'Id' sæpe apud Plautum et Terentium amat poni pro, ideo, et, propter id: estque antiqua locutio; quamobrem quidam censent legendum hic esse: *ut quid ageret de nuptiis Scirem id*. Nam, si legatur, *id propterea*, alterum fore supervacuum. Verumtamen vera est lectio *id propterea*. Etenim tralaticium, ut synonymæ voces apud hunc auctorem aliosque sæpe jungantur, ut 'etiam quoque,' 'nunc jam,' 'ergo igitur,' 'quamvis licet,' 'propere

ocys,' aut ornandi, aut explendi metri, aut significationis intendendæ causa, etsi superflua, copulantur.

4 *Præsto video*] Præsto esse, id est, præsentem esse, vel adesse. Cicero: 'Præsto sunt hirundines æstivo tempore.' Et pluribus locis aliis.

6 *Quasi de improvise*] Id est, reflectendo conjice ita oculos ad eum, ac si antea illum non vidisses; ne suspicetur meditata nos habuisse consilia.

DA. Probe. SI. Hodie uxorem ducas, ut dixi, volo.

BY. Nunc nostræ timeo parti, quid hic respondeat.

PA. Neque istic, neque alibi tibi usquam erit in me mora.

BY. Hem.

DA. Obmutuit. BY. Quid dixit! SI. Facis ut te decet, 10
Cum istuc, quod postulo, impetro cum gratia.

DA. Sum verus? BY. Herus, quantum audio, uxore ex-
cidit.

SI. I nunc jam intro: ne in mora, cum opus sit, sies.

PA. Eo. BY. Nullane in re esse homini cuiquam fidem!

Verum illud verbum est, vulgo quod dici solet, 15

Omnes sibi malle melius esse, quam alteri.

illum. PA. Hem pater. DA. Probe respondisti. SI. Volo ut ducas uxorem hodie, ut tibi dixi. BY. Ego nunc metuo nobis; sollicitus quid Pamphilus respondeat patri. PA. Neque in ista re, neque in ulla alia ero unquam in mora, quominus ea fiant, quæ volueris. BY. Hem. DA. Ad hoc responsum Pamphili, pater Simo obmutuit. BY. Quid dixit Pamphilus? SI. Facis ut te decet, cum istud, quod postulo, impetro a te tam grate et obsequiose. DA. Nonne sum ridiculus? BY. Herus, quantum ex verbis Pamphili intelligo, uxoris spe dejectus est. SI. Ijam nunc intro, ut nulla mora per te fiat, quando opus erit. PA. Eo. BY. Itane est ut nulla in re homini cuiquam sit fides? Verum est illud proverbium: Omnes

verborum, nostræ timeo parti, idem reperitur in omnibus codd. Faërne, et meis plerisque. Bent. Sc. antea fuerat scriptum *nost. p. t.*—9 Omnes fete nostri rotundius et metro convenientius legunt, *tibi erit usquam*. Bent. Sic Br. et Both. *Usq. tibi erit Z.*—10 *Quid dixit!* Vulgo cum interrogandi signo editur. Sed interrogatio nulla est. Sunt verba admirantis. Idem Antesignanus edidit. West. Sed interrogationem dant Br. Z. Bent. Both. Perl. qui notat: '*Ommutuit*. Sic script. Bent. Par. recte.'—12 *Quidam Mss. ab uxore excidit*. Alii, *decidit*. Westerhovius. G. EA. ET. EM. *ab uxore*. Id. in Add. Non agnoscit Br. interrogationem post '*verus*.'—14 Mss. alii *esse cuiq. hominum fidem*. Westerhovius. G. [Br.] et EA. *Nullanne in re esse homini cuiq. fid.* EM. *Nullanne in re cuiq. homini fid.* Id. in Add. Veteres quædam edd. *cuiquam hominum*: Pet. *cuique homini*, quod melius est, ne ictus in ultimam *τὸὺ homini* perperam incidat. Bent. Vulgo *Nullanne in re esse homini cuiq. f.* prorsus inconcinne. Bent. [et Perl.] *N. in re esse cuiq. h. f.* Vide an magis profecerim. Both. qui dat *N. in re cuiq. esse homini f.* Monet Perl. *esse Nullanne in Par.* Mss. et quoiquam in Par.—15 Gu. 2. *istud*.—16 Plerique libri cum editt. priscis [et sic Both. et Perl.] collocant versus: *O. sibi esse melius malle q. a. V.* et Bas. ita: *O. sibi malle melius esse, &c.* Ego repono sententiæ gratia, *O. sibi esse bene malle, q. a.* Bent. Damnat Perl. emendationem Bentleianam.—17

NOTE

9 Hem] Interjectio est indignantis Byrrhiæ, qui secum hoc totum loquitur.

10 Quid dixit] Interrogatio est indignantis; et Byrrhia secum hoc totum loquitur.

Delph. et Var. Clas.

Terent.

X

Ego illam vidi virginem, forma! bona
 Memini videre: quo æquior sum Pamphilo,
 Si se illam in somnis, quam illum, amplecti maluit.
 Renuntiabo, ut pro hoc malo mihi det malum. 20

sibi melius esse malle, quam alteri. Ego vidi virginem illam Philumenam; memini me vidisse illam forma honesta esse. Quapropter æquior sum et moderatior in accusando Pamphilo, quod verba dederit Charino; si se illam ut uxorem in somnis, quam illum (Charinum) amplecti maluit. Illud hero meo renuntiabo, ut pro hoc malo nuntio me male tractet.

//////////

Varie hæc distinguuntur. Sunt, qui legunt: *Ego illam vidi virginem: forma bona Memini videre.* Alii: *Ego illam vidi virginem forma bona. Memini videre.* Rursus alii: [et sic Z.] *Ego illam vidi: virginem forma bona Memini videre.* Ἐμφατικώτερον autem videtur, ut edidi. *West.* Lege, *Ego, cum illam vidi, virginem forma bona Memini videre.* Bent. Sequitur *Perl. E. il. vidi virginem: forma bona Memini videri* Both. Abest cum a *Guelf. 3.* ait *Perl.* ad h. vs. Fortasse voluit versum 11. aut 13.—18 Alii: *Memini me videre.* Elegantior autem Latinitas est, quoties τὸ ‘*memini*’ jungitur infinitivo præsentis. *West.* —19 *Si sese in s.* Both.—20 Vel non: supple det. *Br.* Suntne igitur codices, qui præferunt *non det?* *Bruns.* *Hoc* delet Both.

ACTUS II. SCENA VI.

DAVUS. SIMO.

DA. HIC nunc me credit aliquam sibi fallaciam
 Portare, et ea me hic restitisse gratia.

SI. Quid Davus narrat? DA. Æque quicquam nunc quidem.

DA. *Simo me credit aliquam fallaciam huc afferre, atque ea de causa hic remansisse.* SI. *Quid Davus narrat?* DA. *Nihil quidem quicquam nunc, æque atque*

//////////

1 *Quidam Mss. aliquam fallaciam legunt, omisso sibi; quemadmodum mox restitisse gratia hic.* *West.*—2 *Sunt, qui non agnoscunt me.* *Id.*—3 *Alii, Quid, Dave, narrat?* sub. *Pamphilus: perperam, opinor.* *Ex Pal. 2. citat Parcus: Neque quicquam nunc quidem: sensu perspicuo.* *Id.* *Etsi omnes codd. repugnant, legendum tamen puto, Quid, Dave, narrat, sc. Pamphilus, qui superiori Scena cum Davo domum ibat. Igitur Davus, quem Simo cum filio de nup-*

NOTÆ

1 *Hic nunc me credit]* Davus secum tamen audiat: sic tamen loquitur, ut ita videtur loqui, ut spectator tan- velit audiri a Simone.

SI. Nihilne? hem. DA. Nihil prorsus. SI. Atqui expectabam quidem.

DA. Præter spem evenit: sentio: hoc male habet virum. 3

SI. Potin' es mihi verum dicere? DA. Nihil facilius.

SI. Num illi molestæ quippiam hæ sunt nuptiæ,
Propter hujusce hospitæ consuetudinem?

DA. Nihil hercle: aut, si adeo, bidui est aut tridui

Hæc sollicitudo: nosti? deinde desinet. 10

Etenim ipse secum eam rem recta reputavit via.

antea narro. SI. Nihilne? hem. DA. Nihil prorsus. SI. At ego expectabam ut aliquid narrares. DA. Evenit illi contra expectationem, sentio, quod nihil inaudivit quicquam a me, quod speraret scire: hoc male habet virum. SI. Potesne mihi verum dicere? DA. Hoc mihi nihil facilius est. SI. Nonne filius ægre fert has nuptias, propter istius peregrinæ Glycerii consuetam familiaritatem? DA. Neutiquam hercle, aut, si adeo ægre fert, duorum dierum aut trium hæc ægritudo est. Scisne? Deinde finem accipiet: namque recta ratione sæpius consideravit in

tiis locutum aliquid putat, hic interrogatur. *Bent. Dare Bent. Omn. codd. Davus. At vero præter Bent. in Par. Ed. it. Dave pro var. exhibetur. Quod ipsum probo. Perl.—4 Bent. semper fere pro nihil et mihi edidit nil, mi. Semel monuisse sat erit. Zeun. Atqui? Br.—5 Ed. 1469. evenit huic. West.—6 Guy. rescribit Facilius nihil. Id. Concinnitatis gratia ante 'nihil' pone Ego? Bent. Dat Both. Potin' est te dicere verum mihi? DA. Nil fac. Perlet sequitur Bent. et monet Guelf. 1. omittere Ego?—7 Cod. unus e Regiis habet hæc. Vetuste et vere. Bent. Accedit Perl.—8 Er. eumque secutus Guy. Huj. propt. cons. hosp. West. Etsi omnes codd. quos vidit Fa. habent ordinem Donati: melior tamen est ordo: Propt. hosp. hujusce. Ceterum antiquius est hospitai. Bent. Dat Perl. Pr. hospitæ huj. cons. 'Vulgo quippiam hæ sunt (Gu. 1. sunt hæ; unde colligas non ita certam esse sedem pronominis) n. Propter huj. hosp. cons. prorsus inconcinne. Both. qui legit quipp. sunt n. Hæc propt. hosp. hujus cons.—9 Bodl. bid. aut trid. est. West. Sic et Br. Si omittit Guelf. 1.—10 Bent. post 'nostri' posuit signum interrogationis, quod non est opus. Zeun. Interrogationem non admittunt Br. Z. Both. 'Mallem,' ait Perl. 'pronuntiatum absque interrogatione. Leg. al. nostin; al. nostine.' Sinet Guelf. 1.—11 Sollicitant hunc l. eruditi; et est mira Msstorum varietas. Bodl. Eam secum rem ipse recta reputavit via. Fa. ita esse in libris scriptis fatetur, ut edidi. Delet autem recta, cum quod non aliter stet versus, tum quod Donatus hanc vocem non agnoscat. Agnoscit vero in Ms. Hulst. sed ita: Eam rem recta putavit via. Guyetus, ut versum rectum et integrum habeat, eam rem tollit, vocans interpretamentum. Non autem libet, neque adeo licet ita grassari. West. Vet. Cod. Eam secum ipse*

NOTÆ

4 Hem] Indignantis hic vox est.

5 Præter spem evenit] Hoc secum loquitur Davus.

Hoc male habet virum] Quod de me nihil rescire potest certi de animo filii; qui præter spem ejus promisit

se ducturum uxorem: quodque suspicari videamur, ipsum nuptias simulare. Idecirco Davus postea dixit, 'Commovi.'

11 Reputavit] Sic Donatus legit. Alii reputabit.

SI. Laudo. DA. Dum licitum est ei, dumque ætas tulit,
Amavit: tum id clam: cavet, ne unquam infamiæ
Ea res sibi esset, ut virum fortem decet.

Nunc uxore opus est: animum ad uxorem appulit. 15

SI. Subtristis visus est esse aliquantulum mihi.

DA. Nihil propter hanc rem: sed est, quod succenset tibi.

SI. Quidnam est? DA. Puerile est. SI. Quid est?

DA. Nihil. SI. Quin dic, quid est?

DA. Ait, nimium parce facere sumtum. SI. Mene?

DA. Te.

Vix, inquit, drachmis est obsonatus decem. 20

Num filio videtur uxorem dare?

animo hunc insanum amorem Glycerii. SI. Hac de causa eum laudo. DA. Dum illi per te licitum fuit, atque ætas permisit, amori indulsit; tum id secreto. Cavet ne unquam ex hac re infamiam contraheret, ut virum fortem decet. Nunc uxore illi opus est: ideo, ille animum contulit ad uxorem ducendam. SI. Visus est mihi subtristis esse aliquantulum. DA. Minime sane propter nuptias, sed causam habet cur tibi subirascatur. SI. Quidnam est? DA. Puerilis res est. SI. Quid est? DA. Nihil. SI. Tamen, dic mihi quid sit. DA. Ait te nimis parcum esse in faciendo sumtu. SI. Mene? DA. Te. Vix, inquit, decem drachmarum pretio obsonia emit. Num filio nuptias videtur apparare? Quem, inquit, invitabo ad

rem recta reputavit via. Lindenbrogius. Etenim ipsus secum eam rem reputavit via. Sic versus legit in V. Faërnus, cui consentit unus e nostris vetustissimus. Sed nos delemus secum tanquam alienum, et post 'rem' reponimus recta, quod Faërnus vidit in codd. et consuetudo Terentii et Plauti postulat. Bent. Accedit Perl. Recta delet Z. Secum post 'ips.' legere Guelf. 3. notat. Perl.—12 Mss. quidem est illi. West. Bent. metri causa scripsit eii. Zeun. Dat Sic laudo. DA. Dum ei licitum est Bothius, cui eii minus placet. —15 Sibi post 'ux.' Guelf. 2.—16 In quibusdam Mss. non legitur rō esse. West. Ut trochæus evitetur, lego aliquantillum. Bentlins. Aliquantum. Sic Gn. 1. quod metro aptius est quam vulgatum aliquantulum. Ap. Pr. p. 1208. legitur aliquid. Both.—17 Dele rem, ut 'hanc' referatur ad hospitam, Glycerium. Antiquissimi libri habent succenset. Bent. Sequitur Perl. qui notat: 'Var. lect. ap. Bip. succenseat.'—18 Alii, Nihil est. Er. Gny. Tan. Faber, Quid id est? obmetrum scilicet. West. Ante 'Nihil' reponere Quid id est? Bent. Sequitur Perl. 'Vulgatum scabris numeris et male collocato verbo 'Puerile.' Gn. 2. sed quod succ. tibi. Bentleii Regius Quid est? Puerile est: quidnam est. Unde reponend. esse vidi Puerile quiddam est. Er. scriptos hand dubie secutus, Quid id est? ut sententia et versus postulant, monente Bent. quod et in B et C conspicitur, libro A exhibente Quid est id? Both. qui dat: Sed, quod succenset tibi, Puerile quiddam est. SI. Quid id est? &c. —19 Alii, Ait te. Mss. quidam, perparce. Westerhovius. G. EA. ET. EM. perparce. Id. in Addendis. Ait. Pall. te. Sed ea lect. sicut pleræque Patalinorum, glossam sapit. Perl. qui notat glossare esse in Guelf. 1. 3.—20 Duo codd. primarii legunt est obsonatum. Recte. Bent. Bent. edidit obsonatum: sed displicet homeoteleuton. Both. Bentleium sequitur Perl.—21 Ms. plusculi citra interrogationem: Non filio r. u. dare; sed minus ἐμφατικῶς. West. qui in Addend. monet ita dare G. EA. ET. EM. Ad Num notat glossa in Br. 'Vel

Quem, inquit, ad cœnam vocabo meorum æqualium
 Potissimum nunc? et, quod dicendum hic siet,
 Tu quoque perparce nimium: non laudo. Si. Tace.
 DA. Commovi. Si. Ego istæc, recte ut fiant, videro. 25
 Quidnam hoc rei est? quid hic volt veterator sibi?
 Nam, si hic mali est quicquam, hem illic est huic rei
 caput.

cœnam meorum æqualium, maxime nunc in hac nuptiarum celebritate? Et, quod tua venia hic absente filio dicere debeo, tu quoque parce nimium suntum facis. Non laudo istud. Si. Tace. DA. Ego sollicitavi animum Simonis meis verbis, et in suspicionem adduxi, nos credere nuptias eum simulare. Si. Ego providebo ut hæc decenter parentur et fiant. Quidnam hoc rei est? quidnam sibi vult hic vetus fraudum architectus? Nam, si hic, in his nuptiis, quicquam impedi- menti est; hem, in hoc rerum cardine præcipue versatur hujus impedi- menti caput.

nonne? Non pro Num Gnelf. 1.—23 Interrog. signum dat Br. post 'siet.'—24 Lege per parce nimium, h. e. pernimum parce. Nam, quod supra 19. 'nimum parce' dixerat, id nunc amplificat. Bent.—25 Ita vulgo distinguitur, nec male. Possit tamen sensus esse: *Ego istæc recte, ut fiant, videro.* Ut adeo jungenda sint, recte videro, non, recte fiant. West. *Ego, istæc ut fiant, videro* Bothius. Bent. et Perl. minora puncta omittunt.—26 Lege, *Quid hoc est rei.* Bent. *Quidnam hoc est re* (sic) dat Both.—27 Lege *mali'st*, ne *mali* totum in Thesi obscuretur. Bent.

NOTE

23 *Quod dicendum hic siet*] Id est, 26 *Veterator*] Imposturis assuetus. hic inter nos, non alibi.

ACTUS III. SCENA I.

MYSIS. SIMO. DAVUS. LESBIA. GLYCERIUM.

MY. ITA pol quidem res est, ut dixti, Lesbia:

MY. *Ita pol quidem res se habet, ut dixisti, Lesbia! non facile invenientur vir*

1 Mss. quidam, *ut dixit Lesbia.* Præstat autem lectio vulg. West. Duo tantum codd. habent *dixisti.* Quæ vera est lectio. Nam concinnius 'res'

NOTE

Laudat hic in principio hujus Scen- stantia erga Glycerium.
 næ Mysis Pamphilum a fidei con-

Fidelem haud ferme mulieri invenias virum.

SI. Ab Andria 'st ancilla hæc? quid narras? DA. Ita est.

MY. Sed hic Pamphilus. SI. Quid dicit? MY. Firmavit fidem. SI. Hem.

DA. Utinam aut hic surdus, aut hæc muta facta sit. 5

MY. Nam, quod peperisset, jussit tolli. SI. O Jupiter!

Quid ego audio? actum 'st, siquidem hæc vera prædicat.

LE. Bonum ingenium narras adolescentis. MY. Optimum.

Sed sequere me intro, ne in mora illi sis. LE. Sequor.

DA. Quod remedium nunc huic malo inveniam? SI.

Quid hoc? 10

constantis fidei erga mulierem. SI. Ex Andriæ familia est hæc ancilla. Quid narras? DA. Ita est. MY. Sed hic Pamphilus. SI. Quid illa dicit? MY. Fidem, quam dederat, confirmavit. SI. Hem. DA. Utinam, aut hic surdus, aut hæc muta facta sit. MY. Nam, quem partum illa edidisset, ille jussit educari. SI. O Jupiter! quid ego audio? actum est de nobis, si modo ea vera sunt, quæ hæc ancilla prædicat. LE. Mores bonos narras adolescentis. MY. Optimum; sed sequere me intro, ne tardius ad illum venias. LE. Sequor. DA. Quale remedium nunc huic malo inveniam? SI. Quid hoc rei est? udeone Pam-

in Arsi hic ponitur, quam illic in Thesi. *Bent.*—3 Duplicem feci interrogationem, contra quam fieri solet. Sunt autem Mss. in quibus est, *quid narrat?* quando verba proxime præcedentia citra interrogationem fuerint pronuntianda. *West.* Verba ita distribuenda esse censeo, ut, 'Quid narras,' sint Davi non interrogantis, sed admirantis et quasi negantis, vel gravate concedentis, ut *Phorm.* v. 7. 42. sed 'Ita'st' sint Simonis, rem confirmantis. *Bent.* qui cum Br. et Z. non interrogat post 'hæc.' Sequuntur omnino *Bentleium* Both. et *Perl.* *Narrat* *Gnelf.* 2.—5 *Aut hic surdus.* Sic *Plautus Casin.* 111. 3. 12. *Metuo, ne non sit surda atque hæc audiverit.* Mss. quidam prius aut omittunt. *West.*—8 *Bonum* delet Both. Interrogationem post 'adol.' pro var. lect. memorat Br. glossa.—9 *Ne in mora illi sis.* Nonnulli Mss. addunt, *cum opus est.* *West.* Vulgo *mora illi sis,* ex int. Codd. nostri unanimes.

NOTE

4 *Sed hic Pamphilus]* Mysis pergit laudare Pamphilum, non attendens ad Simonis verba, sed alloquens Lesbiam. Itaque sensus est: Vix invenias virum fidelem mulieri; sed hic Pamphilus ita fidelis est Glycerio, ut fidem, quam ei dederat se eam ducturum, confirmaverit; pollicendo ei, se, quod peperisset, educaturum, cum

posset exponere. Exinde inter se seorsum colloquuntur.

10 *Quod remedium]* Simo, ex sermone Mysis ad Lesbiam, audiverat ea quæ Pamphilus pollicitus fuerat Glycerio, in confirmationem fidei data: propterea sollicitus Davus quærit, qua arte avertat mala, quæ ex improvisa Mysis narratione accidere

Adeon' est demens? ex peregrina? jam scio, ah!
 Vix tandem sensi stolidus. DA. Quid hic sensisse ait?
 SI. Hæc primum affertur jam mihi ab hoc fallacia;
 Hanc simulant parere, quo Chremetem absterreant.
 GL. Juno Lucina, fer opem! serva me, obsecro! 15
 SI. Hui, tam cito? ridiculum: postquam ante ostium
 Me audivit stare, appropereat: non sat commode
 Divisa sunt temporibus tibi, Dave, hæc. DA. Mihin'?
 SI. Num immemores discipuli? DA. Ego, quid narres,
 nescio.

philus insanit ex amore hujus peregrinæ? Jam tandem novi rem omnem. Ah, vix tandem intellexi stultus ego hanc fallaciam. DA. Quid hic se intellexisse ait? SI. Hæc primum jam mihi intenditur a Davo fallacia. Hanc simulant parere, ut deterreant Chremetem a nuptiis faciendis. GL. Juno Lucina, fer opem, serva me, obsecro. SI. Hui, tam cito Glycerium parit? Rîsu digna res. Ut primum illa me audivit ante ostium stare, festinat parturire. Hæc, Dave, non satis apte tibi per tempora disposita sunt. DA. Mihine hoc dicis? SI. Num ita oblivisceris, et negligis Pamphilum discipulum tuum, ut eum tam male doceas? DA. Ego

Both, qui dat *ne in mora sies. Illi delet et Br.—11 Hugenius junctim videtur legisse: Adeon' est demens ex peregrina? Sed et ita edidit Lind. Perperam, opinor, sed et contra Donati mentem. Ah. Dolentis et suspirantis est particula, qualis h. l. minus convenit in Simonem. Malim, vah. West. Non interrogationem, sed maximum punctum dat Br. post 'peregr.'—12 Pro sensisse, in quibusdam Libris est, sensisse se; in aliis, se sensisse. West. qui notat in Addendis: 'G. EM. ET. sens.se.' Sic Br.—15 In R. ut et in aliis Ms. sic erat: *Intus, Juno L.* Sed *rd Intus* ideo ab exscriptore additum est, ut intelligamus hæc post scenam fieri: ut in *Adelph. Act. III. scen. 4.* 'Miseram me, differor doloribus.' Nam et hic quoque vet. cod. addit *intus*. Lind. Accedit *Westerhovins*, qui monet *Intus* exhibere Ed. an. 1469. Sic et Br. habet, sed junctum cum 'Glycerium.'—17 *Commodis* dat Both.—19 Jam Donati ætate lectum etiam, *Num immemor es discipuli?* quomodo est in M. [et GM.] et duobus Leidd. edit. 1469. aliisque, [et Z.] Præstat lectio altera, quam exhibuimus. Sunt autem Mss. atque in illis Tr. ubi citra interrogationem legitur, *Non immemor es discipuli:* quomodo et quædam edd. vetustæ expresserunt, in quibus est *Junt.* Sed et *Eug. ita* legebatur. *West.* Lego cum *Donato immemores.* Altera lectio, quam posuit *Donatus* et expressit *Fa. immemor es discipuli*, sc. *Pamphili*, plane inepta est. *Bent. Immemores* edidit *Sandby. Zeun. Num immemor es discipuli.* Primo sic in Ms. [sc. Br.] legebatur: sed mutatum est *Num* in *Non*, signum inter. deletum, et prior lectio tanquam V. L. superscripta. *Bruns.* Vulgo, *Ego, quid narres, n.* versu impedito. Abest *Ego Gu. I. Narras Hel. Græ-**

NOTE

poterant; idcirco jam dixerat: 'Utinam aut hic surdus, aut hæc muta facta sit.'

16 *Hui, tam cito* 'Hui' interjectio est admirantis, irascentis, interdum

etiam irridentis, qualis hic est.

19 *Num immemores [immemor es] discipuli* Alii legunt in nominativo plurali: *Num immemores discipuli tui sunt præceptorum, quæ eis tradidisti?*

SI. Hiccine me si imparatum in veris nuptiis 20
 Adortus esset, quos mihi ludos redderet!
 Nunc hujus periculo fit. Ego in portu navigo.

minime intelligo, quid dicas. Si. Si me hic improvidum fallaciarum suarum, parantem veras nuptias filio, aggressus esset, quot modis me fuisset ludificatus? nunc ejus periculo hæc a me simulantur: res vero meæ in tuto sunt positæ.

//////////

co more. *Both.* qui delet *Ego* et legit *narras*.—21 Minus placet emendatio Guyeti, legentis, *ederet*. *West.* Corrigit *Bentl.* egregie *quos me l. R. D.* *Me* dat *Both.* qui hanc *Scenam* cum sequenti continuat.

NOTE

Hi discipuli sunt, Pamphilus, Mysis, magistri præcepta imprudenter ob-
 et Lesbia, quos Simo ait magistrum servare atque exequi.
 habere Davum in nectendis dolis, et

ACTUS III. SCENA II.

LESBIA. SIMO. DAVUS.

LE. ADHUC, Archilis, quæ assolent, quæque oportet
 Signa esse ad salutem, omnia huic esse video.
 Nunc primum fac, isthæc ut lavet: post deinde,
 Quod jussi ei dare bibere, et quantum imperavi,

LE. Adhuc, Archillis, omnia signa, quæ solent, quæque oportet indicare salutem decumbentium ex partu, huic puerperæ adesse video. Nunc primum fac, ut ista lavet: deinde date ei bibere, quod præscripsi, et quantum imperavi: statim post

//////////

1 Sunt qui ἀρχαϊκῶς oportent legunt. *West.* Alios legere oportent monet glossa in Br.—2 *Sig. ad sal. esse.* O. l. s. et *Donatus Sig. esse ad sal.* *Faërmus.* Ita et nostri omnes. *Bent.*—3 *Lavetur* in quibusd. libb. *West.* Deleo ut, ut pes creticus servetur; aut, si quis ut retinere malit, legat cum veterri-
 mo cod. *fac ista ut.* *Bent.* Omnia hæc turbat *Gov.* et *facile* pro *fac* legit, metri sui gratia. Ut delent *Perl.* *Both.*—4 *Alii, dari:* fortasse emendatus *date:* cujus repetitio emphatica est. Legitur autem *date* in Mss. nonnullis et ed. Ven. 1490. *Juntina* posterius *date* non agnoscit. *West.* *Dare.* *Rec-*
tins, quod in Ms. *dari.* *Lind.* Lectio *dari,* quam in V. et *Decurtato* reperit

NOTE

3 *Fac, isthæc ut lavet]* 'Lavet' de Truculento: in Epidico, Actu v. Sc. balneo intelligendum est. Lavabant 1. Et 'lavatrina' balneum domesti-
 lass, peregræ venientes. *Plant.* in cum.

Date: mox ego huc revertor.

Per ecastor scitus puer est natus Pamphilo.

Deos quæso, ut sit superstes, quandoquidem ipse est ingenio bono.

Cumque huic veritus est optumæ adolescenti facere injuriam.

SI. Vel hoc quis non credat, qui norit te, abs te esse ortum? DA. Quidnam id est?

SI. Non imperabat coram, quid opus facto esset, puerperæ: 10

Sed, postquam egressa est, illis, quæ sunt intus, clamat de via.

O Dave, itan' contemnor abs te? aut itane tandem idoneus

Tibi videor esse, quem tam aperte fallere incipias dolis?

redibo huc. Ecastor, puer valde pulcher et elegans natus est Pamphilo. Deos precor, ut vitalis sit, et incolumis, quoniam certe pater ejus bono est ingenio, et veritus est facere injuriam huic bonæ adolescenti mulieri. SI. O Dave! quis non credat, qui te noverit, hoc etiam a te esse inventum? DA. Quidnam id est? SI. Lesbia obstetrix non præcipiebat ipsi puerperæ coram in cubiculo, quæ facienda erant; sed, postquam exivit foras, mulieribus, quæ sunt intus, maluit imperare, clamando e via. O Dave, itane contemnor a te? Aut itane tandem videor tibi aptus et opportunus, quem tam manifeste fallere incipias dolis? Saltem, astute,

~~~~~

Fa. et ego in septem e nostris, haud dubie, ut Bacchiacorum modi et leges serventur, est præferenda. *Bent. Dari. Sic Bent. Par. ex libb. Perl. qui sic legit cum Both. et monet dare legere Guelf. 2. 'Date esse legend. non dare, et codd. nonnulli testantur, et ratio indicat loquendi.' Gov. Dari dat Br.—5 Revertor. Ita quidam Mss. et editi, quod haud scio, an elegantius, quam vulgatum revertar. Westerhovius. Donatus, nonnulli codd. Faërne, et ex nostris meliores recte legunt revertor. Bent. Romanns cod. omitt. huc. Perl. Vulgo ego huc, duris numeris. Omisit pronomen A. Both, qui ipse ego omisit. Revertar Guelf. 1. et Z. 'In Guelf. 2. Date. Quod fuerat Dato.' Perl.—6 Percastor habent omnes fere codd. Terentii et aliqui Donati, quos consuluit Faërnus: sed V. et omnes præter unum nostri Percastor. Lege, Per ecastor. Nam Per pertinet ad 'scitus,' h. e. valde scitus. Bent. Per Castor. Per conjungendum est per tmesin cum 'scitus.' R. D. Pr. Percastor. Al. Per æcast. Sed plurimi libb. sine dipth. ut anapæstus in prima luj. vs. servetur. Perl.—8 Lege ex Pet. est veritus, metri causa. Bent. Sequuntur Perl. et Both.—9 Natum pro ortum ap. Do. 'Nostri omnes et vett. edd. qui te norit: recte.' Bent. Both. dat: Vel h. quin credat, qui te norit.—10 Un. Ms. Par. Non vi parab. vitiose. Perl.—11 Guelf. 1. omittit intus. Id.—13 Si legas*

#### NOTÆ

7 Ut sit superstes] Olim parentes unde superstitionem dictam esse ait præcabantur, ut sibi sui liberi super- Cicero, II. de Nat. Deor. Mart. lib. stites essent, id est, superviverent: VII. Epig. 95.

Saltem accurate, ut metui videar: certe si resciverim!

DA. Certe hercle nunc hic se ipse fallit, haud ego. SI. Edixin' tibi? 15

Interminatus sum, ne faceres? num veritus? quid retulit? Credon' tibi hoc, nunc peperisse hanc e Pamphilo?

DA. Teneo, quid erret: et quid agam, habeo. SI. Quid taces?

DA. Quid credas? quasi non tibi renuntiata sint hæc, sic fore.

SI. Mihin' quisquam? DA. Eho! an tute intellexisti hoc assimilari? SI. Irrideor? 20

DA. Renuntiatum est: nam qui isthæc tibi incidit suspicio?

SI. Qui? quia te noram. DA. Quasi tu dicas, factum id consilio meo.

*non tam aperte me decipias; ut ego ridear metui a te, non stolidus et excors aestimari, idque certe, si resciverim.* DA. Certe hercle, hic se ipse nunc fallit, non ego illum. SI. Nonne edixi tibi, et minando retui, ne tu faceres aliquam in nuptiis fallaciam? Num veritus es? Quid profuit edicere, et minari? Putasne me tibi credere hoc, peregrinam hanc a Pamphilo gravidam factam filium ei peperisse? DA. Scio in quo Simo fallatur. Ego paratum habeo, quid agam. SI. Quid taces? DA. Cur credas hanc peregrinam peperisse? Quasi vero non tibi renuntiatum sit hæc eventura esse. SI. Mihine quisquam renuntiavit? DA. Eho! an per te solus intellexisti fungi hoc, Glycerium peperisse? SI. Irrideor. DA. Renuntiatum est tibi sic fore. Nam unde hanc suspicionem aliter habere potuisti? SI. Unde? Quia noram ingenium tuum. DA. Ita loqueris, quasi credas id factum

*videbor, constat versus. Er. Tibi rideor quem.* Ex omnibus fere l. s. legendum est *Tibi rideor esse*: aliter non staret actonarius. *Fa.* Sic et omnes nostri. *Bent.*—14 Edit. distinguit post 'certe.' *Bruns.*—15 *Bodl.* et *Ed.* 1469. *nunc ipse se fallit*, omisso *hic*. *West.* *Lege Edixi tibi*, sine interrogatione. *Bent.* Sequitur *Both.*—16 *Lege veritus's*, h. e. veritus es. *Bent.* Sequitur *Perl.* 'Vel?' ait glossa in *Br.* post 'faceres?' 'atque ita,' ait *Bruns*, 'edidit *West.*' Punctum maximum pro interrog. habent *Bent.* *Z.* *Perl.* Legit *Both.* *Int. sum*: num facere veritus? ecquid retulit? et notat: 'A veritus es? quid. I. e. ni fallor, veritus? ecquid. Certe sic reponend. puto.'—17 Fortasse haud incommode *quod nunc* additur superiori commati: quod fecit *Pr.* lib. xviii. *West.* in *Add.* Interpunge post 'nunc.' *Bent.* Sequuntur *Perl.* *Both.*—18 *Teneo quid erret: quid ego agam.* O. l. s. et *Do.* et *quid ag.* *Fa.* Nostri quoque universi et *quid ag.* *Bent.*—19 *Lege tibi siet renuntiatum, hæc sic fore*, ob sententiam et vs. 21. *Bent.* *Bent.* mutat *siet renuntiatum*. Sed equidem nec mutatis ipsis, nec quibus defendat assentior. *Perl.*—20 *Irrideor?* Cum interrogatione videtur dictum, ut dubitantis potius sit, quam affirmantis. Unde exclamandi signum sustuli. *West.* Sic et *Both.* Sed non interrogant *Bent.* *Z.* *Perl.* 'Aptius erit, si reponas, *Min' quicquam?* sc. renuntiatum est?' *Bent.* Sequitur *Both.* et id mallet *Perl.* si codd. ita haberent. *Assimularier* *Guelf.* 3.—21 *Alii legunt suspectio.* *West.* *Suspicio* *Ms.* et *Pr.* lib. xv. *Al. suspectio.* *Lind.* Ne recipe *suspectio* pro *suspicio*, contra omnes codd. Nam versus est salvus, dummodo pro *istæc tibi* repo-

SI. Certe enim scio. DA. Non satis me pernosti etiam, qualis sim, Simo.

SI. Egone te? DA. Sed, si quid narrare ocepî, continuo dari

Tibi verba censes. SI. Falso. DA. Itaque hercle nihil jam mutire audeo. 25

SI. Hoc ego scio unum, neminem peperisse hic. DA. Intellexti.

Sed nihilo secius mox deferent puerum huc ante ostium : Id ego jam nunc tibi renuntio, Here, futurum, ut sis sciens. Ne tu hoc mihi posterius dicas, Davi factum consilio, aut dolis.

Prorsus a me opinionem hanc tuam esse ego amotam volo. 30

*fuisse meo consilio. SI. Certe enim scio sic esse. DA. Non satis perfecte novisti, qualis sim, Simo. SI. An ego non satis novi te? DA. Sed, si quid narrare incepî, statim te falli opinaris. SI. Falso id opinor, scilicet. DA. Itaque mehercule nihil jam, ne tu quidem dicere audeo. SI. Hoc ego unum scio, nullam mulierem peperisse hic in domo Glycerii. DA. An certo scis illud? Sed, quicquid scias, tamen ancillæ Glycerii mox deponent infantem ante ostium nostrum. Id ego jam nunc tibi prædico, here, factum iri, ut certior sis, ne tu hoc postea dicas factum esse Davi suasu et fraudibus. Omnino hanc omnem suspicionem tuam a me depul-*

\*\*\*\*\*

nas tibi istæc. Bent.—23 Rotundius et verius sic: Non satis pernosti me etiam. Bent. Accedunt Perl. Both.—24 Bodl. Sed quid tibi narrare cepî. West. Metri et sententiæ gratia lege Ego non te? Ceterum plane inutile est tibi, quod nostri codd. habent ante 'narrare.' Bent. Sequitur Perl. at Both. dat Egon' te? DA. Set si quid enarrare ocepî. Tibi dat Br. et notat Bruns: 'Edit. omitt. tibi, et est in Ms. superscriptum, sed literis contextus et eadem mann.' Dat et Guelf. 3. Egone habere Guelf. 2. 3. monet Perl.—25 Illud 'Falso' quanquam omnes libri tribuunt Simoni, cum tamen persona hominis sit indignum, ipsi Davo quoque ascribendum puto. Bent. Dissentit Perl. Legit Both. Falson' ?—26 'Intellexti' cum interrog. Br. et Z. Ego abest a Guelf. 2. 3.—27 Ne puerum in Thesi absorbeat, colloca mox puerum huc deferent. Bent. Sequuntur Perl. Both.—28 Ordo codd. et vet. edd. melior est: tibi, here, ren. Auctor tamen adhuc melius fortasse tibi, here, ren. esse fut. Bent. Tibi, here, ren. futurum dat Perl. Ren. tibi, here, futurum Both. Tibi, here, nuntio futurum Br. et notat Bruns: 'Pro nuntio olim fuit fortasse renuntio in Ms. atque sic edit.' Abest futurum a Guelf. 2.—29 G. F. delet rō dicas, ob metrum, et ut rotundior sit et ornatior sententia. West. Tolle mihi versus gratia. Bent. Hoc posterius Davi factum dicas Both. edidit.—30 Abest ego in Junt. West. Romanus cod. omitt. hanc. Perl. Sic Br. Tuans

#### NOTÆ

25 Jam mutire audeo] Ma canum corum: unde grunnire. Et mutiunt est, inquit Charisius, sicut gru por. canes, cum incipiunt irritari.

SI. Unde id scis? DA. Audivi, et credo: multa concurrunt simul,

Qui conjecturam hanc nunc facio: jam primum hæc se e Pamphilo

Gravidam dixit esse: inventum 'st falsum: nunc, postquam videt

Nuptias domi apparari, missa est ancilla illico

Obstetricem arcessitum ad eam, et puerum ut afferret simul. 35

Hoc nisi fit, puerum ut tu videas, nihil moventur nuptiæ.

SI. Quid ais! cum intellexeras

Id consilii capere, cur non dixisti extemplo Pamphilo?

*san esse volo. SI. Unde tu scis hanc Glycerium peperisse? DA. Audivi, et credo. Multa concurrunt, unde hanc conjecturam nunc facio: jam primum hæc se dixit gravidam esse ex Pamphilo. Hoc falsum esse compertum est. Nunc, postquam videt nuptias apparari domi, statim ancilla missa est ab illa Glycerio, vocatam obstetricem ad ipsam, ut simul afferret aliquem puerum supposititium. Hoc nisi fiet, et puerum allatum videas, ab illis turbari nequeunt nuptiæ. SI. Quid ais? Postquam intellexeras eas id consilii capere, cur non id illico Pamphilo rennu-*

//////////

delet Both.—31 *Multa concurrunt simul.* Hæc Simoni tribuit Bodl. cum editis quibusdam. *West.* Hinc usque ad vs. 36. in G. EM. ET. Simo loquitur. *Id. in Add.* Bent. Dac. Sandhy, et alii verba, 'multa concurrunt... moventur nuptiæ,' tribuunt Davo: recte. Nam, quæ hic dicuntur, Simoni non conveniunt, et a contextu abhorrent. *Zeun.* Plusculi Mss. 'multa,' &c. Simonis personæ attribuunt, at *West. Par. Bent.* continuatam orationem Davo dant. *Probe. Perl.* Br. et Z. dant aliter. *Bruns* notat: 'Nomen 'Simo' deletum, [sc. ex Br.] ut et paulo post 'Davo.'—32 Mss. *jam prius hæc.* Lind. Sic Br. qui dat *e Pamph.* cum *Perl.* qui notat: 'Vetus *Interp.* 'Vel, Quomodo; vel, Per quæ.' Inde lectio J. probatur *Quis pro, Quibus.*—33 *Esse post 'est'* *Guelf. 3.*—34 *GM.* post 'appar.' in marg. *a me.* Quæ lectio pars textus an glossa sit nescio. *Perl.*—35 *Afferat* *Guelf. 2.*—36 Hæc rursus Davo tribuit Bodl. sed et nonnulli ex impressis. *West. Lege, Hoc ni fit, tu puerum ut videas.* Bent. Sequitur Both.—37 Ut sit dimeter iambicus acatalectus, lege, *Quid ais? ubi intellexeras.* Bent.—38 Bodl. *Id capere consilium:* edit. 1469. *Hoc consilium capere.* *West.* Cum Terentii ævo et diu post consilii dicerent, lego hic *consilium.* Sic habent omnes nostri codd. præter unum. *Bent. Consilium* dant Br. *Perl.* Sic notat Bothius: 'Vv. 488. 9. Priorem h. versuum vulgo finiunt verbo 'intellex.' Sed manifesta in his senariorum forma iambicorum: modo pro *ais* reponas *aisti*, quod agnoscit *Probus.* Bent. *ubi* sine auctoritate: idem *consilium*, ut plures Mss. etiam nostri: et sic legit: *Quid aisti? cum int. id consilii Capere, cur non ext. dix. P.*

#### NOTÆ

32 *Qui conjecturam hanc nunc facio]* omnibus casibus ponitur, apud Plautum atque alios Comicos.

DA. Quis igitur eum ab illa abstraxit, nisi ego? nam omnes nos quidem

Scimus, quam misere hanc amarit: nunc sibi uxorem expetit. 40

Postremo id mihi da negoti: tu tamen idem has nuptias Perge facere ita, ut facis: et id spero adjuutores Deos.

SI. Immo abi intro: ibi me opperire, et, quod parato opus est, para.

Non impulit me, hæc nunc omnino ut crederem.

Atque haud scio, an, quæ dixit, sint vera omnia. 45

Sed parvi pendo. Illud mihi multo maximum 'st,

Quod mihi pollicitus est ipse gnatus. Nunc Chremem

Conveniam: orabo gnato uxorem: si impetro,

Quid alias malim, quam hodie has fieri nuptias?

*tiasti? DA. Quis igitur enim a Glycerio abstraxit, nisi ego? Nam certe nos quidem omnes scimus, quam perdit ille hanc amarit. Nunc sibi uxorem, exoptat dari. Postremo, da mihi id negotii, ut caveatur a positione pueri ante fores tuas: tu tamen perge apparare omnia ad nuptias, ut facis; et id spero adjuutores Deos. SI. Immo abi intro. Ibi me expecta, et ea appara, quæ apparari opus est. Durus non persuasit mihi, ut ea, quæ dixit, omnino huic crederem: et fortasse omnia, quæ dixit, sunt vera; sed parvi hoc facio. Illud autem omnium plurimum facio, quod mihi ipse filius pollicitus est, uxorem se accepturum, quin darem. Nunc Chremem conveniam; eum orabo ut uxorem filiam det filio meo. Id si impetro, quid malim alio tempore, quam hodie, has fieri nuptias? Nam non dubium est mihi, quin*

—40 Colloca verba ita: *Scimus, hanc quam misere amarit.* Bent. Ita dat Perl. *Miseræ Br.*—41 Bodl. non agnoscit *id idem*, neque ed. 1469. *West.* *Idem* abest a G. et EM. *Id. in Add. Lege, Postr. id da mihi neg.* Bent. Accedunt Both. Perl. *Tantum pro tamen idem* Gnelf. 1.—42 G. et Leidd. unus, *adjuutores*, quomodo et ed. 1490. et Junt. exhibent; sed et ita in quibusdam Mss. invenerat Riv. quam lect. defendit Guy. utpote antiquam, et quæ ab antiquis libris manarit. Fa. in libris recentibus ita legi affirmat; in antiquioribus, *adjuutores*. Tr. legit, *id spero adjuutores habebis Deos*: possitque videri græcissare locutio, *adjuutores id*, pro, ad id. *West.* Recentes Faëni codd. et unus tantum e nostris habent *adjuutores*. Male. Bent. Edit. *adjuutores*: quæ tanquam vera lectio in cod. superscripta est. *Bruns.*—45 Hunc vs. esse glossam censet Both. et respuit.—47 Pro *ipsum*, edidit Bent. *ipse*. Zeun. *Ipsæ* dant Br. Both. *Chremetem* Gnelf. 2.—48 Alia distinctio est in cod. vetusto: *Conveniam: orabo: gnato uxorem si impetro.* Placet tamen Prisciani lectio, *id si impetro.* Bent. *Distinctum* recepi vs. a Bent. Nisi verior est distinctio hæc: *Conveniam: orabo: gnato uxorem si imp.* Lectio *id* Prisciani est ex quatuor codd. *Perl.* *Id* inserit Both.—49 *Alias* editio Hoogstrataui

## NOTE

41 *Id mihi da negoti]* Scilicet, (ut mihi da negotii, ut efficiam, quo Pamphilus uxorem velit. vult Donatus,) ut caveatur a positione pueri ante ostium. Alii volunt: *Id*

Nam gnatus quod pollicitus est, haud dubium est mihi, 50  
 Si nolit, quin eum merito possim cogere.  
 Atque adeo in ipso tempore eecum ipsum obviam.

*filium possim pro patria potestate cogere, si nolit, præstare, quod mihi pollicitus est. Atque etiam opportune ecce Chremes mihi obviam venit.*

//////////

omisit. *West.* Quid alias, h. e. cur alio tempore, repugnat sensui. Hoc enim non deliberandum est, sed optandum. Rectissime legit Horatii Schol. Aeron ad Serm. 1. 4. 63. *Quando alias.* Bent. Præstat cum Bent. legere *Quando alias.* R. D. Sequitur Both. Qui dat Perl. qui notat *Quid legere* Guef. 1. 2. 3. Omittunt *has* J. Br.—50 *Dubium id mihi* Both. *Dub. est id mihi* Br. Notat Bothius: 'Id, quod vulgo abest, invenitur in A, utroque Gu. et vett. codd.' Inveniri in Guef. 2. 3. monet Perl.—52 Postquam per Synchronism duo superiores versus essent interpositi de Pamphilo, hic rursus de Chremete intelligendus. Neque adeo necesse cum Do. et Mss. quibusdam in fine vel *Chremem* addere, vel *Chremetem*, quod ex Glossa videtur additum. *West.* Pro *obviam*, quod non modo ambiguum est, quia 'ipsum' de Pamphilo accipi potest, sed et a sensu alienum, quia Simo adhuc in scena stabat, necdum Chremen conventum ierat, lege *Chremen*, quod nonnulli codd. adjiunt. Bent. Atqui Mss. Par. Abest in a Guef. 3. et Br. *Et cum pro eecum* dat Guef. 3. *Chremetem* in fine addit Guef. 2.

=====

### ACTUS III. SCENA III.

SIMO. CHREMES.

SI. JUBEO Chremetem. CH. O! te ipsum quærebam.

SI. Et ego te. CH. Optato advenis.

Aliquot me adiere, ex te auditum qui aiebant, hodie filiam  
 Meam nubere tuo gnato: id viso, tun', an illi insaniant.

SI. Ausculta paucis: et quid ego te velim, et tu quod quæris, scies.

SI. *Salvere Chremetem volo.* CH. *O! te ipsum quærebam!* SI. *Et ego te. Optatus advenis. Aliquot me convenerunt, qui dicebant, ex te se audivisse, hodie filiam meam nubere filio tuo: ob id venio huc, ut videam, tune, an illi insaniant.* SI. *Pauca, quæ dicam, attente audi. Et cur ego te alloqui volo, et tu*

//////////

2 J. Fr. Gronov. ad Plant. Truc. 11. 6. 21. *Aliquot ad me adiere:* ex Mss. *West.* G. [Br. et ita Perl.] *Al. me adierunt.* EM. *Al. ad me adierunt.* Id. in Add. *Adiere* edidit Fa. Sed omnes, quos vidi, codd. et edd. habent *adierunt.* Recte; ut illud 'steteruntque comæ.' Bent. *Ad me adiere* forma antiquior et verior. Both.—3 *Filio tuo gnato* Guef. 3. Alternum pro glossa. Perl.—4 *Ausculta paucis.* Ad hæc Donatus: 'Et paucis et pauca legitur.' Pr.



CH. Ausculto : loquere quid velis. 5  
 SI. Per ego te Deos oro, et nostram amicitiam, Chreme,  
 Quæ, incepta a parvis, cum ætate accrevit simul ;  
 Perque unicam gnata[m] tuam, et gnatum meum,  
 Cujus tibi potestas summa servandi datur ;  
 Ut me adjuves in hac re : atque ita, ut nuptiæ 10  
 Fuerant futuræ, fiant. CH. Ah, ne me obsecra :  
 Quasi hoc te orando a me impetrare oporteat.  
 Alium esse censes nunc me, atque olim cum dabam ?  
 Si in rem est utrique, ut fiant, arcessi jube.

*quod a me quæris, disces. CH. Audio. Loquere, quæ velis. SI. Chreme, ego te per Deos oro, et nostram amicitiam, quæ, incepta inter nos, cum parvi adhuc essemus, accrevit simul cum annis nostris crescentibus ; perque unicam filiam tuam, et filium meum, cujus servandi potestas summa tibi datur ; ut me adjuves in ejus salute conservanda ; atque ita nuptiæ inter illum et filiam tuam fiant, quemadmodum eæ fuerant futuræ. CH. Ah noli me obsecrare. Quasi hoc, si justum sit id, orando te a me impetrare oporteat. An alium me opinaris esse, atque olim eram, cum ultro filiam meam offererem in uxorem filio tuo ? Si hoc utrique nostrum utile est, ut hæc nuptiæ fiant, jube filiam meam ad eas faciendas advocari : sed, si ex ea re plæx mali,*

vero Instit. Gramm. lib. XVIII. citat *Ausculata pauca*, additque : ‘ Sic enim habent antiqui Codices, teste Donato commentatore ejus.’ Atqui hodie in Donato nihil de veteribus Codd. legitur. *West.* Ut iambs quaternarius staret, veteres magistri *pauca* substituerunt pro *paucis*. Sed nostri codd. omnes habent *paucis*. Totus versus sic constituendus est : *Ausculata : paucis et quid te ego velim et quod tu quæris scies.* Bentleius. *Ausculata paucis.* Sic potius legendum, quam *Ausculata pauca.* *Paucis* Bent. jungit cum ‘ scies.’ *R. D. Ausculata ! paucis, et Z.* Nostram interpunctionem rectam censet *Perl.*—6 *Quinque* e nostris habent *Per ego te Deos* : reponere *Per te ego Deos.* Bent. Sic reposuit *Both.* *Per te Deos o. Z.*—8 *Nostrum pro meum* *Guelf. 1.*—10 *Lege cum R. atque ita uti.* Bent. *Uti* dant *Perl. Both.*—14 *Riv.* ex *Mss. Terentii et Donati* citat, *in re.* *Probam esse lect. in rem* patet ex *Hec. 1. 2. 27.* *ET.* et *EM.* tamen *in re.* *Arcessi* in *Mss. veteribus omnibus Terentianis et Virgilianis* legi testatur *Pierius* ad *Virg. Æn. x. 11.* De hac voce *Bæclerusa* in *Chrestomathia* : ‘ Qui pro *accerso* ubique *arcesso* substituere, atque ex duobus vocabulis unum facere studuerunt, tot optimorum manuseriptorum codicum, denique Grammaticorum veterum auctoritate pridem refelluntur.’ *Vossius* vero in *Etymologico* *rd accerso* nec Latinum pronuntiat. Vide

## NOTÆ

6 *Per ego te Deos oro]* ‘ Per’ in obtestationibus et adjurationibus solet separari a suo accusativo, interjecto nominativo, qui sæpissime est ‘ ego,’ ut scribit *Valla.* *Virgil. iv. Æn.* ‘ Mene fugis? per ego has lacrymas dextramque tuam te.’ *Seneca* in *Agamemnone* : ‘ Per te parentis memoriam obtestor mei.’ *Plaut.* in *Menæchi. Act. v.* ‘ Per ego vobis Deos atque homines dico.’ Idem in *Bacchid. Act. v. Sc. 5.* *Festus* : ‘ Ob vos sacro, in quibusdam precationibus est, pro, vos obsecro : ut et, sub vos placo, pro, supplico.’

Sed, si ex ea re plus mali 'st, quam commodi 15  
 Utrique, id oro te, in commune ut consulas :  
 Quasi illa tua sit, Pamphilique ego sim pater.  
 Si. Immo ita volo, itaque postulo, ut fiat, Chreme :  
 Neque postulem abs te, nisi ipsa res moneat. CH. Quid  
 est?  
 Si. Iræ sunt inter Glycerium et gnatum. CH. Audio. 20  
 Si. Ita magnæ, ut sperem posse avelli. CH. Fabulæ.  
 Si. Profecto sic est. CH. Sic hercle, ut dicam tibi :  
 Amantium iræ, amoris integratio 'st.  
 Si. Hem, id te oro, ut ante eamus, dum tempus datur,  
 Dumque ejus libido occlusa 'st contumeliis : *Quæ est?* 25  
 Prius quam harum scelera, et lacrumæ confictæ dolis,  
 Reducant animum ægrotum ad misericordiam,  
 Uxorem demus : spero consuetudine  
 Et conjugio liberali devinctum, Chreme,

*quam commodi utrique plus eventurum est, id oro te, ut mei tuique rationem æque habeas, tanquam filia mea tua sit, et filius tuus meus. Si. Quin ego ita volo ut dicis; itaque ut fiat postulo, Chreme; neque id a te postulare velim, nisi re ipsa præsens occasio id suadeat. CH. Quid est? Si. Iræ sunt inter Glycerium et Pamphilum. CH. Audio vero. Si. Ita graves, ut sperem filium hunc ab illa posse abstrahi. CH. Fabulæ meræ. Si. Profecto sic est, ut dico. CH. Sic etiam est ut dicam tibi: Amantium iræ, amoris instauratio est. Si. Hem, id te oro, ut malo occurramus, dum se dat occasio opportuna; dumque ejus libido repressa est injuriis acceptis; priusquam harum mulierum fallaciæ et lacrymæ simulate reducant ejus animum, agrum amore, ad misericordiam: uxorem illi demus filiam tuam. Ego spero illum, Chreme, ingenuæ uxoris conversatione, et conjugio de-*

//////////

porro Fabri Thesaur. v. 'Arcesso.' West. Nonnulli libri cum Donato legunt in re. Sed placet lectio Engraphii, Si in rem est utrique, fiat, accessi jubet. Bent. Scribe arcessi, ab antiquo 'arcio.' V. Cellarii Orthogr. Zeum.—15 Boni pro comm. Guelf. 3.—16 Ne lege cum plerisque codd. id te oro, ne suspendatur synalopha. Donatus legit in commune consule, quod parum refert. Bent. Comodi, Utrique id Br.—17 Cod. academicus: Pamphiloque; nescio an verius. Bent. Recte Bent. præfert Mss. lectionem Pamphiloque. R. D. Insertum est contextui ab alia manu Si: male. Bruns.—19 Ut medearis versui, lege cum codd. quibusdam ni ipsa. Bent. Morem gerunt Both. Perl.—23 In quibusd. Codd. est reint. in aliis redint. West. Servius et Acron habent redint. Charisius reint. Nostri codd. cum Donato et antiquis Faëni libris integratio. Recte. Deinde venustius erit, si, deleta est, in fine versus ponas hem, quod vulgo principium sequentis occupat. Bent. Integratio. In nonnullis edd. legitur redint. repugnante metro. R. D. Hem prorsus omittit Br. Integr. am. Guelf. 2. Iræ am. int. am. est 3.—25 Lubido Bent. Both. Perl.—27 Alii Reducant, sed nostri omnes, et quidam antiqui Faëni habent Reducunt. Recte. Bent. Reducunt Both. Perl.—28 Finit particula 'et' Bent. versum. Sic Mur. Er. Bip. Sed incipiunt vulgò ead. sequentem. Perl. qui cum Both. Z. et Br. incipiunt seq.

Dein facile ex illis sese emersurum malis. 30

CH. Tibi ita hoc videtur: at ego non posse arbitror,

Neque illum hanc perpetuo habere, neque me perpeti.

SI. Qui scis ergo istuc, nisi periculum feceris?

CH. At istuc periculum in filia fieri, grave est.

SI. Nempe incommoditas denique huc omnis redit: 35

Si eveniat, quod Di prohibeant, discessio.

At, si corrigitur, quot commoditates, vide.

Principio, amico filium restitueris:

Tibi generum firmum, et filiae invenies virum.

CH. Quid istuc? si ita istuc animum induxti esse utile, 40

Nolo tibi ullum commodum in me claudier.

SI. Merito te semper maximi feci, Chreme.

CH. Sed quid ais? SI. Quid? CH. Qui scis eos nunc  
discordare inter se?

*vinctum, deinde facile ex illis malis et perduto amore se expediturum. CH. Ita tibi videtur; at ego non arbitror cum posse inde facile emergere, neque filium meum perpetuo habere conjugem, neque me perpeti ei superinduci amicum ab illo. SI. Quomodo igitur id scis, nisi expertus sis? CH. At istud experiri in filia difficile et molestum est. SI. Nempe incommoditas in summa huc omnis recidit; si eveniat, quod Dii avertant, inter eos separatio: si vero corrigitur et respiscit, vide quot commoditates inde nascentur: primum amico filium restitueris, tibi generum firmum et filiae maritum invenies. CH. Quid istud? fiat ut petis. Si id tibi persuasisti esse utile, nolo tibi ullum commodum in me claudi et auferri. SI. Merito te semper, ut amicum verum, maximi feci, Chreme. CH. Sed quid ais? SI. Quid queris? CH. Unde scis Pamphilum et Glycerium nunc inter se dissidere, et dis-*

vs. cum 'Conjugio.'—29 R. *divinctum*, Chremes. Lind. Alii *deriectum*; sed antiqua et melior lectio *derinctum*. Bent.—30 Pro *emersurum* edit. Schmie-der. lege *emersurum*. Lenz. Alii *Dehinc*, sed aliquot libri Faëni, in his V. et nostri, Riviique unus habent *Dein*. Recte. Bent. *Dehinc* Guelf. 1. Se 3.—33 Non procedat oratio, nisi pro scis reposueris scias, quod sæpe apud Nostrum et Plautum est monosyllabon. Bent.—35 *Discensio* Guelf. 1.—37 Leidd. unus: *At si corrigat se*. Mss. quidam, *quot commoditates inde, vide*. West. *Corrigitur* vetustiores: alii *corrigatur*, vel *corrigetur*. Si hoc arridet, tum lege *Sin corrigatur*. Bent. *Corrigetur* Br. *Inde pro vide* Guelf. 2.—38 *Amicum* Br. quod correctum fuit in *amico*.—39 Vetustiores nostri, *invenias*: recte; ob antecedens 'restitueris.' Bent. Sic dant Both. Perl.—40 Faëni libri antiqui et nostri omnes recte habent *Quid istuc?* Bent. Sic

## NOTE

40 *Quid istuc?* Verbum hoc post *pemodum*, quam volo.' Et in Adelphi, multas preces assensionem significat. 'Quid istuc? dabitur quidem, quando Sic Heautontim. 'Quid istuc? quando hic volt.'

*Delph. et Var. Clas.*

*Tercet.*

Y

SI. Ipusus mihi Davos, qui intimus est eorum consiliis, dixit.

Et is mihi suadet, nuptias quantum queam, ut maturem. 45  
Num censes faceret, filium nisi sciret eadem hæc velle?

Tute adeo jam ejus verba audies. Heus, evocate huc Davom.

Atque eccum: video ipsum foras exire.

*cordare? Si. Ipse Davus, qui interiora eorum consilia novit, id mihi dixit: et is mihi suadet ut nuptias accelerem, quam maxime possum. Putasne, id mihi suaderet, nisi sciret filium meum hæc eadem velle? Tu ipse jam ejus verba audies. Heus accersite ad me Davum. Sed ecce video ipsum prodire domo.*

dant Br. Both. Perl. Z. Si abest a Guelf. 2.—41 Pro in me claudier sensus postulat intercludier. Bent. Accedunt Both. Perl. Calvier Par. Mss. In me claud. esse in Guelferbyt. 2. notat Perl. 'Pro incomm. edit. Schmieder. legendum commodum.' Lenz.—42 G. EM. maximum. West. Sic et Guelf. 2. Maxime Br.—43 Ais. Superscriptum g, quasi legend. esset agis. Bruns. Abest nunc a Guelf. 2.—44 Cons. eorum uterque Gu. recte. Both.—45 Mss. quidam, persuadet. Ita et Junt. cum quibusdam veteribus aliis. Sic Br.—47 Versus gratia Fa. cum R. Stephano, auctoritate unius cod. recte 'verba' postposuit τῶ 'audies:' nisi pro evocate malueris legere vocate. Bent. Postponit et Br.—48 Sed. Alias Atque. Er. Atque Fa. et Bent. codd. In l. antiq. Sed pro Atque. Perl. Tò ipsum in R. non est. Lind. Eum J. pro ipsum. Br. et Both. non distinguunt post 'eccum.'

#### NOTE

47 Adeo] Sæpe sumitur pro, quateres dixerunt; et 'ellam,' pro, ecce que; ut hic. illum.

48 Eccum] Pro, ecce enim, Ve-

### ACTUS III. SCENA IV.

DAVUS. SIMO. CHREMES.

DA. AD te ibam. SI. Quidnam est?

DA. Cur non accessitur? jam advesperascit. SI. Audin' tu illum?

DA. Ad te ibam, here! SI. Quidnam est? DA. Cur Philumena, desponsa uxor Pamphilo, non accessitur? Jam vespera prope est. SI. Audisne tu illum,

2 Cur uxor. Uxor redundat in versu, et videtur additum ab interprete. Er. Bodl. Cur uxor non. Quomodo et Junt. legit, et Ven. 1490. West. G.

Ego dudum nonnihil veritus sum, Dave, abs te, ne faceres idem,

Quod vulgus servorum solet, dolis ut me deluderet,  
Propterea quod amat filius. DA. Egon' istuc facerem?  
SI. Credidi. 5

Idque adeo metuens vos celavi, quod nunc dicam. DA.  
Quid? SI. Scies:

Nam propemodum habeo tibi jam fidem. DA. Tandem  
cognosti qui siem.

SI. Non fuerant nuptiæ futuræ. DA. Quid? non? SI. Sed  
ea gratia

Simulavi, vos ut pertentarem. DA. Quid ais! SI. Sic  
res est. DA. Vide!

Nunquam istuc quivi ego intelligere: vah! consilium calli-  
dum. 10

*Chreme.* Ego jam pridem, Dave, a te id veritus sum; ne faceres idem, quod plerique servi facere solent: ut me dolis deluderet, propterea quod amat filius, cui ut amorem magister fueras. DA. Egone id facerem in te? SI. Id credidi, atque etiam id metuens, quod nunc dicam, te et Pumphylum celavi. DA. Quid est? SI. Scies; nam prope tibi jam credo. DA. Tandem, qui sim, cognovisti. SI. Nuptiæ, quas dicebam me parare, non fuerant futuræ. DA. Quid? non? SI. Sed ea de causa simulavi eas mox faciendas, ut vos, quid animi haberetis ad eas, explorarem. DA. Quid ais? SI. Sic res se habet. DA. Vide. Nunquam ego intelligere potui te id simulare. Vah consilium prudens et cautum! SI. Audi: postquam

EM. *Cur uxor non.* Sed Er. et G. F. recidunt τὸ uxor. Id. in Add. Hic versus diu vexavit interpretes, jam ab Erasmi ætate. Sed tolle illud *tu illum*, et iambicum tetrametrum habebis, quales sex priores. Bent. Accedunt Perl. Both. qui cum Bent. et Z. retinent τὸ uxor: ut et Br. qui legit *accersitur* cum Bent.—3 Ne 'Dave' in Thësi pæne sit mutum, loca post 'abs te.' Bent. Ita dant Both. Perl.—6 Plusculi Mss. et editorum probatissimi legunt, *Quid est?* Metrum postulat *Quid?* West. qui monet in Addendis G. ET. EM. legere *Quid est?* Absunt verba *huij. vs. post 'dicam'* a Guelf. 2.—7 Alii cum Do. *habeo jam tibi.* West. Illud *tibi*, quod versum adeo deformat, non est cum Faërno e quibusdam codd. evocandum. Ceterum, cum 'Tandem' habeat ictum in secunda, lege cum interrogatione, *Tandem cognosti qui siem?* Bent. Omnino sequitur Perl. Eo Bothius, ut omittat *tibi.* Jam pro Nam Guelf. 2.—10 Ut ictus sit in 'ego,' pone cum uno cod. *istuc*

## NOTÆ

2 *Jam advesperascit*] Ex ritu nuptiarum hoc dictum est. Noctu enim uxor ducebatur in domum mariti, prælatiis facibus, 10 *Vah*] Interjectio est lætantis, irridentis, insultantis, mirantis, et blandientis, qualis hic est.

SI. Hoc audi: ut hinc te introire jussi, opportune hinc fit mihi obviam.

DA. Hem! numquam periiimus? SI. Narro huic, quæ tu dudum narrasti mihi.

DA. Quidnam audio! SI. Gnatam ut det oro, vixque id exoro. DA. Occidi.

SI. Hem! quid dixisti? DA. Optume inquam factum! SI. Nunc per hunc nulla 'st mora.

CH. Domum modo ibo; ut apparentur, dicam: atque huc renuntio. 15

SI. Nunc te oro, Dave, quoniam solus mihi effecisti has nuptias.

DA. Ego vero solus. SI. Corrigere mihi gnatum porro enitere.

DA. Faciam hercle sedulo. SI. Potes nunc, dum animus irritatus est.

*hinc te jussi introire domum, opportune Chremes mihi fit obviam. DA. Hem! nonne periiimus? SI. Tunc narraui illi, quæ tu pridem dixisti mihi. DA. Quidnam ego audio? SI. Filiam ut det filio meo, oro; idque ægre precibus ab eo impetro. DA. Interii. SI. Hem! quid dixisti? DA. Optime, inquam, fecisti. SI. Nunc per Chremetem nulla dilatio est, quin nuptiæ fiant. CH. Domum modo ibo: ut nuptiæ apparentur dicam; atque ad vos, quid actum fuerit, celeriter renuntiabo. SI. Nunc te oro, Dave, quoniam solus mihi tuo consilio effecisti, ut hæc nuptiæ peragerentur. DA. Ego vero solus id quidem feci. SI. Posthuc labora filium meum emendare. DA. Dabo sedulo operam, ut hoc faciam. SI. Potes nunc, dum animus ejus ira commotus est in Glycerium. DA. Fiet. Quiescus. SI. Age*

//////////

*ego quivi. Bent. Sequuntur Both. Perl.—11 Al. oportuit me. Br. ad vocem 'opport.' Hæc glossa, ait Bruus, me valde mirum capit.—12 Narro quæ, &c. Alias Narro huic. Er. Versus gratia illud 'Hem' priori versui appone. Bent. Sic ediderunt Both. Perl. Narra Br. Guelf. 2. Vel Narro, ait glossa in Br. Atque hæc lectio vera, ait Bruus, est in edit.—13 'Lege audiam in futuro ob sensum. Bent. Ita legunt Both. Perl. Is ante gnatam dat Br.—14 Tò Hem in R. deest. Länd. Lege quid dixisti, uti unus cod. primaria notæ habet; atque Hem priori versui appone. Bent. cui imperanti paret Perl. Factum est Guelf. 2.—15 Sunt Mss. et editi veteres, in quibus est, apparetur, impersonaliter. West. Illud apparetur, sc. nuptiæ, est ineptum. Repone apparetur, impersonaliter. Bent. Sequitur Both. Huic pro hic Guelf. 2.—16 Fecisti Guelf. 3.—17 Solus! Both. Solus? Br. Perl. Corrige Br. qui leviter pungit post 'gnatum.' 'Natam Guelf. 3. Sic cor-*

#### NOTÆ

12 *Hem! namquam periiimus*] Inter- 17 *Ego vero solus*] Est repetitio se-  
jectio metuentis: et hoc summissee eum irascentis.  
Davus dicit.

DA. Quiescas. Si. Age igitur, ubi nunc est ipse? DA.

Mirum ni domi 'st.

SI. Ibo ad eum, atque eadem hæc, quæ tibi dixi, dicam  
itidem illi. DA. Nullus sum. 20

Quid causæ 'st, quin hinc in pistrinum recta proficiscar  
via?

Nihil est preci loci relictum. Jam perturbavi omnia:

Herum fefelli; in nuptias conjeci herilem filium;

Feci hodie ut fierent, insperante hoc, atque invito Pam-  
philo.

Hem astutias! Quod si quiessem, nihil evenisset mali. 25

Sed eccum ipsum video. Occidi.

Utinam mihi esset aliquid hic, quo nunc me præcipitem  
darem.

*igitur. Ubi nunc ipse est Pamphilus? DA. Mirum, si alibi est quam domi. SI. Ibo ad eum, atque eadem hæc, quæ dixi tibi, similiter illi dicam. DA. Omnino de me actum est. Quæ causa impedit, quin recta via proficiscar in pistrinum? Nullus precibus locus relictus est, quibus veniam impetrem. Omnia turbis permiscui; herum fefelli Simonem, ejus filium in nuptias præcipitavi, feci ut illæ fierent, nullo modo hanc rem sperante ac nolente Pamphilo. O subtiles astutias! quod si nihil morissem, et quictus scdissem, nihil accidisset muli: sed ecce Pamphilum ipsum video. Funditus perii. Utinam hic esset aliquod præcipitium in quod me dejicerem.*

//////////

rect. ex natam.' Perl.—20 *Dicam eadem illi. R. dicam idem illi. Lind. Ut 'tibi' et 'illi' sit in ietu, præferenda est lectio unius cod. tibi, quæ dixi, dicam itidem illi. Bent. Sic dant Both. Perl. Ibidem Br. si Bruns recte notavit. Sed aliter sentio, cum glossa in Br. sit 'similiter.' Hæc abest a Guelf. 2.—22 Tam pro Jam Both.—25 Mss. plusculi cum Eug. legunt astutia. West. Astutia R. [et Br.] Lind. Al. Em, in fine prioris vs. Perl. Sic Br. Sed in fine prioris versus Hem dat Z. Qui pro Quod Br. Hem astutia mea Guelf. 2.—27 Versus hic Guyeto spurius, et Terentio indignus videtur, nulla addita ratione. Forte offendit illud 'quo.' Causa nulla est, quare loco moveatur versus, cum et Donatus agnoscat, et Mss. tueantur, et sententia sit apta desperanti, adeoque perturbato, ut, quid diceret, vix cogitaret. West. Me nunc. Sic invertit Bent. Hic vs. Guyeto subditivus esse videtur. Aliter Priscianus, qui, de metro disserens, hunc vs. contendit nihil referre, utrum per iambos an per trochæos metiamur. Perl.*

## ACTUS III. SCENA V.

PAMPHILUS. DAVUS.

PA. UBI illic est scelus, qui me perdidit? DA. Perii.

PA. Atque hoc confiteor,

Jure mihi obtigisse, quandoquidem tam iners, tam nulli consilii

Sum. Servon' fortunas meas me commisisse futili?

Ergo pretium ob stultitiam fero: sed inultum nunquam id auferet.

DA. Posthac incolumem sat scio fore me, nunc si hoc devito malum. 5

PA. Nam quid ego nunc dicam patri? negabon' velle me, modo

PA. *Ubi est sceleratus ille qui me perdidit?* DA. *Perii.* PA. *Atque hoc, confiteor, merito meo mihi accidisse; quandoquidem tam stolidus et imprudens sum. An oportuit fortunas meas me committere servo, levi, et garrulo? Ergo præmium fero stultitiæ meæ: sed impune id nunquam feret.* DA. *Si hoc periculum, quod imminet, nunc evito; sat scio, me posthac ab alio quovis liberum fore.* PA. *Sed quid ego nunc dicam patri? negabone me velle uxorem, qui modo pollicitus sum me*

1 *Ubi est il. sc. G. West.* Multi codd. addunt *hodie*, quod postea librarii, ut metro consulerent, ejecerunt, et interpolarunt *perdidit*; quod si abest, fit aposiopesis, quæ iracundo convenit: ut illud, 'Quos ego.' Deinde 'Perii' non est Davi, sed ipsius Pamphili. Denique illud 'Jure' appone huic ipsi versui primo. Igitur lege, *Ubi illic est? scelus, qui me hodie: perii: atque hoc confiteor jure.* Bent. Sequuntur Both. et Perl. nisi quod ille non interpungit post 'est.' *Perdidit* post *hodie* Guelf. 1. *Perdidit*, omisso *hodie* 2. *Perdidit* post 'me' 3.—2 *Nullius* Br. et cod. Romanus. Punctum maximum exhibet Br. post 'obtigisse.'—3 *Futili* M. *West.* *Sum* ad finem prioris vs. transponunt Bent. Perl. Omittunt Gu. 2. et Both.—4 F. H. vel *Ego pr. ob st. f.* legend. vel in *Ergo* pyrrhichium statuend. præcipit. Quorum neutrum se satis approbat. Alii *a me auferet*: sine dubio perperam. *West.* Lege ex vett. edd. et uno cod. regio, *sed inultum id nunquam a me auferet.* Bent. Bent. *a me.* Itidem GM. *Perl.* Benteleium omnino sequitur Both. nisi quod dat *En* pro

## NOTE

1 *Ubi illic est scelus*] 'Illic' pronomen est comicum, et tritum usu vulgi. 'Scelus' pro scelesto. Sic Græci substantivo utuntur pro adjectivo. Dicitur 'ille scelus,' relatione non ad vocem 'scelus,' sed ad rem significatam, scilicet Davum.

2 *Tam nulli consilii*] Priscianus tradit in Institutionibus Grammaticis octo illa nomina, unus, ullus, uter, nullus, totus, solus, alius, et alter, Veteres inflectere consuevisse ut alia nomina primæ et secundæ declinationis.



Qui sum pollicitus, ducere? qua fiducia id facere audeam?  
Nec, quid me nunc faciam, scio. DA. Nec quid de me:  
atque id ago sedulo.

Dicam, aliquid jam inventurum, ut huic malo aliquam pro-  
ducam moram.

PA. Ohe. DA. Visus sum. PA. Ehodum, bone vir, quid  
ais? viden' me tuis consiliis 10

Miserum impeditum esse? DA. At jam expediam. PA.  
Expedies? DA. Certe, Pamphile.

PA. Nempe ut modo. DA. Immo melius, spero. PA. Oh,  
tibi ego ut credam, furcifer?

*ipsi obsecurum? Qua confidentia id facere audeam? Nec, quid nunc de me faciam, scio. DA. Nec ego quoque, quid de me faciam: etsi ego id ago diligenter, ut sciam quid de me facere possim. Dicam Pamphilo me aliquid jam inventurum, ut huic malo nuptiarum aliquam dilationem temporis offeram. PA. Oh. DA. Visus sum a Pamphilo. PA. Ehodum, bone vir, quid ais? Videsne me miserum esse impeditum tuis consiliis, quibus me in has nuptias conjecisti? DA. At jam expediam. PA. Expedies? DA. Certe id efficiam, Pamphile. PA. Nempe ut modo expeditisti. DA. Immo melius, ut spero. PA. Oh furcifer! Egone tibi credam?*

//////////

Ego Bentleii.—6 Nam. Sic Do. Al. Sed. Perl. Punctum, quod edd. dant post 'me,' Br. dat post 'modo.'—7 Sum pollicitus ducere. Ita vulgo junctim editur. Clarius vero erit sententia, et propior ad mentem Terentii, comate inserto post 'pollicitus.' West. Junctum edunt Bent. Both. Perl. cum Br. Ad vocem 'fiducia' sic notat Bruns: 'Litura post hanc vocem, et vestigia supersunt vocis facere, quam præferunt editti.'—8 Nec quid de me. Ita exhibent pleræque editiones. Aliæ, nec quidem me. Rursus aliæ, in quibus est Juntina: nec me quidem. Elegantius erit, si repetantur Pamphili verba, sine ulla immutatione. Id vidit Guy. rescribens: Nec quid me nunc faciam, scio. DA. Nec quid me. M. et ed. Ven. 1490. Nec quid de me nunc faciam, scio. DA. Nec quid de me. Magis comicum videtur absolutum me. West. Lege Nec quid me, a. i. Venustas a repetitione tota est. Bent. Nec de me equidem Mur. et Sandby. Nec quid me; ut id Both. Nec de me et equidem J. Bentleium sequitur Perl. Nec quidem me, atque id Br. Z. Nec abest a Gnef. 2. quem cum Gnef. 3. legere de me monet Perl.—9 R. Dicam aliquid me inveni. Lind. Pro jam habent me V. Bas. et duo e nostris veterimi: recte. Bent. Fa. ex libb. jam me. Perl. qui sequitur Bentleium. Me jam Br. Me male abesse ab edd. censet Bruns. Ceterum notat glossa in Br. ad vocem 'moram:' 'Vel?' Interrogatio, ait Bruns, convenit consilio ancipiti quo se hæere aiebat.—10 Pro Ohe scribe Oh, atque agis, quod duo codd. habent, pro ais, ut quid agis? sit ipsa ironia, sicut 'bone vir.' Bent. Ad vocem Ohe Perl. notat: 'Var. in libb. Ohe, Oh, Heo, Ehodum.' Oh dat Both. agis Perl. Pro Ohe habet Br. Heo, et pro Ehodum habet Heo dum. 'Ais pro agis Gnef. 3. Ita centies.' Perl.—11 Misere dat Both.—12 Hoc

#### NOTE

10 Ehodum] Interjectio ad se vocentem, ut mox infra: 'Oh! tibi ego ut credam, furcifer?'

12 Oh] Admirantis est, cum con-

Tu rem impeditam et perditam restituas? hem! quo fretus  
siem,

Qui me hodie ex tranquillissima re coniecisti in nuptias.

An non dixi hoc esse futurum? DA. Dixisti. PA. Quid  
meritus? DA. Crucem. 15

Sed sine paululum ad me redeam: jam aliquid dispiciam.

PA. Hei mihi.

Cur non habeo spatium, ut de te sumam supplicium, ut  
volo?

Namque hoc tempus, præcavere mihi me, haud te ulcisci,  
sinit.

*Tu rem tot difficultatibus implicatam et desperatam restituere poteris? Hem, quo homine innixus sum, qui me hodie ex tranquillissimo statu in has nuptias molestas coniecisti? Annon dixi hoc malum evenitum esse? DA. Dixisti. PA. Qua pena dignus es? DA. Crucem. Sed paululum permitte ut recipiam unum: jam aliquid consilium disquiram. PA. Hei mihi! cur non habeo spatium temporis ad te puniendum, ut volo? nam hoc breve tempus permittit mihi consulere rebus meis, non de te penas sumere.*



tibi G. ET. West. A, B, uterque Gu. et Hel. Hoc exhibent pro Oh. Nil mutato. Both.—13 Mss. quidam, *fretus sum*: fortasse rectius. Er. *τὸ hem* extra metrum esse additum antumat. West. Versus exigit *sim* pro *siem*. Bent. Sic dant Perl. Both. *Restitues* Guelf. 2.—15 Scribendum est *meritu's*, ut *es cum meritis* coalescat. Bent. Aliqui libb. iique antiquiores, ut Fa. commemorat, non habent verb. *es*, nec Do. quidem. At Bent. invenit *es* in suis libb. sed monet scribend. *meritu's*. Quanquam C. G. I. qui leg. *meritus*, hab. a manu sec. ascripta hæc: Participia pro verbis ponunt Attici: quod frequenter Latini faciunt. Perl. qui Bent. sequitur. *Ego* post 'dixi' Guelf. 3.—16 L. antiq. *paul. sine*. Vulg. *ut redeam*. Abest *ut* a mult. libb. Id quod more Terent. obvium est fere ubique. Perl.—17 Leidd. mms: *Quod non h.* Guy. malebat, *Cum non h.* quomodo etiam est in Tr. et edd. quibusdam vetustis. West. Unus e nostris recentior *Cur non h.* Retineri potest vulgare *Cum*. Bent. *Cur*, quod præferunt A, B, Gu. 2. Hel. non mihi magis recipiendi. videtur quam Anglo erudito. Both. *Cum* dant Br. Z. Perl.—18 In ed. 1469. est: *Namque hoc tempus præcavere mihi me monet, haud te ulcisci sinit.* Ex glossa scilicet. West. *Sinit* cum turbet sensum, audacter reponere *monet*. Bent. *Monet* Pal. Glossam sapit. Perl. *ad vocem* 'præcav.' *Mihi, me haud* Br.

## ACTUS IV. SCENA I.

CHARINUS. PAMPHILUS. DAVUS.

CH. Hoccin' est credibile, aut memorabile,  
 Tanta vecordia innata cuiquam ut siet,  
Ut malis gaudeant, atque ex incommodis  
 Alterius sua ut comparent commoda? ah!  
 Idne 'st verum? immo id est genus hominum pessimum, 5  
 In denegando modo quis pudor paululum adest:  
 Post, ubi tempus promissa est jam perfici,

CH. Hocne credi aut verbis exprimi potest, ut tanta vesania cuiquam a natura insita sit; ut malis gaudeat aliorum, atque ex incommodis sua capiat commoda? Ah, idne est verum? certe genus id hominum est deterrimum. Si quid rogentur, tunc his tantummodo paululum in denegando pudoris est: postea, ubi tempus est id, quod promiserunt, præstari, tunc necessario animum detegunt, audendo cum timore

~~~~~

1 Ut versus constet totus e dactylis, legi debet *Hoccine credibile*; quæ lectio reperitur in cod. Academico Prisciani 900. annorum. *Bent.* Sic Gov. et Both.—3 Mss. quidam, *gaudcat*. Et mox, *comparet*. Ita et cum Junt. nonnullæ edd. vetustæ, etiam anni 1469. *West.* G. ET. EM. *gaudeat* et *comparet*: pro quo tamen in EM. est *computet*. Id. in Add. *Gaudeat* R. Lind. Do. V. Bas. et unus e nostris habent recte *gaudeant*, *comparent*. Alii *gaudeat*, *comparet*. *Bent.* *Gaudeant* ex melioribus libris legendum pro *gaudeat*. R. D. *Gaudeat* GM. *Perl. Gaudcat alienis atque* Br. Notat Bruns: '*Alienis superscriptum non literis, quibus glossæ exarari solent, sed majoribus.*'—4 *Ut comparet comm.* R. Lind. *Comparet* Br. *Uti* Gov.—5 Both. legit *Idne vero? immo id est pessimum h. g.*—6 Pet. recte legit *paulum*, ut creticus fiat. Atque in appone superiori versui. *Bent.* In omittit Both. dividit *deneg.* in *De neg.* et dat *paulum*. In fine huj. vs. notat glossa in Br. '*Vel?*' De quo ita Bruns: Non cepit mentem Poëtæ, qui interrogat.—7 Antiqui libri, cum quibus Do. con-

NOTÆ

3 *Ut malis gaudeant*] Alii, *gaudeat* legunt. Si *gaudeant* legas, cum Terentius dixisset '*cuiquam*,' numerus erit pluralis pro singulari: ut alibi idem Poëta: '*Si quisquam est, qui placere se studeat bonis Quamplurimis, et minime multos lædere: In his Poëta nomen proficitur suum.*' Sic Plaut. in Cureul. Act. I. Sc. 5. '*Sua quisque habeant, quod suum est.*' Virg. '*Quisque suos patimur manes.*' Iterum Plaut. in Captivis: '*Ubi quisque vident, cunt obviam:*'

sunt enim signa universalialia '*quisque*,' '*quisquam*,' '*quicumque*.'

6 *Denegando modo quis pudor p. a.* [*est paululum*] Don. *quis pudor paululum adest.* Et hic est sensus: Quibus pudor solummodo adest in denegando ea, quæ ab his petuntur: postquam polliciti sunt, et tempus est promissa perfici, tunc necessario se aperiant, timide tamen: sed res, quam promissam dare nolunt, cogit eos hanc denegare.

Tum coacti, necessario se aperiant:

Et timent: et tamen res cogit denegare.

Ibi tum eorum impudentissima oratio est:

10

Quis tu es? quis mihi es? cur meam tibi?

Heus, proximus sum egomet mihi. Attamen ubi fides?

Si roges, nihil pudet: hic, ubi opus est,

Non verentur: illic, ubi nihil opus est, ibi verentur.

Sed quid agam? adeamne ad eum, et cum eo injuriam hanc
expostulem?

15

quodam; et tamen, pudore abjecto, res petita, quam dare nolunt, cogit eos denegare. Tunc eorum oratio impudentissima talis est: Quis tu es? Qua necessitudine mihi conjunctus? Cur meam rem tibi dem? Heus, licet mihi sis proximus, tamen ipse mihi sum proximior. Quod si eos roges: Ubi est fides quam mihi dederas? tunc nullo pudore afficiuntur. Hic, ubi opus est, postquam jam promiserunt, vereri fidem datam frangere, non verentur: illic, ubi nihil opus est, vereri petita denegare: cum nondum promiserunt, ibi verentur. Sed quid agam? adeamne Pamphilum? et cum eo conquerar de injuria, quam mihi facit, accipiens Phi-

cordat, omittunt est. Bent. qui cum Br. et Both. id omittunt. *Est prom. Z.*
—8 *Coacti* omittit Gov. et vult *aperiant, timent, et cogit res eos Tum deneg.*
Illa verba *Et timent* ad finem huj. vs. transfert Z.—9 *Cogit.* Alias *premit.*
Deest aliquid metro. *Er.* Variant Mss. et editi. In quibusdam, *res premit denegare*; in aliis, *res premit eos denegare.* Sed nescio quomodo non placet *res premit*; primum, quod Terentianum non est; tum, quod Antesignanus, editor ἀκριβέστατος, exhibuit *cogit*; denique quod hæc vox elegantius infertur post *res* ‘coacti.’ M. *res cogit ea eos denegare.* Ed. 1469. *res eorum premit.* West. *Et tamen res eos premit denegare* G. Schottus Nod. iv. 18. mavult tandem pro *tamen.* Id. in Add. *Premit* R. ut et in aliis vett. *Lind.* Fa. in Vi. pro *cogit* invenit *premit*: quod recepit Bent. consentientibus suis. *Zenn.* *Premit* Br. Notat Bruns: ‘Superscriptum ‘vel pro,’ quod non intelligo. Nam *promit* plane huc non quadrat.’ ‘GM. sup. script. *cogit.*’ Perl. qui dat *premit* cum Both. Hic *res* ‘re’ in fine ultimi verbi huj. vs. transfert in vs. sequentem. *Premit eos* Guelf. 1. 2. habere monet Perl.—11 Post ‘tu’ pone *homo,* et post ‘cur’ desiderat versus *ego.* Bent. *Cum* pro *cur* habet Z. Sic legit hunc et seq. vs. Bothius: *Tu quis es? quis mihi es? cur tibi meam? heus, mihi Proximus sum egomet! Attamen ubinam fides?*—12 *Ubi fides?* Cum interrogationis nota expressi, quod emphasis dicti id requirere videretur. *West.* *Ubi fides, Si roges? nihil* Br. De hoc sic Bruns: ‘Edit. ponunt signum interrog. post ‘fides.’ Sic fortasse olim in Ms. sed mutatum, ut expressius, neque id male.’ ‘*Heus* pertinet ad finem antecedentis.’ *Bent.* ‘*Heus* Bip. priori vers. annectunt, Maretum secuti.’ *Perl.* *Fides est* Guelf. 2.—13 *Scribe pudet,* quod est antiquum. Constitue versus sic: *attamen, ubi fides, Si roges, nil pudet, hic ubi opus: illic ubi Nil opus, ibi verentur.* Bent. Sic Bothius: *Si roges, nil pudet: Hic, ubi opus est, non verentur; illi, ubi nil opus, ibi verentur.* ‘*Pudet.* Al. add. *illos.*’ *Perl.*—14 Illud *Non verentur,* quod in perantiquo nostro, in regio ap. *Lind.* et apud Eug. abest, dele. *Bent.* *Non. Illic* Br. Notat Bruns: ‘Edit. add. *verentur*: quod tanquam glossa in Ms. superscriptum est. Lectionem codicis nostri *Lind.* et *Bent.* in Mss. suis invenisse videntur. Non enim satis accurate eam exscripserunt.’ *Gov.* vult: *Nihil verentur: illic, ubi verentur, ibi non est opus.* Abest *ibi* a GM.—15 *Vulgo et cum*

Ingeram mala multa? atque aliquis dicat: Nihil promoveris.

Multum: molestus certe ei fuero; atque animo morem gesserō.

PA. Charine, et me, et te imprudens, nisi quid Di respiciunt, perdidit.

CH. Itane, imprudens? tandem inventa 'st causa: solvisti fidem.

PA. Quid tandem? CH. Etiam nunc me ducere istis dictis postulas. 20

PA. Quid istuc est? CH. Postquam me amare dixi, com- placita est tibi.

Heu me miserum! qui tuum animum ex animo spectavi meo.

PA. Falsus es. CH. Nonne tibi satis esse hoc visum solidum est gaudium,

lumenam in uxorem, contra quam mihi promiserat? Injiciam in eum multa maledicta. Quodsi quis dicat: Nihil profeceris; Multum, respondebo. Saltem, si nihil proficiam, molestiam ei exhibuero; atque animo obsecutus fuero. PA. Charine, et me et te, imprudens et insciens, nisi nos Di in hac re juvent, perdidit. CH. Itane imprudens fecisti? Tandem invenisti pretextum fallaciæ. Præclare fidem datum liberasti scilicet. PA. Quid tandem vis dicere? CH. Etiamne quæris me istis dictis tuis fallere? PA. Quidnam istud est, quod mihi objicis? CH. Postquam me amare dixi Philumenam, statim etiam placuit illa tibi. Heu me miserum, qui tuum unum ex meo æstimari! PA. Erras valde, Charine, qui sic de meo ingenio judices. CH. Nonne tibi risum est satis hoc esse integrum gaudium; nisi me

eo. Gu. 2. ut cum eo. Neutrum horum mihi videtur genuinum. Both. qui dat aut.—16 Guy. sollicitat τὸ atque, reponens at. Malim, si quid mutandum, atqui. West. Atque non placet. Nam atqui hab. vet. ed. quod idem servit objectioni. Perl. Vulgo atque: sed vett. edd. atqui: quod melius. Both. Atqui vult et Gov. Non interrogant post 'multa' Br. et Perl.—17 Ne temere trochaicos duos iambicos excipiat, mutetur *Multum* in *Nil*? Bent. Vulgo seorsim ponitur *Multum*: sed Gu. 1. recte sequentia adjungit. Alter quoque Gu. *Multo molestus*. Both. Adjungit et Gov. et Br. qui dat in ante 'animo.'—20 Mss. quidam et editorum vetustissimi, etiam anni 1469. *seducere*. Alii, *subducere*. West. Codd. recentes, auctore Faërno, habent *seducere*; antiqui vero, *ducere*, quod placet. Ceterum versus gratia lego: *Quid ita tandem? Etiam me dictis ducere istis postulas?* Bent. Qui pro *Quid* Both. qui interrogationis signum exhibet post 'postulas' cum Br. qui dat *seducere* cum Guelf. 1. 3. Interrogationem approbat Bruns.—23 Si legas *Non*, versus erit octonarius trochaic. catalect. West. Ne sit versus impeditus et inconcinuus, sub-

NOTÆ

20 *Ducere*] Pro, fallere. Græci Alii *seducere* legunt. ὑπάρχειν eadem significatione dicunt.

Nisi me lactasses amantem, et falsa spe produceres?

Habeas. PA. Habeam? ah! nescis, quantis in malis ver-
ser miser, 25

Quantasque hic suis consiliis mihi confecit sollicitudines,
Meus carnifex. CH. Quid istuc tam mirum est, de te si
exemplum capit?

PA. Haud istuc dicas, si cognoris vel me, vel amorem
meum.

CH. Scio: cum patre altercasti dudum: et is nunc propter
ea tibi

Succenset: nec te quivit hodie cogere, illam ut duceres. 30

PA. Immo etiam, quo tu minus scis ærumnas meas:

Hæ nuptiæ non apparabantur mihi:

Nec postulabat nunc quisquam uxorem dare.

CH. Scio: tu coactus tua voluntate es. PA. Mane. 34

Nondum scis. CH. Scio equidem illam ducturum esse te.

amantem promissis fovisses, et spe falsa detineres? Habeas tibi illam. PA. Habeam? Ah nescis quantis in malis positus sum miser: quantasque molestias atque agritudines mihi creaverit Davus, hic meus carnifex. CH. Quid istud mirum est, si te imitatur? PA. Si cognoveris vel me, vel amorem meum erga aliam, quam Philumenam, non istud dicas. CH. Sat scio, tu patri tuo jam pridem repugnasti: et is nunc propterea tibi nunc irascitur, nec te potuit cogere, ut Philumenam uxorem duceres. PA. Immo etiam rem ignoras, quo minus cognoscis miserias meas; hæ nuptiæ non apparabantur mihi, nec quisquam vel Simo vel Chremes de Philumena mihi danda cogitabant. CH. Scio; nemine jübente, tua voluntate coactus es. PA. Mane: audi: nondum scis, ut res se omnino habeat. CH. Scio equidem te

//////////

lata interrogazione, lege—*Non satis tibi esse hoc solidum risum est gaudium. Bent. Bentleius Non. Itidem Er. Perl. Sic et Both. sine interrog.—25 'Habeam' sine interrog. Er. sed cum puncto maximo. 'Vulgo ah nescis. Sed A ahah, quod ah an fuisse puto.' Both. qui ita edidit.—26 Confecit. Guy. pro conflavit, quomodo jam Donati ætate lectum, conflavit. Si conflavit reposuisset, ἀνακόλουθον post 'verser' vitasset. West. Libri omnes legunt confecit. Bent.—27 Q. i. t. m. est? de te ex. capit G. West. Tolle est, quod idem Eug. nescit. Bent. qui sibi obsequentem habet Bothium. Dicas post 'istuc' Guelf. 3.—28 Cognoveris Guelf. 2. Omittit Guelf. 1. prius vel.—31 Quo tu minus scis. Tuenda hæc lectio, ex consensu Mss. et editorum codicum, contra Guyetum reponentem: quo scias magis.—32 Hæc ap. Do. recte, more Veterum. Bent. Do. legit Hæc: et solebant Veteres 'Hæc' pro, Hæ, dicere. R. D. C plane, Hæc, antique et vere. Both.—34 In l. antiq. non est tu: quod pronom. Fa. interposuit. Perl.—35 Pal. s. Romani ap. G. F. Nondum etiam scis: recte. Illud illam versus respuit. Bent. Nondum scis. Equidem, duc-*

NOTE

26 *Mihi confecit sollicitudines*] Alii, 29 *Scio: cum patre altercasti dudum*] *conflavit.* Ironia.

PA. Cur me enicas? hoc audi: nunquam destitit

Instare, ut dicerem, me esse ducturum, patri:

Suadere, orare, usque adeo donec perpulit.

CH. Quis homo istuc? PA. Davos. CH. Davos! PA.

Davos omnia.

CH. Quamobrem? PA. Nescio: nisi mihi Deos satis 40

Scio fuisse iratos, qui auscultaverim.

CH. Factum hoc est, Dave? DA. Factum. CH. Hem!

quid ais, scelus?

At tibi Di dignum factis exitium duint.

illam ducturum. PA. Cur me dictis enecas? Hoc audi. Illic nunquam cessavit me urgere ut patri dicerem me ducturum, suadere, orare, eo usque, donec me tandem impulit inritum ad id faciendum. CH. Quis homo te ad hoc impulit? PA. Davos. CH. Davos? PA. Davos omnia omnino turbavit. CH. Quamobrem? PA. Nescio ob quam causam adeo turbavit omnia; nisi quia Di, sat scio, mihi irati fuerunt, qui ei aures præbuerim. CH. Hocne factum est a te, Dave? DA. Factum. CH. At te Di perdant, ut meritus es. Eho, dic mihi; si omnes hunc



turum illunc esse te legit Both.—36 Al. enecas. Perl. Sic Br. Notat Bruns: 'Edit. enicas, male.'—37 Mss. quidam: me duct. esse. West. Inst. ut, me ducturum, pat. dicerem Both.—39 CH. Davos! Cum admirationis signo expressi contra ac fieri solet; cum quod Donatus id monet, tum quod ipse sensus postulat. Præter Mss. alios etiam duo Leidd. et M. Davos inturbat. Alii, Interturbat omnia: sic ed. 1469. Rursus alii: Davos inturbat omnia. Ita et Bodl. Donatus ommissa voce Davos tantum inturbat, quod pluscilicet edd. veteres imitatae. In aliis Codd. est, Davos omniu, quod genuinum videtur, ἐμφατικώτερον certe est; neque dubitem, τὸ inturbat ex annotationibus irrepsisse. West. Dele inturbat tanquam glossema. Bent. Punctum maximum habet Br. post alterum 'Davos:' et cum Guelf. 2. inturbat pro omnia. Notat Bruns: 'Edd. 'Davos' cum signo interr. quod male excidit ex cod. Davos ante intert. ed. Zenn. omitt. Dedit West. Dar. omnia: sed dura est ellipsis.' 'Inturbat,' ait Gov. 'esse interpretis affirmare ausim:' et hunc et duos seqq. vs. dividit eo modo quo West. At Bent. Both. Perl. cum Br. hos vs. in duos redncunt, et primum claudunt cum voce 'Nescio.' Ceterum sic dat hunc vs. Bentleyus: Q. h. i. PA. Davos. CH. Davos? quamobrem? PA. Nescio. Eum sequitur Perl. Bothius quoque, excepto quod inturbat legit post 'istuc.'—40 Satis scio elegantius abest, et ei abundat. Bent. Tollit Bent. satis scio audacter. Quanquam Terent. more 'nisi' ubique jungitur verbo finito, non infinito. Perl. Vulgo Inturbat (omnia addunt A et Gu. I. quod ascriptum, postquam sedem legitimam mutasset snam vox interl.) CH. Quamobrem, &c. Bent. delet intert. quasi glossema, et satis et scio: sed rei convenit vehementius inferri metrum. Both.—41 Qui auscultaverim. Ita edd. pleræque omnes vetustæ, Junt. Aldina, R. Stephani, aliæ. Vulgo: qui auscultaverim ei, quomodo Leidd. unus, vel, qui ei auscultaverim. Malaspina ad Cic. Att. xi. 6. qui illum auscultaverim: quæ varietas facit, ut credam, sententiam sine pronominæ rotundiorē esse et elegantiorē. West. Ei dant Guelf. 2. et Z.—42 Libb. antiquiores omnes, Factum est hoc; et mox pro Factum, Pet. Factum est. Utramque recte. Bent. Gu. I. Factum hoc est a te, Dave? ex int. Both. Bentleyium sequitur

- Eho, dic mihi, si omnes hunc conjectum in nuptias
 Inimici vellent : quod, nisi hoc, consilium darent? 45
 DA. Deceptus sum, at non defatigatus. CH. Scio.
 DA. Hac non successit, alia aggrediemur via.
 Nisi id putas, quia primo processit parum,
 Non posse jam ad salutem converti hoc malum.)
 PA. Immo etiam : nam satis credo, si advigilaveris, 50
 Ex unis geminas mihi conficies nuptias.
 DA. Ego, Pamphile, hoc tibi pro servitio debeo,
 Conari manibus, pedibus, noctesque et dies,
 Capitis periculum adire, dum prosim tibi.
 Tuum 'st, si quid præter spem evenit, mihi ignoscere. 55
 Parum succedit quod ago : at facio sedulo.

inimici in has nuptias, quas aversatur, conjicere vellent, quid nisi hoc, quod dedisti consilium, ei darent? DA. Deceptus sum eventu, at non defatigatus, ut rem in melius referre desperem. CH. Scio, scilicet. DA. Hac ratione res non successit; alia aggrediemur: nisi putas, quia primo parum feliciter evenit, non posse hoc malum jam ad salutem referri. PA. Immo vero, puto id posse fieri: nam etiam credo facile, si diligentem operam dederis, ex unis duas mihi conficies nuptias. DA. Ego, Pamphile, cum tuus sim servus, hoc tibi debeo; conari totis viribus, noctesque diesque mortis periculo me exponere, dummodo tibi utilitatem afferam. Te vero convenit, si quid contra expectationem tuam evenit, mihi ignoscere. Si parum successit,

Perl. et ita Both. nisi quod non invertit hoc est. Ea verba invertit Br. qui dat ho ante 'scelus.'—43 Mss. *Ut tibi.* Lind. *Utinam post 'tibi'* Guelf. 2.—45 *Inimici ejus.* Ita ex Ms. editum: tamen in R. et aliis rō ejus non habetur. Lind. Ne versus duriter incedat, pro quod, nisi lege quidni. Bent. Accedunt Perl. Both.—46 Mss. quidam *defatigatus.* Alii, *delassatus.* West. *Defatigatus* Bent. Both. cum Br. cujus glossa dicit: 'Lassatus: alii fatigatus.'—47 M. *aggrediamur.* Atque ita Bœcleri omnes scripti codices: ex impressis 1469. Ven. 1490. et Fabrini. West. Codd. superstites omnes, *aggrediemur.* Bent.—48 Lege *Nisi si id.* Bent. Morem gerit Both.—49 Lege numerose magis, *Non jam ad salutem posse, &c.* Bent.—51 *Unicis* Guelf. 2.—55 *Ereniat* G. West. Metri ratio *evenit*, non *erēnit*, efflagitat. Bent. Hoc cf. cum Do. Sic dat Bothius: *pr. spem, mihi te ign.*—56 Vi. et alii antiqui codd. *succedit*, recte, non *successit.* Bent. Ad vocem 'sedulo' Perl. monet: 'GM. in marg. 'saltem.' Ex eod. cod. totam fere aliam periodum transcribo hanc: *Parum si succedit, quod ego ... aut facio sedulo; aut (saltem) tute melius aliud reperi, aut me m.*

NOTÆ

43 *At tibi Di]* 'At' principium est increpationi aptum. Virg. 11. Æn. 'At tibi pro scelere, exclamat, pro talibus ausis,' &c. Horat. 'At, o Deorum quisquis in cælo regis Terras et humanum genus.'

44 *Dic mihi]* Semper hoc 'dic mihi' injuriosum est, aut curiosius interrogantis, ait Donat. in hac fabula, et in Hecyra. Virg. 'Dic mihi, Dameta.' Inducitur Menalcas amare interrogans Damætam.

Vel melius tute reperi: me missum face.

PA. Cupio: restitue, in quem me accepisti, locum.

DA. Faciam. PA. At jam hoc opus est. DA. Hem! st, mane: concrepuit a Glycerio ostium.

PA. Nihil ad te. DA. Quæro. PA. Hem! Nunccine demum? DA. At jam hoc tibi inventum dabo. 60

quod ago, at facio ex animo, et bona fide. Vel, si opera mea tibi non placet, tu aliud melius reperi; me vero abire jube. PA. Cupio. Tu vero in cum statum me restitue, in quo eram, antequam patri promissem me uxorem ducturum. DA. Faciam. PA. At jam opus est, statim te hoc facere. DA. Hem, st mane. Glycerii ostium concrepuit. PA. Hoc nihil ad te pertinet, qui attentus esse debes consilio excogitando. DA. Id quæro. PA. Hem, an hoc tandem agis? DA. At jam hoc inventum tibi dabo.

//////////

f.—57 Notat Fa. in quibusdam libris legi, *Vel melius tu aliud reperi*. Atque ita est in edd. Aldinis, R. Stephani et Joh. Fabrini; ed. autem 1490. et Junt. 1505. sed et Bodl. *Vel melius tute aliud reperi*. West. Omnes Faërne et nostri, *tute*, recte; plerique etiam addunt *aliud*, male. Bent. *Tute aliud reperi* Br. Guelf. 2. sed 1. *aliud melius*.—58 Citat Fa. ex libris antiquis: *restitue, quem a me accepisti locum*. Et ita est in Bodl. [G. EM.] Cum qua lect. convenit paraphrasis Donati. Sed et Eug. perpetuus Donati imitator ita legit, ut et Junt. annorum 1505. et 1565. Leidensium unus: *quo me accepisti loco*. Præstat autem lectio vulgata, quanquam græcissans. West. Recentiores in *quem*, sed vetustiores recte omittunt *in*. Bent. In optimis membranis legitur *restitue quem a me accepisti locum*; quam lect. Bent. confirmat ex Phorm. Prol. vs. 34. Verum nec altera lectio spernenda, *restitue in locum*. R. D. Bent. omittit *in* cum Br. Z. Perl. Both. et cum iis dat *a me*.—59 Omnes codd. *Hem sed*. Igitur, ne *sed* elegans pereat, et versui consulatur, sublatis *Hem* et *mane*, substituimus *hinc*. Omnes fores, quæ in Fabulis memorantur, intra scenam erant, et eam versus aperiebantur. Lege igitur, *Sed concrepuit hinc*, &c. Bent. Dat Bothius: *Faciemus... Hem! Set mane: con. ost. Dat Br. Hem. Sed mane*. Bodl. u *Gl. crep. ost.*—60 Cod. insignis, *Hem nunccine demum?* recte. Bent. Assentit Both. In Guelf. 2. *Quamobrem?* ante ‘Quæro.’

NOTÆ

59 *Hem! st, mane]* *St*, si legatur, indicit silentium. Nam *st* sibili sunt silentium imperantes. Plaut. in Epid. Act. II. Sc. 2. ‘*St, St, habete animum bonum.*’

Concrepuit a Glycerio ostium] Ablativus cum prepositione ‘*a*’ est loco genitivi, quod frequens est Terentio.

ACTUS IV. SCENA II.

MYSIS. PAMPHILUS. CHARINUS. DAVUS.

MY. JAM, ubi ubi erit, inventum tibi curabo, et mecum adductum

Tuum Pamphilum : tu modo, anime mi, noli te macerare.

PA. Mysis, quid est? MY. Hem, Pamphile, optume te mihi offers. PA. Quid est?

MY. Orare jussit, si se ames, hera, jam ut ad se venias ; Videre ait te cupere. PA. Vah! perii: hoc malum integrascit. 5

Siccine me atque illam opera tua nunc miseros sollicitarier : Nam idcirco arcessor, nuptias quod mihi apparari sensit.

CH. Quibus quidem quam facile potuerat quiesci, si hic quiesset.

MY. Jam tuum Pamphilum, ubicunque is erit, curabo, ut brevi inveniam, et mecum tibi adducam. Tu tantum modo, anime mi, o Glycerium! noli te solitudine macerare. PA. Mysis, quid est? MY. Hem, Pamphile, opportune mihi obvius fis. PA. Quid est? MY. Hera te me orare jussit, ut, si se ames, jam ad se venias. Ait, se cupere te videre. PA. Vah, perii. Hoc malum, nempe, hæc animi anxietas propter metum nuptiarum, ex integro me cruciat. Itane oportet me atque illam, tua opera, nunc miseros sollicitari? Nam idcirco a Glycerio arcessor, quia nuptias mihi apparari aulirit. CH. A quibus quidem nuptiis liberi et quieti esse potuimus, si Davus quiescisset, nec suis dolis omnia perturbasset. DA. Age, si



1 Alii Jamjam. West.—2 Colloca modo tu, et versus salvus erit. Bent. Sic edidit Both. Perl.—3 In G. ET. EM. personæ ita ordinantur: PA. Mysis. MY. Quid est? In iisd. libb. versu seq. ad sese legitur. West. Versus constat, si legas opportune te. Er. Pone PA. Mysis. MY. Quis est? chem, Pamphile, opportune te: deletis ultimis, Quid est? Nam Quis habet unus cod. Ehem monosyllabon præfer τφ Hem, quod est indignantis vel conturbati. Opportune, ut Adel. III. 2. 24. quod sæpe permutatur cum optume, ob similitudinem, optune et optume. Denique Quid est a correctoribus ortum est ad versum supplendum, postquam vitiose legerunt optumc. Bent. Sic legit Bothius: PA. Mysis! MY. Quis est? Hem, te optume mihi, Pamphile, offers! PA. Quid id est? Perl. edidit: PA. Mysis! MY. Quis est? chem! Dat Br. PA. Mysis. MY. Quid est? hem.—4 Illa post se Gneif. 1. Sese Br. Z. Bent. Both.—6 Gov. et Glar. sollicitari: ne acatalecticis inter catalecticis ponatur. Unde et F. H. in dimetiendo hoc vs. ultimunt er omittendum esse præcipit. West. Lege, ut versus postulat, sollicitari. Bent. Tollunt paragonem Bent. Mur. Perl. Sic et Perl. et Both. Interrog. signum dant Br. et Perl. admirationis Both. post sollicit. Hoc probat Bruus.—7 Arcessor Br. et Bent.—8 Mss. quidam et editi poterat. West. Antiqui codd. pro

DA. Age; si hic non insanit satis sua sponte, instiga. MY.

Atque ædēpol

Ea res est; proptereaque nunc misera in mœrore est. PA.

Mysis, 10

Per omnes tibi adjuro Deos, nunquam eam me deserturum:
Non, si capiundos mihi sciam esse inimicos omneis ho-
mines.

Hanc mihi expetivi, contigit: conveniunt mores. Valeant,
Qui inter nos discidium volunt. Hanc, nisi mors, mihi adi-
met nemo.

CH. Resipisco. PA. Non Apollinis magis verum, atque
hoc responsum est. 15

Si poterit fieri, ut ne pater per me stetisse credat,

Quo minus hæ fierent nuptiæ, volo: sed, si id non poterit,

Id faciam, in proclivi quod est, per me stetisse, ut credat.

Pamphilus hic non satis insanit sponte sua, tu illum incita. MY. Atque ædēpol eā causa est, propter quam nunc misera in dolore et luctu est. PA. Mysis, per omnes Deos tibi affirmo, nunquam eam me solum deserturum, non si omnium hominum inimicitias sciam me suscepturum. Hanc meam esse cupide exoptari. Illu mihi obvenit. Nostrī mores conveniunt. Procul facessant, qui inter nos discessionem fieri volunt. Hanc, nisi mors, mihi auferet nemo. CH. Animum recipio. PA. Non Apollinis responsum magis verum atque hoc est. Si poterit fieri, ne pater credat, me fuisse in causa, quominus hæ nuptiæ fierent, libenter id volo; sed, si id fieri non poterit, id faciam ad quod animus propensus est, ut pater credat me in causa fuisse, cur hæ nuptiæ infectæ permanerent. Quis tibi videor esse, Charine!

//////////

poterat recte potuerat, versu ipso postulante. Bent.—9 Ed. 1469. tu eum inst. West. Abest Age a Guelf. 1.—11 Sollicitat hanc lect. Gny. contendens eji-
ciendum esse illud Per, ob rationem versns scilicet. Mihi contra videtur
'adjuro' pro simplici, juro, esse positum, nisi quod paulo majorem etiam
vim habet. Unde particula 'ad' auctiva dicitur Donato. West. Dele tibi,
ut redundans. Bent. 'Adjuro' ponitur pro simplici, juro. R. D.—14 Recte
Fa. pro *dissidium* ponit *discidium*, consentientibus nostris vetustis libris. Nam
venit a, discindere, ut 'excidium' ab, excindere. Bent.—15 Pro *Resipisco*,
CCC. *Respiro*. Utrumque recte. Ceterum hoc verbum ipsi Mysidi tribue.
Id. Ita tribuunt Both. Perl.—16 *Poterit* GM. commode, ob 'poterit' vs.
17. Al. *potuerit* prave. Perl. *Potuerit* Br. ut et in vs. 17.—18 Gifanius Ind.
Lucret. in *proclive* tuetur. West. Sic Br. 'In *proclivi* hic dicitur pro *proclive*.
Quidam codd. habent in *proclivo*. De forma 'proclivus,' vid. Fabricium ad

NOTÆ

16 *Ut ne pater per me stetisse credat]* rentius ipse in Eunuchō: 'Ulciscar,
'Ut ne' idem significat quod, ne. ut ne impune in nos illuseris.' Sic et
Plaut. in Mercat. 'At ego expurga- Cicero: 'Fides tua patietur, ut so-
tionem habebō, ut ne succurrat.' Te- cius adolescentis rea ne fiat.'

Delph. et Var. Clus.

Terent.

Z

Quis videor? CH. Miser æque, atque ego. DA. Consilium quaero. CH. Fortis.
 PA. Scio quid couere. DA. Hoc ego tibi profecto effectum reddam. 20
 PA. Jam hoc opus est. DA. Quin jam habeo. CH. Quid est? DA. Huic, non tibi habeo, ne erres.
 CH. Sat habeo. PA. Quid facies? cedo. DA. Dies mihi hic ut sit satis vereor

CH. *Æque mihi videris miser esse, atque ego.* DA. *Consilium quaero, ut his nuptiis me expediam.* CH. *Fortis es, qui id quaeras.* PA. *Scio quid coneris, et quam difficile sit id perficere.* DA. *Hoc ego tibi profecto, quod inveni, effectum reddam, Pamphile.* PA. *Jam hoc opus est, quod ais te effecturum.* DA. *Quin jam habeo paratum, ut statim id cæquar.* CH. *Quid est?* DA. *Non id excogitari tui gratia, sed Pamphili; ne erres.* CH. *Ego satis habeo, si huic consulas.* PA. *Dic mihi, Dave, quid facies mei causa?* DA. *Vereor, ut hic dies mihi sufficiat, ad agendum*

h. l. et Ondendorp. ad Hirt. de Bell. Afric. c. 10.' R. D.—19 Hallucinatur Donatus, existimans, Pamphilum velle constantiam suam probari, et sibi dici, *Fortis*. Quam sententiam secutus et planius expediturus Guyetus hunc versum suo more aliter disposuit, ita: *Quis videor?* CH. *Fortis, at miser æque atque ego.* DA. *Consilium quaero.* T. Faber primus, opinor, monnit, ex Donati *Et fortis*, Charinum, cujus sermo a Davo erat interruptus, ubi respondisset, 'Miser æque atque ego,' continuo addidisse, *At fortis es*. Perizonius suspicabatur, τὸ *Fortis εἰρωνικῶς* Davo non a Charino, sed a Pamphilo dictum. Patet autem ex verbis Davi, Pamphilum voluisse se miserum dici, non fortem. Quare, cum dixisset, 'Quis videor?' et Charinus respondisset, 'Miser æque atque ego,' videtur Pamphilus vultum iratum intendisse in Davum; qui, ut leniat iram herilis filii, regerit illud, 'Consilium quaero.' Quod audiens Charinus, *Fortis es*, inquit. Atque ita est in Mss. quibusdam, et editorum vetustissimis. Citra ironiam autem id dictum a Charino, ex sequentibus conficitur, ubi participem se fieri consilii illius serio expetit. West. Pr. Inst. lib. xvii. *Quis tibi videor?* addens τὸ 'Quis' notare, Qualis. *Id. in Add. Æque, atque ego.* Postremæ duæ voces in Ms. non erant. Lind. 'Consilium quaero' dicit Davus: lege *Fortis*; hæc Charinus non Pamphilo, sed Davo dicit: sequentia, *Scio quid conere*, emenda, *Si quid conere*, et tribue ipsi Charino. Nam noudum potest iratus Pamph. blande loqui cum Davo. Bent. Bent. eleganter legit *Fortis es, Si quid conere*. R. D. Assentit Peil. qui notat: 'Bent. ex m. cod. CH. *Fortis, Si quid*. Quæ lect. præstat vulgate.' 'Vulgo *Scio quid conere*, ex int. C *conaris*, ex usu Græco. Bent. *Si quid conere*, præter necessitatem.' Both. qui sic legit: PA. *Fortis! Scio quid conere!* Ego post 'Quis' Gneif. 3. *Fortis es* 2.—21 In Mss. τὸ *habeo* deest. Lind.—22 Colloca e libris Fæorni *Dies mi hic ut satis sit*.

NOTE

19 *Consilium quaero*] Melius est hoc a Davo dici, quam a Pamphilo.

20 *Scio quid conere*] Si Pamphili est persona, Ironia est in Davum; et sensus est, ut supra: Scio quid conere; nempe ut iterum me misc-

rum reddas, et ex unis nuptiis geminas mihi conficias. Sed non esse personam Pamphili ex subjectis ostenditur. Si Charini est persona, sensus est: Scio quid conere; sed an efficere possis nescio.

Ad agendum: ne vacuum esse me nunc ad narrandum credas.

Proinde hinc vos amolimini: nam mihi impedimento estis.

PA. Ego hanc visam. DA. Quid tu? quo hinc te agis?

CH. Verum vis dicam? DA. Immo etiam. 25

Narrationis incipit mihi initium. CH. Quid me fiet?

DA. Eho tu impudens, non satis habes, quod tibi dieculam addo,

Quantum huic promoveo nuptias? CH. Dave, attamen.

DA. Quid ergo?

CH. Ut ducam. DA. Ridiculum. CH. Huc face ad me ut venias, si quid poteris.

quod deliberari, ne me otium habere credas ad narrandum tibi, quod sum facturus. Proinde vos hinc amovete, nam mihi impedimento estis. PA. Ego Glycerium incisam. DA. Quid tu, Charine? quo tendis? CH. Vis dicam verum? DA. Hic Charinus non abiturus est, puto; immo etiam velut narrationis alicujus mihi incipit initium. CH. Quid de me fiet? me miserum! DA. Eho, impudens. Nonne satis habes, quod tibi diem addam; quo temporis spatio profero nuptias Pamphili; tu vero possis ambire, orare Chremetem, atque ejus amicos. CH. Dave attamen. DA. Quid ergo esi? CH. Fac ut ducam Philumenam. DA. O ridiculum hominem. Quasi illa sit in mea potestate. CH. Fac, ut ad me venias, si

Metri causa. Bent. Accedit Perl. *Dies satis sit vereor* legit Both. et censet alia esse interpretis. *Dies hic mihi ut satis sit vereor* dat Br. *Ut ne* Guelf. 2. —23 Putes id. *Me* omittit Br. quod abesse posse censet Bruns. Glossa ejusdem Ms. notat et post 'credas' et post 'agendum' in seq. versu: 'Vel?' —25 *Quo hinc te agis?* Lect. hanc, ipsamque adeo locutionem vindicat Bœclerus, Chrestomath. v. 'Agere.' *Immo etiam. Narrationis incipit mihi initium.* Varie hæc expediunt Interpretes. Mallem, si per Codices liceret, integrum locum ita legere et distinguere: DA. *Immo etiam Narrationis incipis mihi initium?* Certe quidem in quatuor editis incipis legitur, quorum duo Veneti, annorum 1490. et 1512. duo Lugdunenses, annorum 1511. et 1520. West. Punctum post 'etiam' non exhibent Bent. Perl. Both.—26 Mss. quidam, et impressi, quos laudavi, *Quid de me fiet?* West. Sic Guelf. 2. 3. —27 Priscian. lib. v. *Eho impudens, non sat habes.* Charisius libro I. *Quid si tibi addo dieculam?* Lind. Abest tu a Guelf. 2. 'Edit. add. tu, quod ex Ms. erasum esse videtur.' Bruns.—28 *Ego pro ergo* Guelf. 1.—29 *Huc face ad me ut venias, si quid poteris.* Ita omnes legunt et distinguunt. Sed et inde incertum manet, quid sibi hæc velint, *si quid poteris*; an, si quid poteris venire; an, si quid poteris invenire. Malim autem ita: *Huc face ad me ut venias; si quid, poteris*: quorum verborum ordo et sensus est: Face ad me ut venias; poteris, si quid habes consilii. Blande enim rogantis formula est, Ciceroni sæpius usitata, 'Poteris et facies.' West. Duo e nostris vetustissimi, *ad me venias*, omisso ut; concinnius. Bent. *Ut* Bent. elegantius

NOTE

26 *Narrationis incipit mihi initium*] velut præcæmium narraturi. Quia hoc, 'Verum vis dicam?' est

DA. Quid veniam? nihil habeo. CH. Attamen si quid. DA.
 Age, veniam. CH. Si quid, 30
 Domi ero. DA. Tu Mysis, dum exeo, parumper operire me
 hic.
 MY. Quapropter? DA. Ita factum est opus. MY. Matura.
 DA. Jam, inquam, hic adero.

quid poteris efficere mei gratia. DA. *Quid ego veniam? Nihil habeo, quod tui causa possim.* CH. *Attamen si quid possis.* DA. *Age, veniam.* CH. *Si quid feceris quod mihi renuntiandum sit, domi ero.* DA. *Tu, Mysis, expecta hic paulisper, dum egrediar domo Glycerii.* MY. *Quamobrem?* DA. *Ita fieri opus est.* MY. *Festina.* DA. *Jam, inquam, hic adero.*

//////////

omisit. *Perl.* Omittit et Both.—30 *Quod veniam, nil habeo* Both. *Dat Guelf.* 1. *Att. si quid age.* DA. *Age, ego ven.*—31 *Deleto me, metri leges salvæ erunt.* *Bent.* *Delet Both.*—32 *Id. dat jamjam pro jam inquam, non monito lectore.*

=====

ACTUS IV. SCENA III.

MYSIS. DAVUS.

MY. NIHILNE ESSE proprium cuiquam! Di vestram fidem!
 Summum bonum esse heræ putavi hunc Pamphilum,

My. Itane est, ut nihil sit proprium cuiquam hominum? Di! vestram fidem imploro. Putabam hunc Pamphilum summum bonum esse heræ meæ, Glycerii:

//////////

1 Quæ nunc una est scena, in vulgatis divisa erat: sed, quicquid hujus factum, vet. codd. fide factum, quos hic secuti sumus auctores: quamvis Donatus priorem editionem agnoscere videatur. *Lind.* Hanc scenam cum superiori continuat Both. In Bodl. esse *N. cuiq. homini proprium* testatur West. *Esse* abest ab ed. *Perl.* qui monet *Nihilne esse* exhibere *Guelf.* 1. 2.—2 Quinque codd. cum edd. vet. *putabam.* Non male. Verum, ne pes tertius uno verbo ‘heræ’ constet, repone *deputabam*, ut *Hec.* IV. 1. 9. *Bent.* *Heræ hunc pu-*

NOTÆ

1 *Proprium*] Dicitur, quod non est cum aliis commune; quod est perpetuum et stabile; et cujus non solum possessio nostra, sed etiam proprietas et dominium est. *Virg.* ‘Nimium vobis Romana propago Visa potens, Superi! propria hæc si dona fuissent.’ *Plant.* in *Mercatore*, Act. II. Sc. 3. ‘Proprium nequit mihi evenire, quod cupio.’

Amicum, amatorem, virum in quovis loco
 Paratum: verum ex eo nunc misera quem capit
 Laborem! facile hic plus mali est, quam illic boni. 5
 Sed Davus exit. Mi homo, quid istuc obsecro 'st?
 Quo portas puerum? DA. Mysis, nunc opus est tua
 Mihi ad hanc rem exrompta memoria atque astutia.
 MY. Quidnam incepturus? DA. Accipe a me hunc ocyus,
 Atque ante nostram januam appone. MY. Obsecro, 10
 Humine? DA. Ex ara hinc sume verbenas tibi,

amicum certum, amatorem perpetuum, virum semper ubique paratum ad eam tuendam; verum, quem ejus causa misera nunc patitur dolorem! certe plus mali est in dolore quem illa percipit, quam boni, in illius Pamphili amore. Sed Davus exit e domo Glycerii. Mi homo! quid istud, obsecro, est? quo portas hunc puerum? DA. Mysis, nunc opus est mihi, ad hanc rem quam paro, tua memoria presentis, et prompta ex tempore, atque astutia tua. MY. Quidnam incepturus es? DA. Accipe cito hunc puerum a me, atque ante januam nostram appone. MY. Obsecro, an hunc in terra ponam? DA. Ex ara hac sume verbenas, atque eas vice stramenti

tabam Both. Putabam Gneif. 3.—3 Amatorem Bodl. non agnoscit. West. Pro amatorem, quod et minus est quam 'Amicum,' et contra Fabulæ argumentum, ne Glycerium meretrix videatur, lege tutorem: cf. sup. 1. 5. 6. Bent. Tò virum in Ms. deest. Lind.—5 Laborem. Ita edidi ex quinque Leidd. sed et Tr. et M. Consentit ed. Junt. et Par. ex quatuor Pall. Accedit auctoritas Donati et Eugraphii. Vetustissimæ tamen edd. secuntæ Mss. quosdam libros, Dolorem exhibent. Laborem capere nescio quomodo magis est Terentiana locutio. West. Al. laborem quem capit. Lind. Plures codd. Faëрни et nostri, iique antiqui, habent Laborem. Bent. Dolorem Mur. Perl. Sic Z.—7 Mysis. Hic Donato et in quibusdam Mss. et editis est initium Scenæ 4. West. Est omittit Both. O Mysis habet Gneif. 3.—8 Memoria cum Tr. et M. etiam duo Leidd. legunt. Sed et ita est in vetustissimis impressis codd. pro quo alii malitia habent. Leidd. unus et Bodl. militia: corrupte. Si vero partes Mysidis in hac Scena respicias, nullus malitiæ locus; quanquam ita legendum esse post Faërnnum contendit Tan. Faber. West. V. C. malitia. Lind. Pro memoria V. Bas. et aliqui alii, quos inspexit Faërnus, it. Eugraphius legunt malitia; recte. In quibusdam corrupte legitur militia. Bent. Malitia dant Both. Perl. Militia Br. cujus glossa memorat memoria.—11 In Bodl.

NOTÆ

7 Quo portas puerum] Davus ex ædibus Glycerii exportat infantem panis involutum, traditque Ancillæ; quasi mater eum ante fores Simonis exponi mandasset. Ceterum in pluribus codicibus continuantur hæ duæ Scenæ, ut unam conficiant.

11 Ex ara sume verbenas] Aræ in scena erant veræ et propriæ: dextra

Baccho in Tragœdia; Apollini in Comœdia; sinistra ei Deo, vel Heroi, cui ludi fiebant. In his verbenæ imponebantur Apollini. Videatur Evanthis in Prolegomenis in hunc Auctorem. Item Scaliger in Poëtica, lib. 1. cap. 21. Tanbman. in Mostellariam Plauti, Act. v. Sc. 1. et Vossius in Inst. Poëtici, cap. 10. lib. II.

Atque eas substerne. MY. Quamobrem id tute non facis?

DA. Quia, si forte opus sit ad herum jusjurandum mihi,

Non apposuisse, ut liquido possim. MY. Intellego.

Nova nunc religio in te istæc incessit, cedo? 15

DA. Move ocyus te, ut, quid agam, porro intelligas.

Pro Jupiter! MY. Quid est? DA. Sponsæ pater inter-
venit.

Repudio, quod consilium primum intenderam.

MY. Nescio quid narres. DA. Ego quoque hinc ab dextera

Venire me assimilabo: tu, ut subservias 20

Orationi, utcumque opus sit verbis, vide.

ei subijce. MY. Quamobrem tu ipse hoc non facis? DA. Quia, si forte opus mihi sit jusjurare, hero id exigente, id certo et sincere facere possim. MY. Intellego. Unde nova ista religio venit tibi in mentem? DA. Matura, ut quid postea acturus sum intelligas. Proh Jupiter! MY. Quid est? DA. Sponsæ Pamphili pater Chremes intervenit, dum loquimur. Abjicio consilium, quod primum ante adventum ejus ceperam. MY. Nescio quid narres. DA. Ego quoque hinc a dextra parte, qua venit Chremes, me venire simulabo. Tu vide, ut quibuscumque verbis, quibus opus erit, subservias, et commodes orationi meæ. MY. Ego nihil intellego, quid tu

//////////

legitur *sume*: qualis ellipsis festinantibus est propria. West.—12 Ob numeros meliores ‘id’ pone post ‘tute.’ Bent. Quidam Mss. et editorum antiquissimi, *tute ipse*. West. *Tute id* Both. Perl. *Ei* post ‘subst.’ Guelf. 3. *Ei* pro *eas* dat Both. qui notat *eas* minus bene esse.—13 Do. legit *jurandum*. Idem in quibusdam Mss. et impressis legitur, defenditurque ab Antesignano, ob metrum scilicet. Alii *jurejurando*. West. *Jurejurando* G. EM. *Id.* in *Add. R. jusjurandum*. Lind. *Jurandum* est vox nihili. Omnes, quos vidi codd. habent *jusjurandum*, præter unum academicum, ubi est *jurejurando*. Nos, ut versui medeamur, legendum censemus *jurato*, quod eodem dicitur modo, quo infra ‘transcurso,’ Hec. III. 4. 17. Bent. *Jurato* exhibet Both. qui notat pessime legi *Quia*, et dat *Quin.*—15 Edd. vetustiss. *Unde nova nunc religio in te isthæc incessit?* Sed et ita Mss. quidam exhibent. West. *Dele in.* quod repugnat usui ‘incessere.’ Bent. *In te incessit.* Hoc verbum variis modis construitur: Religio incessit me, mihi, et in mc. R. D. *In te ist. rel. incessit!* Cedo! Both. Punctum maximum dat Perl. post ‘cedo:’ et sic Br. qui dat idem post ‘incessit.’—17 *Quid est* recte habent omnes codd. Bent. *Quid est* Fa. ex o. l. s. Non habet l. antiq. Perl. *Delet est* Both.—18 Mss. et editi quidam vetusti, *prius*. West. *Quod consilium* colloc. libb. antiqq. Al. invert. *cons. quod*. Perl. *Quod primum intendi, jam consilium repudio* Both. *Primo* Guelf. 1.—19 GM. *narras*, minus Latine. Perl.—20 *Ut* omittit Both.—21 *Opus* in Thesi totum occultatur. Lege, *opu’st verb.* Bentleius. *Sit*: GM.

NOTÆ

14 *Liquido*] ‘Liquido jurare,’ ‘liquido dicere,’ est pure, manifeste, aperte, certo, omnino.

21 *Utcumque opus sit verbis*] Hæc dicens Davus abit, priusquam frau-

dulentum ejus consilium Mysis intelligat: quæ causa est, ut ea in Scena proxima præter rem Davo respondeat, ac fere prodat ipsius commentum.



MY. Ego, quid agas, nihil intelligo: sed, si quid est,
Quod mea opera opus sit vobis, aut tu plus vides,
Manebo: ne quod vestrum remorer commodum.

agas: sed, si opus est vobis in aliqua re opera mea, aut tu plus prævides, quam ego, hic expectabo, ne, quod vobis commodum est, retardem.

~~~~~  
pro var. est. *Perl. Utc. opus, verbis vide dat Both.—23 Pro aut lege cum Guy. ut, h. e. quia. Etenim dubium non est, Myside Davum esse longe callidiorum. Bent. Ut Mur. Bent. pro aut vulgo. Perl. qui ut dat cum Both.—24 Bodl. ne vost. West. Al. aliquod. Mur. in vet. Veneto repp. ne quid, quod exponit: ne in aliqua re. Perl.*

## NOTÆ

24 *Ne quod vestrum remorer commodum]* Commodum Pamphili. Ceterum hæc Scena est actiosa: magis enim in gestu, quam oratione est constituta.

---

 ACTUS IV. SCENA IV.

CHREMES. MYSIS. DAVUS.

CH. REVERTOR, postquam, quæ opus fuere ad nuptias  
Gnatæ, paravi, ut jubeam arcessi: sed quid hoc?  
Puer hercle 'st. Mulier, tun' apposuisti hunc? MY. Ubi  
illic est?

CH. Non mihi respondes? MY. Nusquam est: væ miseræ  
mihi!

CH. *Redeo, postquam apparavi ea, quæ opus fuit apparare ad celebrandas nuptias filia, ut jubeam vocari eos, quos his interesse convenit. Sed quid hoc est? Puer hercle est. Mulier, tunc hic posuisti eum? MY. Ubinam est Davus? CH. Non mihi respondes? MY. Hem, nusquam in his locis reperitur ille. Homo me*

~~~~~  
1 Hæc in Mss. quibusdam et impressis est Scena 5. *West.—2 Accersi Br. et Bent. Est in fine Guelf. 2.—3 Mss. quidam, et ed. 1469. posuisti. West. Posuisti Ms. Lind. Ne versus sit justo longior, aut dele hunc, aut scribe tu, ut edd. vett. habent. Bent. Posuisti Br. Hunc delet Both.—4 Hem nusq. est*

NOTÆ

2 *Sed quid hoc]* Interrogatio est ignorantis Chremetis quid esset, quod primum viderat. Erat autem puer pannis involutus.

3 *Ubi illic est]* Mysis Davum requirit, qui se summovertat, conspecto Chremete; ut ipse de foro venire videretur.



Reliquit me homo, atque abiit. DA. Di vostram fidem! 5
 Quid turbæ est apud forum! quid illic hominum litigant!
 Tum annona cara 'st: quid dicam aliud, nescio.

MY. Cur tu obsecro hic me solam? DA. Quæ est hæc
 fabula?

Eho, Mysis, puer hic unde est? quisve huc attulit?

MY. Satiu' sanus es, qui me id rogites? DA. Quem ego
 igitur rogem, 10

Qui hic neminem alium videam? CH. Miror, unde sit. †

DA. Dicturan' es quod rogo? MY. Au. DA. Concede ad
 dexteram.

reliquit. DA. *Dii vestram fidem! quantus tumultus in foro; quanta multitudo hominum est, qui illic litigant? Tum annona cura est. Nescio, quid aliud dicam.* MY. *Cur tu, quæso, hic me solam reliquisti?* DA. *Hem, quamnam fabula hic agitur? Eho, Mysis, unde puer hic allatus est? Quisve hunc portavit huc?* MY. *Satisne animi sanus es, qui hoc a me quaras?* DA. *Quem igitur interrogem, qui neminem hic alium, quam te video?* CH. *Miror unde sit.* DA. *Respondebisne, Mysis, ad id, quod quero?* MY. *Au.* DA. *Veni ad dexteram.* MY. *Desipis.*

~~~~~

Br.—5 Ed. 1490. *Reliquit me homo sic solam*: forte scriptum fuerat, *hic solam*: quod e versu octavo possit videri repetitum. West.—6 Varie hæc leguntur. Jam Donati ætate lectum, *quid illic hominum litigat!* Mss. quidam et impressorum vetustissimi, *quot illic hominum litigant!* Id. Est qui retingat est ad forum. Melius, opinor, Guy. *Quid t. op. forumst? quid illic h. l. vel quid illud hominum.* Bent. Quot GM. in marg. *Perl. Quid t. ap. f. est! quid hominum litigant* Both.—7 An Num a. cara est? Westerhovius. *Quid dicam aliud, nescio.* Ita distinsi cum edd. præstantissimis, Juntina, Aldina, Stephani, aliis. Vulgo: *quid dicam aliud? nescio.* Cic. Att. xvi. 15. 'Nihil enim habeo aliud, quod dicam.' Id. Vulgatum habet Z. *Quid dicam, aliud nescio* Br.—8 Ed. 1469. *Hem quæ.* West. Plures et meliores codd. concinnius, *Hem, quæ hæc est fabula?* Bent. Ita dant Both. Perl. *Hem* habet et Br.—10 In R. τὸ es desideratur. Lind. *Quamvis contra omnes codd. repone: Satiu' sanus, me qui id rogites? Quem igitur rogem?* Vel ictus ipsi satis hoc probant. Bent. Accedit Perl. *Es* delet Both.—11 Omnes Faërne et nostri libri habent *videam*, non *video*. Bent. *Video* Guelf. 1. et Both.—12 Alii

#### NOTÆ

- 4 *Væ miseræ milii*] Quasi dicat: *nitur.*  
 Davi mandato huc veni; at ille me *8 Cur tu obsecro hic me solam]*  
 reliquit, atque abiit. *Simplicitas Mysidis fere detegit fal-*  
 5 *Di vostram fidem]* A dextra ve- *laciæ.*  
 niens Davus simulat se e foro ve- *12 Au]* Interjectio turbatæ et con-  
 nire. *sternatæ mulieris.*  
 7 *Tum annona cara 'st]* Hoc Davus *Concede ad dexteram]* Hæc sum-  
 ad spectatores conversus, vel sum- *missæ: monet ancillam Mysidem, ut*  
 misse dicit. Est autem 'annona' res *clam, quid sit opus, eam monere*  
 omnis quæ ad annum victum repo- *possit.*

MY. Deliras? non tute ipse? DA. Verbum si mihi  
Unum, præterquam quod te rogo, faxis, cave.

MY. Male dicis? DA. Unde 'st? dic clare. MY. A vobis.

DA. Ha, ha, he. 15

Mirum vero, impudenter mulier si facit meretrix?

CH. Ab Andria 'st ancilla hæc, quantum intelligo.

DA. Adeon' videmur vobis esse idonei,

In quibus sic illudatis? CH. Veni in tempore.

DA. Propera adeo puerum tollere hinc ab janua. 20

Mane; cave quoquam ex istoc excessis loco.

MY. Di te eradicent: ita me miseram territas.

DA. Tibi ego dico, an non? MY. Quid vis? DA. An etiam  
rogas?

Cedo, cujum puerum hic apposuisti? dic mihi.

*An non tu ipsemet mihi eum in manus dedisti? DA. Si mihi verbum unum, præter id quod te rogo, dixeris, vapulabis. Cave ne id facias. MY. Male mihi dicis. DA. Unde hic puer est? dic clare. MY. A vobis. DA. Ha, hæ. O rem ridiculam! Quid mirum est, si mulier meretrix impudenter mentiatur? CH. Hæc ancilla Glycerii est, quantum intelligo. DA. Vobisne videmur adeo opportuni vestris ludificationibus et imposturis? CH. Veni in tempore. DA. Festina celeriter hunc puerum auferre a janua. Hic mane. Cave ne quoquam alio pedem moveris ex hoc loco. MY. Dii te funditus perdant, qui me miseram adeo terrefacis. DA. Tibi ego dico, an non? MY. Quid vis? DA. At etiam quæris, quid velim? dic, cujus puerum ante hoc ostium posuisti? dic mihi. MY. Nescisne cujus sit? DA. Tace*

*Dicturan,' omissio es. West. Lege Dictura cs. Bent. Es delet Both.—13 Deliras? Cum interrogationis nota expressi, quod id ἐμφατικώτερον videbatur. West. Dele si, quod est contra leges linguæ, et transfer e versu sequenti unum in locum illius. Bent. Sequuntur Both. Perl. qui testatur in Guelf. 2. esse si mihi, et in 1. 3. Verb. si mihi ullum.—14 Lege cum libris nostris præterea quam, h. e. præterquam, ut 'posteaquam.' Bent. Accedunt Both. Perl.—15 A vobis ex Mss. nonnullis edd. vetustissimæ et optimæ. Alii, A nobis, quod et Fa. tuetur. West. Ut sensus et versus sit salvus, lege, Quin dicis, undest clare? MY. A nobis. DA. Attate. Nam non modo ridendi locus hic non est, sed codd. quoque habent, Ahahe. Legimus igitur Attate, quod est admirantis et conterriti. Bent. Dic delet Both. et dat nobis cum Br. Z. et Perl. qui legit Aha! he! Exhibet Br. A, ha, ha.—16 Ne versus sit longior, meretrix præpone sequenti. Bent. Parent Both. Perl. Est post 'Mirum' Guelf. 2.—17 Dele ancilla, quæ poterat e vestitu cognosci. Bent. Parent hic quoque idem.—19 In ante 'tempore' delet Both.—20 Ed. 1469. Propterea adeo puerum tolle. West.—21 Excesseris Guelf. 2.—22 Quid ita id.—23 Venustus edd. vett. dico ego. Bent. Sic dat Both. At etiam*

## NOTE

- 13 *Verbum si mihi Unum*] Commi-  
natur summissee Davus.      vus summissee loquitur, non audiente  
Chremete; et est interminatio pro-  
21 *Mane; cave*] Rursum hæc Da-  
hibentis, ne tollat Mysis puerum.

MY. Tu nescis? DA. Mitte id, quod scio : dic, quod rogo.  
 MY. Vestri. DA. Cujus vestri? MY. Pamphili. DA. Hem!  
 quid? Pamphili? 26  
 MY. Eho, annon est? CH. Recte ego semper fugi has  
 nuptias.  
 DA. O facinus animadvertendum! MY. Quid clamitas?  
 DA. Quemne ego heri vidi ad vos afferri vesperi?  
 MY. O hominem audacem! DA. Verum : vidi Cantharam  
 Suffarcinatam. MY. Dis pol habeo gratias, 31

*id quod scio : dic quod quero.* MY. Vestri. DA. Cujus vestri? MY. Pamphili.  
 DA. Hem, quid ais, Pamphili? MY. Eho, an non est? CH. Merito semper ego  
 has vitare volui nuptias. DA. O facinus puniendum! MY. Cur adeo exclamas?  
 DA. Tunc hunc puerum dicis esse Pamphili, quem ego heri vidi ad vos afferri sub  
 vesperam? MY. O hominem impudentem! DA. Verum est. Vidi Cantharam  
 sarcina oneratam. MY. Diis pol habeo gratias; quandoquidem parienti Glycerio

~~~~~

Br. et Bent. Z. Both. Perl.—25 Post ‘nescis’ glossa in Br. notat : ‘Vel ;’
 i. e. absque interrogatione.—26 Varietas Librorum lect. facit dubiam.
 Omnium antiquissimi ex editis habent, ut exhibui. Lind. aliique : *Cujus?*
nostri? Rursus alii unica interrogatione : *Cujus nostri?* In his est Bodl.
West. Par. *Cujus? nostri?* Sed magis convenit *Cujus nostri?* Perl. qui
 hoc dat cum Br. Bent. Both. Dedit Z. *Cujus? nostri?*—27 Quomodo
semper fugit, qui t. 1. 73. ultro ad Simonem venit? repone igitur *nempe*.
 Deinde ‘has’ pone ante ‘fugi,’ auctoritate unius codicis. Bent. *Has fugi*
nuptias Perl. *Recte has fugi semper nuptias* Both. *Effugi* Guelf. 2.—28 Edi-
 dit Both. *O anim. fac.* MY. *Quid? quid clam.*—29 *Quem* Br. *Perferri ad ves-*
peram Guelf. 3. *Perferri* legere Gu. 1. notat Both.—30 Petrus Nannius Mis-
 cell. lib. 1. ex conjectura legit, *cantharum Suffarcinatum*, intelligens *χώραν*
 seu fictile vas, cujusmodi Athenis in exponendis pueris fuisse usitata, ex
 Aristotele, Callimacho, et Aristophane observat Farnabius. In eadem vero
 qua Nannius sententia fuisse plures, ex tribus Leidd. apparet, in quorum
 uno voci *cantharam* superscriptum, sed alia manu, ‘chorbem;’ in secundo,
 ‘corbem;’ in tertio, ‘corbem honestam de puero.’ Ansam dedit Engraphius.
 Mili id duriusculum videtur. Et obstat consensus Msstorum, quorum nul-
 lum unquam vidit Nannius, ipso teste, Miscell. lib. 11. cap. 6. Video Lind.
 accedere ad sententiam Nannii. *West.* Recte a West. repudiatur ratio P.
 Nannii. *Zeun.* *Verum: vidi C.* Ita cum Bent. West. distinxit. Prave con-
 tinuant Lind. Par. cum seqq. *Verum vidi.* Perl. *Hanc post Canth.* habet
 Br.—31 Dno e nostris *gratiam*; recte. *Bent.* Bent. recte edidit *gratiam*;
 nam hoc est ex more Comicoꝝ. *R. D.* Vulgo *gratias*, refraganti B: et
 verisimile est oblitteratam fuisse formam insolentiorum. *Both.* qui dat *gra-*

NOTE

25 *Mitte id, quod scio*] Hæc sum-
 misse etiam dicit.

26 *Cujus vestri*] Vult data opera
 Pamphilum nominari.

31 *Dis pol habeo gratias*] Habemus

illis gratiam a quibus fatemur benefi-
 cium accepisse, nec posse illud re-
 ferre: Diis vero dixit, ‘habeo gra-
 tias,’ quas his reddere nequit.

Cum in pariundo aliquot affuerunt liberæ. †

DA. Næ illa illum haud novit, cujus causa hæc incipit.

Chremes, si positum puerum ante ædes viderit,
Suam gnatam non dabit; tanto hercle magis dabit. 35

CH. Non hercle faciet. DA. Nunc adeo, ut tu sis sciens,
Nisi puerum tollis, jam ego hæc in mediam viam
Provolvam: teque ibidem pervolvam in luto.

MY. Tu pol, homo, non es sobrius. DA. Fallacia
Alia aliam trudit: jam susurrari audio, 40
Civem Atticam esse hanc. CH. Hem! DA. Coactus legibus

aliquot affuerunt liberæ matronæ, quibus credi oportet. DA. Profecto illa Chremetem non novit, propter quem hanc fallaciam aggreditur. Si Chremes (ita illa cogitat) positum puerum ante ostium Simonis viderit, non dabit filiam suam Pamphilo. Immo, ego aio; tanto magis, per Herculem, ei dabit. CH. Non per Herculem id faciet. DA. Nunc etiam ut scias, si hunc puerum hinc non exportas, jam nunc ego eum in mediam viam volvendo protrudam, teque ibidem versabo plurimum in luto. MY. Tu pol homo vino captus es. DA. Fallacia alia aliam producit: jam obmurmurari audio in hac domo Glycerii, illam esse civem Atticam. CH. Hem. DA. Pamphilus, (inquiunt) qui eam vitiarit, cogitur legibus Atticis eam



tiam.—33 *Ne illa. Pro, valde illa. Vel Illa ne, id est, numquid illa?* per solæcismum, immutato ordine. *Eug. Ne, Br. qui dat hoc pro hæc, et interrogat post 'incipit.'*—34 *Lege appositum. Bent. Aliq. codd. ap. Bent. et vet. edd. puerum pos. Perl.—35 Interrogant Br. et Both. post 'dabit.' Deest, ait Bruns, interrogatio editionibus: sed vix deesse potest. Abest dabit posterius a Guelf. 2.—36 Scis Guelf. 3.—37 Alii jamjam. West.—38 Mss. quidam, Provolvo. Edd. vero antiquissimæ mox repetunt eandem vocem ἀντὶ τοῦ pervolvam, ubi Nannius mallet, proluam, scilicet quia Donatus παρόμοιον agnoscit, quod aut nullum, aut perquam incitum sit in Provolvam et pervolvam. Id.—41 Eho pro Hem Z.—42 Omnes nostri libri Eho obsecro, recte.*

NOTÆ

32 *Aliquot liberæ*] Servis non licebat testimonium perhibere.

34 *Chremes, si positum puerum*] Chremetem nominat, quem præsentem esse se ignorare simulat.

39 *Fallacia Alia aliam trudit*] Prior fallacia est; puerum esse natum ex Pamphilo; quæ prior aliam producit, nempe Glycerium esse civem Atticam. Alius sensus hic esse potest: Fallacia alia aliam pellit, et prodit: nimirum commentum illud,

(Glycerium esse civem Atticam,) falsum esse ostendit, dictam Glycerium pepuisse puerum ex Pamphilo.

41 *Civem Atticam esse*] Regio Atheniensium primum dicta est Actica ab Acte, quod Græce littus significat: deinde Attica: maxima enim ex parte littoralis erat.

Coactus legibus] Legibus Solonis cautum fuit ut qui virginem liberam civemque Atticam stuprasset, ut aut illam uxorem duceret, aut dotaret.

Eam uxorem ducet. MY. An! obsecro; annon civis est?

CH. Jocularium in malum insciens pæne incidi.

DA. Quis hic loquitur? o Chreme, per tempus advenis.

Ausculata. CH. Audivi jam omnia. DA. Anne tu omnia? 45

CH. Audivi, inquam, a principio. DA. Audistin' obsecro?

Hem scelera! hanc jam oportet in cruciatum hinc abripi.

Hic ille est! non te credas Davom ludere.

MY. Me miseram! nihil, pol, falsi dixi, mi senex.

CH. Novi rem omnem: est Simo intus? DA. Est. 50

MY. Ne me attingas, sceleste: si pol Glycerio non omnia hæc.

DA. Eho, inepta, nescis quid sit actum? MY. Qui sciam?

uxorem ducere. MY. Eho, dic mihi, obsecro, an Glycerium non est civis Attica? CH. Insciens ego pæne incidi in periculum joco dignum. DA. Quis hic loquitur? o Chreme, commode advenis! Audi. CH. Audivi jam omnia. DA. Ah, tunc omnia audivisti? CH. Audivi, inquam, a principio. DA. Audivistine, obsecro te? Hem scelera! Hanc ancillam Glycerii jam oportet in crucem tollere. O Mysi! hic ille est Chremes, vir meritis clarus; ne tu credas vos rem habere cum Davo servo, quem deludatis dolis. MY. Me miseram! Nihil, pol, dixi falsi, mi senex! CH. Novi rem omnem; sed an Simo domi est? DA. Ita, est domi. MY. Ne me attingas, sceleste Dave! Dispeream, si pol Glycerio non omnia hæc renuntiem. DA. Eho inepta nescis, cur hoc ita sit a me factum. MY. Quomodo id sciam?

//////////

Bent. Eho l. antiq. At Fa. Au. Perl. Eho dant Z. Both. Perl. cum Br. —45 Taubmann. et Lind. Ah, ne tu. West. An hæc tu R. Lind. In omnibus nostris deest jam, male. Ceterum plures et meliores, An hæc tu. Lego, Anne hæc tu. Bent. Sequuntur Both. Perl. An hæc tu Br. Jam abest a Guelf. 2.—47 Bodl. non agnoscit ῥὸ hinc, sed et pro abripi legit arripi. West. Hem apponi debet superiori. Bent. Hem sic in fine versus Bent. Mur. Ille tamen, si semper in fine hanc particulam poni jubet, non sibi ipse constat. Posuit nunc in principio, nunc in medio pluries. Perl. qui eam hic colloca- vit cum Both. ad nutum Bentleii.—48 Plerique nostri habent, Hic est ille. Bent. Hic est ille Do. In l. antiq. Hic illic est. Perl. qui illud dat cum Br. et Z. Illudre Gn. 1. et Hel.—50 Pentameter est, nisi legas Intus est in fine. Er. Ne inter Senarios male dimeter et tetrameter locum occupent, dudum Guy. et alii versum effecerunt unum: Novi omnem rem: est Simo intus? DA. Est. MY. Ne me attingas. Plautinum est attingas. Hinc intelligitur, Davum Mysidi osculum obtulisse. Bent. Accedunt Both. Perl. nisi quod hic dat attingas. In l. antiq. est Sed est S. i.—52 Panci codd. habent Quid sciam? Ceteri nostri, et Faëni omnes, Qui sciam? Bent. Qui Bent. Sed hoc esset nescire se fatentis cupientisque edoceri, non contententis, quod hic requiritur. Both. Qui: sic Bent. et Br. Mirum est, qui Bent. cum Br. sæpe in

NOTÆ

43 Jocularium in malum] Per anti- phrasim dictum; significat enim mag- num ac serium malum, ut notat Mu-

retus.

45 Anne tu omnia] Simulata admi- ratio; alii legunt: Ah ne tu omnia?

DA. Hic socer est: alio pacto haud poterat fieri,
 Ut sciret hæc, quæ volumus. MY. Hem, prædiceres.

DA. Paulum interesse censes, ex animo omnia, 55
 Ut fert natura, facias, an de industria?

DA. *Hic Chremes est socer futurus Pamphili. Hic non poterat alio modo scire, quæ volumus ut sciret; puerum nempe ex Pamphilo Glycerium peperisse, eamque esse civem Atticam. MY. Hæc me præmonere debueras. DA. Parumne interesse existimas inter ea, quæ fiunt vere, et natura ducente; atque ea, quæ arte et industria simulantur?*

//////////

uno eodemque conveniat, nisi antea cognoverit ejus recensionem. *Perl.* At Bentleius vix tantæ fraudis fuisset reus, ut lectiones aliorum pro suis sciens prudensque vindicaret. Putat Gov. *quid sit actum* esse interpretis, non Auctoris; claudit versum superiorem cum voce 'Glycer.' et legit *Quid sciam?*—54 Restitui τὸ *Hem* ex Mss. plusculis et edd. vetustissimis. Quanquam nec Junt. nec Aldina, nec St. nec Lindenbruchii agnoscunt. *West.* Fa. e codd. suis legit *volumus*: nos *volumus*, fide codicis 900 annorum. *Bent.* Ad vocem *volumus* glossa in Br. notat: 'Vel *i.*' De quo sic loquitur Bruns: 'Num *volui* an *volumus* sit varia lectio, ambigi potest.' 'Fa. facit,' ait *Perl.* 'ex *quæ* vel *præ* dissyllabon *quæ* vel *præ*: in quo reprehenditur a *Bent.*' Idem dat *volumus* cum Both. *Hem* omittunt Br. *Bent.* Z. Both. *Perl.*—55 *Paulum* si cum Donato per, multum, explicas, sensus loci quidem patitur, sed repugnat usus loquendi. Legendum esse censemus *Hilum*, quod est Lucret. III. 881. *Bent.* Sed sic etiam alibi Noster. *Both.* Ap. Terent. *Hilum* nullibi invenitur. *Perl.* *Si ex a. o. facias* Guelf. 3.—56 *Natura ubi fert* Both.

ACTUS IV. SCENA V.

CRITO. MYSIS. DAVUS.

CR. IN hac habitasse platea dictum 'st Chrysidem:
 Quæ sese inhoneste optavit parere hic divitias
 Potius, quam in patria honeste pauper vivere.

CR. *Mihi dictum est in hac platea habitasse Chrysidem, quæ multum hic Athenis turpiter divitias acquirere; quam pudice, in patria Andro, pauper vivere. Ejus*

//////////

1 Ab hac Scena Actum quintum dncere initium nullus dubito, vel ex Critonis persona, cujus adventus catastrophem facit, solvitque errorem omnium. Idem antiquissima manu ascriptum est EV. 1. *West.*—2 Mss. quidam et editi, *parare*. Sed τὸ *parere* ex Probo vindicat Riv. admisitque in suam ed. 1536. Et sane Terentianum magis est. *Id.* Ut 'pauper' sequentis versus possit casum nominativum obtinere, sequor lectionem cod. ubi pro *sese* *parare* reperitur *sibi* *parere*. Præsertim cum omnes Fa. habeant *parere*. *Bent.* *Parare* Z. *Quæ inhoneste parare se hic optavit divitias* Both. *Ditias* vult Gov.—3 *Paul-*

Ejus morte ea ad me lege redierunt bona.

Sed quos perconter? video. Salvete. MY. Obsecro, 5

Quem video? estne hic Crito sobrinus Chrysidis? *Sic*

Is est. CR. O Mysis, salve. MY. Salvos sis, Crito.

CR. *Itane* Chrysis? hem! MY. Nos quidem pol miseras perdidit.

CR. Quid vos, quo pacto hic? satin' recte? MY. Nosne? *sic*.

Ut quimus, aiunt, quando, ut volumus, non licet. 10

CR. Quid Glycerium? jam hic suos parentes reperit?

MY. Utinam! CR. An nondum etiam? haud *auspicato* huc me attuli.

bona, jure cognationis, post mortem illius mihi obvenerunt. Sed video, quos de loco domus Glycerii interrogem. Salvete. MY. Obsecro, quem video? Estne hic Crito, sobrinus Chrysidis? Ille ipse est. CR. O Mysis, salve! MY. Tu quoque salvus sis, Crito. CR. Verumne est Chrysidem decessisse? MY. Nos quidem pol miseras perdidit. CR. Quid vos hic agitis? Quomodo vivitis? Satisne comode? MY. Nosne, quomodo habeamus, rogas? Ut possumus, quando, ut volumus, non licet, sicut communi fertur proverbio. CR. Quid agit Glycerium? jamne suos parentes reperit? MY. Utinam reperisset. CR. An adhuc non reperit? Non

per legerunt veteres Grammatici, Donatus, Probus, Servius, Pr. In quibusdam Mss. et editis est *paupera*. Ms. Bodl. et Lind. *viveret*. West. *Pauper vivere* plerique Mss. et Pr. lib. v. p. 41. tamen in R. *viveret* erat. Lind. Ordo *honeste in patria* et efficit suaviores numeros, et comprobatur meis et Faërii libris, sed recentioribus. Deinde lego cum codd. duobus Bodleianis *viveret*. Bent. *Viveret* e Mss. optime reposuit Bent. R. D. Verba eodem modo quo Bent. collocat Perl. *Viveret* Br. Both. Perl.—4 *Vult* Guy. *Ejus mortuae ad me*.—6 *Consobrinus* J. et Venetus cod. Perl. C. et Hel. *consobrinus*, recte. Both. qui dat Q. v. *estne hic re consobrinus Chrysidis?*—7 *Is est, Crito* Guef. 2.—8 *Lege, Nos pol quidem*. Bent. Invertit et Perl. *Itan* Br. et alii.—9 *Sic* addunt Interpp. et sine illo non constat versus trimeter. Er. *Sic* male a nonnullis omittitur. West. Ratio versus exigit, ut *satine* legatur. Bent. *Sic* dant Both. Perl. qui ad 'Quid vos' notat: 'GM. *agitis*: quod nisi glossema est, vix alias invenitur. Anglus [sc. Bent.] et alii [ut Z.] conjung. *sic Ut* incommode.' Br. delet *sic*.—10 *Alias lubet*. Er. Non habet quando RC. Perl. *Quandoquidem* Guef. 2. *Ut volumus, quando* 3.—12 *Attuli*. Ita vetustissimæ et optimæ edd. ex Mss. quamplurimis. Pr. lib. xv. Instit. Grammat. *attuli* legit, quod F. F. in septem Mss. invenit. Tr. *appulit* legit. West. *Appuli* Fa. dedit: et nihil annotavit. Unus ex nostris bonæ notæ *attuli*. Pr. p. 1009. 'Auspicato: Terentius in Andria: Haut

NOTE

6 *Sobrinus Chrysidis*] Consobrini proprie dicuntur nati ex duobus sororibus; sobrini, filii consobrinorum; patruces, filii duorum fratrum.

12 *Haud auspicato*] 'Auspicari' est, ex avium cantu aut gestu futura divinare. 'Auspicato' est adverbium significans, auspiciis factis: 'inaus-

Nam pol, si id scissem, nunquam huc tetulissem pedem :
 Semper enim dicta 'st ejus hæc, atque habita 'st soror.
 Quæ illius fuerunt, possidet. Nunc me hospitem 15
 Lites sequi, quam hic mihi sit facile atque utile,
 Aliorum exempla commonent. Simul arbitror,
 Jam aliquem esse amicum et defensorem ei : nam fere
 Grandiuscula jam profecta 'st illinc : clamitent,
 Me sycophantam, hæreditates persequi, 20

faventibus auspiciis huc appuli: nam pol, si scivissem Glycerium parentes non reperisse, nunquam huc me contulissem; semper enim ea Chrysidis dicta est atque habita soror, ejusque bona possidet: tum me peregrinum, quam sit mihi facile atque utile lites habere hic, in aliena patria, plurima exempla docent. Atque etiam opinor Glycerium jam aliquem amicum habere et defensorem paratum: nam fere grandiuscula ætate ex Andro huc Athenas migravit. Vereor ne me ipsi clament

auspicato huc me appuli.' Ita quidem Putschius dedit: sed nostri ibi codd. attuli, ut et illi quos G. F. et F. F. consuluerunt. Bent. Lind. appuli, ut in lib. antiq. Perl. Appuli dant Br. Z. Both. qui legit *Ah pro An.*—13 Alii, *retulissem*, corrupte, opinor. West. *Tetulissem* Diomedes lib. I. ac Mss. Lind. *Tetulissem*: sic Plantinum est in plurim. libb. Al. *retuliss.* Al. *detuliss.* Perl.—14 *Ejus* Bodl. non agnoscit. West. G. et ET. *Semper ejus dicta esse hæc.* Id. in Add. *Dicta est ejus hæc*: variant hic scripti codices: *ejus dicta esse hæc*: sed melius quod in R. *Semper enim dicta ejus hæc.* Lind. Sic V. et Bas. *Semper enim dicta est esse hæc, atque habita est soror.* Reliqui omnes Faërne, *Semper ejus, &c.* Lege *Semper ei dicta est esse hæc atque, &c.* Sensus est gravior per asyndeta, sublato enim. Bent. *Semper ejus dicta est esse, atque habita est soror hæc* Br. *Hæc semper esse dicta est atque* Both. Perlet monet Guelf. 2. habere *esse hæc* sine *ejus*, et in Guelf. 3. poni 'esse' post 'est.'—16 Pro *hic* lego *id*, ob fidem quatuor codd. antiquorum, et ob sensum. Nam, cum 'Aliorum exempla' dicat, non solas Athenas vult intelligi, sed quamvis civitatem. Bent. *Id* dat Both. *Quam mihi* Guelf. 3.—18 *Ei.* G. cum ET. et EM. *ejus.* West. *Ejus* V. C. Lind. Concinnius erit, si cum quatuor codd. et editione vet. colloques: *Jam esse aliquem, &c.* Bent. Miss. Par. *ejus pro ei* minus eleganter. Perl. *Ejus* Br. *Esse aliq.* Both.—19 R. *profecta 'st illinc clam: clamitent, &c.* Lind.—20 *Hæreditatem* G. ET. EM. West. Codd. omnes, *Hæreditatem*, sc. hanc Chrysidis. Melius. Ceterum,

NOTE

picato' vero significat, auspiciis neglectis. Et, quoniam Romani nihil incipiebant, nisi sumtis auspiciis, idcirco, 'inauspicato' pro, infeliciter, usurpatur.

16 *Quam mihi sit facile atque utile*] Donatus interpretatur, difficile atque inutile.

20 *Sycophantam*] Cum in Attica magna esset ficum copia, ad eas aservandas publice custodes stabantur, qui sycophantæ dicti sunt, ἀπὸ τοῦ σῦκα φάλασθαι, id est, ficus deferre: quod accusare solerent eos, qui ficus carperent.

Mendicum: tum, ipsam despoliare non libet.

MY. O optume hospes, pol, Crito, antiquum obtines.

CR. Duc me ad eam, quando huc veni, ut videam. MY.
Maxume.

DA. Sequar hos: nolo me in tempore hoc videat senex.

sæpius calumniatorem, qui hæreditatem alienam captam, mendicum denique. Tum etiam, et si hæreditas Chrysidis jure mea sit, tamen illam bonis denudare non licet, cum ipsa nulla alia, quam Chrysidis bona habeat. MY. Optime hospes Crito antiquum tuum morem observas: cum ita te geris erga Glycerium. CR. Duc me ad illam, ut, quando huc veni, saltem eam videam. MY. Libenter id volo. DA. Sequar hos ad ædes Glycerii. Nolo me senex herus Simo hoc tempore nunc videat.

//////////

cum Donato post 'sycophantam' interpungendum puto. *Bent.* Lind. ex Do. *Hæreditates.* Perl. *Hæreditatem* dant Br. Both. Perl. Non distinguunt post 'sycoph.' Z. Both. Perl. Abest *Me* a Guelf. 3.—21 Codd. duo perantiqui, et totidem ap. Riv. habent *libet*: quod persona Critonis est dignius. *Bent.* *Licet* Z. *Lubet* Br. Both. Perl. *Spoliare* Perl. qui testatur Guelf. 1. 3. legere *despol.*—22 *Ant. retines* EP. *West.* *Opportune pro optime* qui legend. putant ut versui consulant, potius quam *morem* addant, vident meo iudicio parum. *Gov.* Duo e nostris, *O optume*: recte. *Bent.* Sequuntur Both. Perl. *Morem* post 'obt.' Guelf. 3.

NOTÆ

22 *Antiquum obtines*] Id est, antiquum et consuetum tuum morem. Sic Plautus absolute sine substantivo dixit in *Mostellaria*, Actu II. Sc. 3. 'Antiquum hoc obtines tuum, tardus ut sis.'

=====

ACTUS V. SCENA I.

CHREMES. SIMO.

CH. SATIS jam, satis, Simo, spectata erga te amicitia 'st
mea:

Satis periculi cœpi adire: orandi jam finem face.

Dum studeo obsequi tibi, pæne illusi vitam filiæ.

CH. *Satis, jam satis, Simo, perspecta est mea erga te amicitia: satis periculi suscepi. Desiste me orare. Dum studeo voluntati tuæ obsequi, pæne ludibrio habere*

//////////

1. 2 *Sati* Bip. Sed apostrophæ non opus. *Perl.*—2 *Omnes Nostris* cum Edd. vet. *incepi.* Recte. *Bent.* Sic dant Br. Both. *Perl.*—3 C. V. *studui.* Lind.

SI. Immo enim nunc quam maxime abs te postulo, atque oro, Chreme,

Ut beneficium verbis inutum dudum nunc re comprobēs. 5

CH. Vide, quam iniquus sis præ studio, dum efficias id quod cupis:

Neque modum benignitatis, neque, quid me ores, cogitas.

Nam, si cogites, remittas jam me onerare injuriis.

SI. Quibus? CH. Ah! rogitas? perpulisti me, ut homini adolescentulo,

In alio occupato amore, abhorrenti ab re uxoria, 10

Filiam ut darem in seditionem, atque incertas nuptias:

visus sum, et negligere filiae meae salutem. SI. Immo vero summopere a te peto, atque obsecro, Chreme, ut beneficium, verbis jam pridem inceptum, nunc re confirmes et praestes. CH. Vide quam iniquus sis, praestudio efficiendi id quod cupis consequi: neque consideras, qui modus benignitatis in amicis servandus sit; neque quid a me tuis precibus postules. Nam, si id cogites, tu desinas mihi contra jus importunus et molestus vexator esse. SI. Quomodo vexator tibi fui? CH. Quærisne? Inuitum coëgisti me, ut adolescentulo, alio amore implicato, alieno a ducenda uxore, filiam meam darem, cum periculo divortii et discessionis a conjugio instabili, ut ejus

//////

Tibi dum obsequer studeo Both. Natæ pro filia Guelf. 3.—4 Immo enim quam maxime. O. l. s. Immo enim nunc quam maxime. Donatus vero, nunc cum maxime: ita et Eug. et ita legendum est. Fa. Recte cum maxime: licet omnes nostri quam. Bent. Chremes Br. et etiam pro enim.—6 O. l. s. et Do. dum id efficias. Fa. Vide quam iniquus sis praestudio, dum id efficias quod cupis: prava hic distinctio invaluit, sententiae detrimento. Tu sic interpunge: Vide quam iniquus sis praestudio: dum id efficias quod cupis, Neque modum, &c. Bent. Accedit Both. Vides Guelf. 1. Id eff. dant Br. Z. Both. Perl.—9 Malim cum Mss. quibusdam et editis, At rogitas? West. At rogitas G. At rogus EM. Id, in Add. Omnes nostri At rogitas? Legendum etiam, homini ut. Bent. Invertit et Perl. At exhibent Br. Both.—10 GM. alieno. Unica quidem lectio, sed ob minorem codicis ætatem parvi habenda. Perl.—11 O. l. s. et Do. Filiam ut darem. Omnes fere l. s. et maxime antiqui habent atque in inc. Fa. Valeant libri omnes, potius quam ut Terentius praest oblivione bis dederit ut. Lege, Filiam darem, ut Edd, pleræque habent. Bent. Ut omnino vitiosum est. Bruns. Id delent Z. Both. Perl. In inc. dant Bent. Z. Perl.

NOTÆ

3 *Illusi vitam filia*] ‘Illudere’ præter significationem vulgatam significat interdum, per ludum noceo. Virg. II. Georg. de vite novella præcipiens: ‘Sylvestres uri assidue capræque sequaces Illudunt.’ Idem, in primo Georg. de area granis terendis facienda: ‘Tum variae illudant pestes.’ Id est, ne varia et pe-

Delph. et Var. Clas.

riculosa animalcula infestent. Idem II. Æn. ‘Certantque illudere capto.’ Id est, per ludum et jocum sævire in injuriam illius. Servius Fuldensis. Sic Suetonius in Tiberio dixit ‘illudere capitibus,’ et ‘illudere corpus.’

Filiam darem in seditionem] Id est, ut filiam darem futuram in continuis dissensionibus et rixis cum marito:

Tercent.

2 A

Ejus labore, atque ejus dolore, gnato ut medicarer tuo.
 Impetrasti: incoepi; dum res tetulit: nunc non fert: feras.
 Illam hinc civem esse aiunt: puer est natus: nos missos
 face.

SI. Per ego te Deos oro, ut ne illis animum inducas cre-
 dere, 15

Quibus id maxime utile 'st, illum esse quam deterrimum.
 Nuptiarum gratia hæc sunt ficta, atque incepta omnia.
 Ubi ea causa, quamobrem hæc faciunt, erit ademta his,
 desinent.

CH. Erras: cum Davo egomet vidi jurgantem ancillam.
 SI. Scio.

CH. At vero vultu; cum, ibi me adesse, neuter tum præ-
 senserat. 20

labore atque dolore remedium afferrem filio tuo, amore turpi insanienti. Tu id a me impetrasti. Etiam incoepi nuptias contrahere, dum res permisit: nunc non permittit. Tu me quoque consilium mutare permittis. Dicitur etiam Glycerium civem esse Atticam; ex ea puer filio tuo natus est: proinde omitte nos de nuptiis compellere. SI. Per Deos ego te oro, ne velis his credere, quibus utile est, ut filius meus pessimus sit atque aestimetur. Nuptiarum impediendarum causa hæc fallaciæ omnes inventæ sunt atque inceptæ. Ubi nuptiæ perfectæ fuerint, et causa, quamobrem fraudulenti illi hæc faciunt, his ademta fuerit; dolos et technas suas desinent. CH. Falleris; egomet vidi ancillam Mysidem rixantem cum Davo. SI. Scio. CH. At vero vultu, non simulato; tunc cum neuter eorum me ibi adesse ante senserat. SI. Credo;

cum Br.—12 Mederer Br.—13 Imperasti Ed. V. 1483. Tulit Er. Perl. Tulit Br. qui dat nunc ut fert, feras. Hic notat Bruns: 'Ed. non fert: potior est lectio codicis.' Impetrasti inceptum, res dum Both. 'Guelf. 3. feras: fuerat antea neglect. post superscript.'—16 Eum pro illum Guelf. 2.—17 Chartaceus noster factu; et a prima manu duo alii; postea interpolatum ficta. Vera lectio est facta. Videre hoc, vel ex conjectura, alii. Bent. Facta Guelf. 2.—18 Mss. quidam, tum desinent. West. Ademta, his desinent Br. quam distinctionem magis concinnam esse censet Bruns.—19 Lege numerosius ancillam jurgantem. Bent. Invertit et Perl.—20 Varie hæc leguntur, vel neuter dum præsenserat, vel neuter dum persenserat. Bodl. neuter tum ne senserat. West. Hic versus in Bem. incipit a dictione 'At:;' ceterum in scansione ea particula in finem præcedentis versus rejicitur. Conjicit Lolgius neuter dum: quod nobis maxime placet. Hoc tamen addimus, videri nobis legendum esse, persenserat. Fa. Tolle illud At. Lolgius neuter dum. Atqui codicum omnium lectio, tum, eodem prorsus sensu est. 'Tum,' 'cum,' passim: et nonnunquam 'cum,' 'tum.' Ergo recte tum. Bent. Ac, seu potius Atque C: recte. Vulgo

NOTE

ita ut matrimonium dissolveretur. teritum.

13 Dum res tetulit] Antiquum præ-

SI. Credo: et id facturas, Davos dudum prædixit mihi.
Et nescio quid tibi sum oblitus hodie, ac volui, dicere.

et hanc fraudem facturas Mysim et Glycerium Davus dudum mihi prædixerat; et nescio propter quid id tibi dicere oblitus sum, contra quam proposueram.

//////////

At, minus bene. Both. qui cum illa voce Ac claudit vs. 19.—21 Repone, Credo, et id futurum Davos. Bent. Facturos Br. de quo notat Bruns: 'Hæc antiqua lect. pro qua edit. habent facturas, genio linguæ minus convenienter mutata est in factura?' Dat Br. diom pro dudum.—22 Sic versus constitue: Et nescio qui tibi sum oblitus hodie, ut volui, dicere. Bent. Ut dant Both. Perl. Qui id legit Both. pro quid, et locat Et in fine vs. 21.

ACTUS V. SCENA II.

DAVUS. CHREMES. SIMO. DROMO.

DA. ANIMO nunc jam otioso esse impero. CH. Hem Davom tibi.

SI. Unde egreditur? DA. Meo præsidio atque hospitis.

SI. Quid illud mali 'st?

DA. Ego commodiorem hominem, adventum, tempus, non vidi. SI. Scelus

DA. Omnes jam nunc securo animo esse impero. CH. Hem, Simo, ecce tibi Davus adest. SI. Unde egreditur? DA. Meo auxilio, atque hospitis Critonis. SI. Quid etiam illud malum est, quod Davus affert? DA. Rebus nostris commodiorem hominem, adventum, tempus non vidi. SI. Quænam sceleratus hic laudat?

//////////

1 *Jam nunc. Nunc jam o. l. s. et Do. et stat versus divisa voce 'jam' in duas syllabas. Fa. Olim fuisse otiosos in Br. testatur Bruns. Id. cod. dat En pro Hem.—2 'St omittit Both.—3 Is. Vossius in Scholiis Mss. ad h. l. notat, in quibusdam codicibus legi, adventum ac tempus; in aliis, adventum ad tempus. In Leid. uno est, ad tempus adventum. Tr. habet, adventum ad tempus. Qui vero adventum ad tempus explicant de Homine, qui advenit ad tempus, stylum Terentianum exasperant. West. Adv. ad t. G. et ET. Id. in Add. Adv. ad t. R. Lind. Bipontinis placuit adv. ad t. Mihi non recedendum videtur a lect. vulgari. Schmieder. Adv. ad t. Par. recepit. Quo teste Mss. Pall. emitt.*

NOTE

1 *Impero]* Serviliter exultat Davus. Simo, Davo non audiente, et solo secum loquente.

Hem Davom tibi. SI. Unde egreditur] 3 *Scelus Quænam hic laudat]* 'Scelus' pro scellesto.

Quemnam hic laudat? DA. Omnis res est jam in vado.

SI. Cesso alloqui?

DA. Herus est: quid agam? SI. O salve, bone vir. DA.

Ehem Simo! o noster Chreme! 5

Omnia apparatus jam sunt intus. SI. Curasti probe.

DA. Ubi voles, arcesse. SI. Bene sane: id enimvero hic nunc abest.

Etiam tu hoc respondes? quid istic tibi negotii 'st? DA. Mihini?

SI. Ita. DA. Mihine? SI. Tibi ergo. DA. Modo introii.

SI. Quasi ego, quam dudum, rogem. †

DA. Omnis res nostra jam in tuto posita est. SI. Quid cesso hunc alloqui? DA. Herus hic est: quid agam? SI. O salve, bone vir! DA. Hem, Simo, o noster Chremes! salvete. Omnia jam ad nuptias apparatus sunt intus in domo nostra. SI. Curasti recte tu quidem. DA. Ubi coles, filium accersi jube. SI. Bene sane dicis: id enim certe nunc unum desideratur ad solemnitatem nuptiarum. An non etiam tu ad id, quod quæro, respondes? Quid tibi negotii est in domo Glycerii? DA. Mihi? SI. Ita. DA. Mihine? SI. Tibi, inquam. DA. Modo in has ades introivi. SI. Quasi a te quæram, quam dudum introiveris. DA. Modo introivi

//////////

al. ad, al. tempus. Perl.—5 Gu. 1 Eho, noster Ch. Both. qui dat Hem pro Ehem. 'Gnelf. 1. Ehem. Script. Eh hem.' Perl.—6 R. τδ jam deest. Lind.—7 Varie autem hæc leguntur. Leid. unus, is enimvero hinc nunc abest. Tr. Bene: hic enimvero hinc nunc abest. M. id enimvero hinc nunc abest. Videtur præferenda lectio, quam edidi. West. Id enimv. hinc non abest G. Id. in Add. Omnes fere l. s. et Do. habent hinc nunc abest: item Eug. Fu. Tres ex nostris, is enimvero: unus hic nunc. Frustra. Bent. Is enimvero R. Lind. Hic GC. sine apice. Hinc var. in edd. hic, hinc. Perl. Is pro id Gnelf. 1. Accerse Br. Bent.—8 Responde M. G. Responde mihi EM. West. Do. 'Etiam tu hoc respondes? Deest, Annon.' Qui hoc annotavit, legit respondes. Sequitur: 'Etiam,' aut adhortatio est, aut conjunctio.' Qui hoc, legit responde, ut nostri codices præter unum universi. Bent. Responde, quid Br. GM. Bent. Both.—9 CCC. introivi. Lege, Mihi? Tibi ergo. Modo ego introivi. Bent. Quam dudum il rogem V. C. Lind. Quam dudum: J. et cod. Vnetus te. Perl.

NOTÆ

4 Omnis res est jam in vado] Vada sunt fluminum loca minus profunda, in quibus periclitandi nullus est metus. Proverbium est significans rem extra periculum esse, quale est istud: In portu navigo.

5 O salve, bone vir] Ironica saluatio.

6 Curasti probe] Approbatio ironica irati Simonis.

7 Bene sane] Persistit in ironia.

Id enimvero hinc nunc abest] Alii legunt, hic. Si hæc lectio locum habet, talis erit sensus: Nam certe propterea hic, nempe Pamphilus, abest, quia abhorret a nuptiis, nec vult eas perfici.

8 Etiam tu hoc respondes] Etiam tu hæc verba respondere audes? scilicet: 'Omnia jam apparatus sunt intus. Ubi voles, accerse: tu qui nuptias dolis tuis impedis et disturbas?'

DA Cum tuo gnato una. SI. Anne 'st intus Pamphilus?
crucior miser. 10

Eho, non tu dixisti esse inter eos inimicitias, carnufex?

DA. Sunt. SI. Cur igitur hic est? CH. Quid illum censes? cum illa litigat.

DA. Immo vero indignum, Chremes, jam facinus faxo ex me audias.

Nescio qui senex modo venit, ellum, confidens, catus.

Cum faciem videas, videtur esse quantivis pretii. 15

Tristis severitas inest in voltu, atque in verbis fides.

SI. Quidnam apportas? DA. Nihil equidem, nisi quod illum audivi dicere.

SI. Quid ait tandem? DA. Glycerium se scire civem esse Atticam.

cum tuo filio. SI. Anne est intus hic Pamphilus? Crucior miser animi. Eho, annon tu dixisti, carnufex, esse inter eos inimicitias? DA. Sunt. SI. Cur igitur Pamphilus est in domo Glycerii? CH. Propter quid illum esse censes? cum illa nempe litigat. DA. Immo vero, o Chreme, indignum facinus ex me audies. Nescio quis senex modo advenit, (ecce illum in hac domo,) confidens, catus: cum vultum ejus quis conspiciat, videtur quocumque pretio dignus esse. Tristis et severa gravitas inest in facie, et in verbis fidei sinceritas apparet. SI. Quid de illo apportas novi? DA. Nihil equidem, nisi quod audivi illum dicere. SI. Quid ait tandem? DA. Ait se scire Glycerium esse civem Atticam. SI. Hem, Dromo,

//////////

Modo ego introivi Both. Ita mittunt in superiorem versum Bent. Both. Perl. Tibi, non Ita, Gueff. 2. Jam ante 'quam dudum' habet Br.—11 Eus Br. Notat Bruns: 'Edit. eos melius: ut in scena præcedenti facturos probavi.'—13 Lege Chreme cum uno ex nostris; et cum quatuor audies. Bent. O here pro Chremes dat Both. qui cum Perl. legit audies.—14 Mss. quidam et editorum vetustissimi, quis senex. Testatur Is. Vossius in glossis Mss. libros antiquiores impressos habere catus. Certe ita habet EV. 1. Lugdunensis 1511. aliæ: sed et ita est in M. West. Quis senex G. ET. EM. Id. in Add. In Decur-tato est Nescio qui. Fa. Unus quoque e nostris, Nescio qui: et Nonius v. 'Confidens.' Bent. Cautus GM. et sup. script. callidus. Perl. Quis exhibent Br. Z.—15 Vid. quant. pr. Ms. Lind.—17 Nil quidem, nisi quod eum Both. Novi post equidem Gueff. 2.—18 Ex vetustioribus libb. et Donato, versusque ratione lege, civem esse. Fa. Ita et nostri omnes. Bent. GM. colloc. Quid

NOTE

9 Quasi ego, quam dudum, rogem] cit Davum mendacii.

De negotio interrogatur, de tempore 14 Ellum] Pro, ecce illum, anti-respondet Davus. quum est.

11 Eho, non tu dixisti] Sino convin-

SI. Hem, Dromo, Dromo. DA. Quid est? SI. Dromo.

DA. Audi. SI. Verbum si addideris. Dromo.

DA. Audi, obsecro. DR. Quid vis? SI. Sublimem hunc
intro rape, quantum potes. 20

DR. Quem? SI. Davom. DA. Quamobrem? SI. Quia
lubet: rape, inquam. DA. Quid feci? SI. Rape.

DA. Si quicquam invenies me mentitum, occidito. SI. Ni-
hil audio.

Ego jam te commotum reddam. DA. Tamen etsi hoc ve-
rum est? SI. Tamen.

Cura asservandum vinctum: atque audin'? quadrupedem
constringito.

*Dromo. DA. Quid est? SI. Dromo. DA. Audi. SI. Si verbum quidem unum
præterea addideris, periisti. Dromo! DA. Audi, obsecro. DR. Quid vis? SI.
Sublimem in ædes rape quam celerrime. DR. Quem vis rapiam? SI. Davom.
DA. Quamobrem? SI. Quia ita mihi placet. Rape, inquam, lorarie Dromo.
DA. Quid feci? SI. Rape. DA. Si quicquam mendacii me dixisse invenies,
occidito. SI. Ego nihil audio. Ego te plagis quatiam, ut merearis. DA. Tametsi
vera dixerim, me rapi ad supplicium jubes? SI. Jubeo. Dromo, custodi eum in
vinculis ne aufugiat: atque, audisne? manibus pedibusque sicut feram constringito,*

//////////

*tand. ait. Perl. Gl. esse civem scire se Atticam Both.—19 Ut sæpe antea, ap-
pone 'Hem' ad finem prioris versus. Bent. Accedunt Both. Perl.—20 Audi.
GM. præmittit Illud. Perl.—21 DRO. ante 'Quamobrem' Br. in litura:
forte antea DAV. censente Bruns.—22 'Nihil audio.' Bodl. hæc Dromoni
tribuit; sequentia vero, 'Ego,' &c. Simoni. West. Si quicquam mentitum
invenies. Antiqui libri, Si quicquam invenies me mentitum. Alii eandem col-
locationem verborum habent, sine me; alii, et cum iis Donatus, Si quicquam
invenies mentitum me. Fa. Nostri omnes, me mentitum. Bent.—23 Ego, &c.
Non hæc Dromoni dicta, quasi cunctanti Davum rapere, sed ipsi Davo, qui
rerum omnium securus, 'Animo jam nunc otioso esse impero,' dixerat, nunc
præceps in pistrinum dandus, ibique se moturus. Quanto ineptior est lectio
Guyeti: Ego jam te contum. West. Existimat Wiel. hæc dicta esse Dro-
moni, additque: Qui potuit moveri constrictus quadrupes? Sed quid si, in-
terdiu molam versans, noctu quadrupes constrictus et asservatus sit? Possit
et τὸ commotum ad animum referri. Id. in Add. Tametsi hoc verum est? Tu
tamen. Omnes fere l. s. et in his antiquiores, Tamen et si. Quod vero sequi-
tur, Tu tamen, omnes libri habent Tamen tu. Solus V. non habet vocem tu,
quæ etiam versui incommodat. Itaque delenda est, et distinguendum est
post Tamen. Fa. Veterimus noster Tamen: neque agnoscit tu. Bentleius.
DA. Tamen etsi hoc verum 'st? SI. Tamen. Ita legendum vulgo nunc con-
tendunt Eruditi. Fa. vero testatur, o. Libros s. legere, SI. Tamen tu. Sus-
picabar, Terentium scripsisse, SI. Tantum, unde natum fuerit, Tamen tu.
Sed et edd. quædam antiquissimæ legunt, Tantum Tu cura ass. vinctum. Aliæ,
Tu tamen cura ass. vinctum. Tr. Tam tu cura ass. vinctum. Leidensium unus
post illa, Tamen ctsi hoc verum est? statim subjungit, SI. Cura ass. vinctum.
Alter vero, SI. Tamen tu cura: quadrupedem constringito. West. In vett.
libb. tamenetsi hoc verum est. SI. Audin? quadrupedem. Lind. Distinguendum*

Age nunc jam, ego pol hodie, si vivo, tibi 25
 Ostendam, herum quid sit periculi fallere, et
 Illi, patrem. CH. Ah, ne sævi tantopere. SI. O Chreme,
 Pietatem gnati! nonne te miseret mei?
 Tantum laborem capere ob talem filium?
 Age, Pamphile; exi, Pamphile: ecquid te pudet? 30

ut terra se movere non possit. Age nunc; jam ego, pol, hodie, si vivo, te docebo, quam periculosum sit herum servum fallere, et Pamphilum, patrem. CH. Ah ne adeo sæve te geras. SI. Chreme, specta pietatem filii mei in patrem. An non mei misereris, quod tantus ærumnas patiar ob talem filium? Age, Pamphile; exi, Pamphile. An non pudore ullo afficeris?

post *Tamen* Fa. recte judicat. *Perl.* Nec interrogat Z. post 'est,' nec distinguit post *Tamen*. *Tametsi* Br. nec pungit post *Tamen*. Testatur *Perl.* tu ante 'Cura' habere *Guelf.* 3. et *Tamen* tu cura habere 1.—25 *Tibi, Dave* G. ET. EM. *West.* *Davo* post 'tibi' *Guelf.* 1. *Perl.* A. nunc. *Jam ego* Br.—26 *Lege* commodiore ordine: *quid herum.* *Bent.* Sic ordinat et *Perl.* *Herum quid sit periculi ostendam fallere* *Both.* 'Et' mittunt *Bent.* Z. *Both.* in vs. 27.—27 *Ha, sævi ne tanto opere* *Bodl. West. Chreme.* Omnes fere l. s. O *Chreme*: et sane majorem emphasin habet. *Fa.* Ita omnes nostri, duobus exceptis. *Bent.* In Br. forte primo fuisse *sævias* censet *Bruns.*—28 *Vnlgo* post 'gnati' interpungitur, minus bene. *Both.*—30 *Te* omittit *Perl.* et id habere *GM.* notat. *Et quis te* dat Br.

NOTÆ

27 O *Chreme, Pietatem nati*] Sub- 30 *Ecquid te pudet*] Sub. decipere
 audi, specta. Ironia est. patrem.

ACTUS V. SCENA III.

PAMPHILUS. SIMO. CHREMES.

PA. QUIS me volt? perii: pater est. SI. Quid ais, omnium? CH. Ah,
 Rem potius ipsam dic, ac mitte male loqui.

PA. Quis me appellat? Pater est. SI. Quid ais, omnium deterrime? CH. Ah, rem potius ipsam narra, ac cessa maledicere. SI. Quasi quicquam acerbius,

1 *Omnium.* *GM.* *sceleratissime*, et sup. script. *nequissime*: quod id. pro glossa est in Br. Sed aposiopesin hanc esse *Do.* ait: nec in ullo cod. vel ed. sequitur quicquam post 'omnium.' Inde lect. illa merito suspecta. *Perl.*—

Si. Quasi quicquam in hunc jam gravius dici possiet.
 Ain' tandem? civis Glycerium 'st? PA. Ita prædicant.
 Si. Ita prædicant? o ingentem confidentiam! 5
 Num cogitat quid dicat? num facti piget?
 Num ejus color pudoris signum usquam indicat?
 Adeon' impotenti esse animo, ut præter civium
 Morem atque legem, et sui voluntatem patris,
 Tamen hanc habere studeat cum summo probro? 10
 PA. Me miserum! Si. Hem! modone id demum sensi,
 Pamphile?
 Olim istuc, olim, cum ita animum induxti tuum,
 Quod cuperes, aliquo pacto efficiendum tibi;

quam meretur, in hunc dici possit. Tunc tandem ais Glycerium esse civem Atticam?
 PA. Ita dicunt. Si. Itane dicunt? o insignem audaciam! Num cogitat quid
 debeat dicere? Num facti pœnitet? Vide, num ejus color pudoris aliquod signum
 demonstrat in toto vultu? adeone impotenti est animo adversus cupiditates suas, ut
 contra civitatis consuetudinem et legem, suique patris voluntatem, tamen hanc habere
 studeat cum summo dedecore atque ignominia? PA. Me miserum! Si. Modone
 id tandem sensisti; te esse miserum? Olim, istud olim tunc sentire debuisti, cum
 decrevisti aliquo modo exequi, quod cuperes: eodem die istud verbum vere tibi



4 Ha pro Ain Guelf. 2.—6 Alias pudet. Er. Sic Guelf. 2.—7 Vide num. Do.
 legit sine Vide. Fa. Num ejus. Omnes ubique codices: Vide num. Nempe
 viderunt aliquid versui deesse. Lego: Numnam ejus. Bent. Num color enim
 pudoris Both. qui notat: 'C sequente vs. Adeon' enim. Hoc enim hinc, ni fal-
 lor, excidit.' Vide num habet Br. Vide non Guelf. 2.—8 Adeo impotente. O. l.
 s. Adeon; quam tamen dictionem oportebit per synizesin contrahere. Fa.
 Apage Synizesin istam Adon: Legendum Adeo inpotenti. Bent.—10 R. Tamen
 habere cupiat cum s. p. Lind. Pro studeat in ed. Sandhyensi legitur cupiat;
 quod sane Simoni irato aptius videtur. Zeun. Cupiat et Br.—11 Hem, mo-
 done est in editis vetustissimis. Et videtur appositum. Pro sensi Mss. qui-
 dam et editi sensisti legunt. West. Modone. O. l. s. quotquot vidi, habent,
 Hem, mod. Fa. Sic et nostri omnes. Bent. Omittit Hem Br. et dat sensisti.

NOTÆ

7 Num ejus color] Pudoris color est citur.
 rubor in facie, sicut timoris pallor: Præter civium Morem atque legem]
 unde Latinis 'erubescere' est, pude- Lex erat Athenis a Pericle lata, de
 fieri, pudore suffundi. Græcis ἐρυ- qua meminit Plutarchus in ejus Vita;
 θριῶν, rubescere, idem est ac, pu- quæ vetabat connubia cum peregrini-
 dere. nis jungere, ut, si quis non ex duo-
 8 Impotenti animo] Impotens dicitur, bus Atheniensibus nasceretur, no-
 tur, qui suis cupiditatibus impe- thus esset, planeque expers omnium
 rare non potest. Græcis ἀκρατής di- honorum magistratumque,

Eodem die istuc verbum vere in te accidit.
 Sed quid ego? cur me excrucio? cur me macero? 15
 Cur meam senectutem hujus sollicito amentia? an
 Ut pro hujus peccatis ego supplicium sufferam?
 Immo habeat: valeat: vivat cum illa. PA. Mi pater.
 SI. Quid, mi pater? quasi tu hujus indigeas patris.
 Domus, uxor, liberi inventi invito patre. 20
 Adducti, qui illam civem hinc dicant: viceris.
 PA. Pater, licetne pauca? SI. Quid dices mihi?
 CH. Tamen, Simo, audi. SI. Ego audiam? quid audiam,
 Chreme? CH. At tandem dicat sine. SI. Age dicat, sino.
 PA. Ego me amare hanc, fateor: si id peccare 'st, fateor id
 quoque. 25

reipsa convenire cepit. Sed quid ago? Cur me torqueo? Cur me tristitia conficio? Cur meam senectutem propter ejus amentiam sollicitudine et cura vexo? an ut pro ejus flagitiis pœnas solvam? immo habeat potius hanc peregrinum, a me discedat, vivat cum illa. PA. Mi pater. SI. Quid mi pater? quasi tu indigeas hoc patre, quem compellas. Domus, uxor, liberi tibi inventi sunt contra patris voluntatem: suppositi sunt, qui Glycerium illam hujus urbis civem esse affirmant. Vicisti, cedo adversanti. PA. Pater, licetne pauca loqui? SI. Quid mihi dices? CH. Attamen, Simo, audi. SI. Quid ego audiam, Chreme? CH. Attamen permitte ut dicat pro se. SI. Age, ut dicat permitto. PA. Ego fateor me amare Glycerium. Si id peccare est, fateor quoque me peccare. Pater, tua potestati me committo.

—————
 —14 Eodem die. Nuncne demum J. et Venetas cod. Perl.—15 F. F. legit, *Sed quid ago?* quam lect. laudat Guy. Et sane est se ipsum corripientis. Sed et in antiquis quibusdam editis est, *Sed quid ago?* West. Ago ET. Me autem cur excrucio G. Id. in Add. Cod. Academicus: *Sed quid ego me autem? cur excrucio?* Lege, *Sed quid ego me autem excrucio?* Bent. Sic dat Both.—16 An collocant in vs. inferiori Bent. Z. Perl. Both. Ad vs. 17. sic notat Perlet: 'An' incipit ap. Lind. hunc vs.: finit ap. Mur. priorem.—17 Bodl. Ut non agnoscit. West. An p. h. p. e. s. ut sufferam Both. Ut abesse a Guelf. 1. 2. notat Perl.—20 Guelf. 2. ad 'inventi' leg. sunt. Perl.—21 Adductis Guelf. 3.—22 Ne 2. licet 1.—23. 24 Attam. S. auli. E. audiam? Q. ego aud. Ch. Attamen d. s. Bem. qui hic fere incipit posse legi, nam reliquum Andriæ vetustate corrosus est, habet Tamen, Simo, audi: ut et Bas. quod numero magis servit. Habet etiam Bem. Quid audiam, Chremes? sine geminatione pronominis, ego, ut et Vi. et pro Attamen dicat, hic et V. et nonnulli alii, præsertim antiqui, Attandem dicat. Sine Bem. non habet, nisi superadditum. Faïrnus. Tam. S. audi. Ego audiam? quid audiam, Chreme? At tandem d. s. Sic dedit Fa. Tamen Simo, nostri omnes; et, uno excepto, quid ego audiam: Tres ex veterioribus At tandem. Lege, Tam S. audi. Egon audiam? quid ego audiam, Chreme? At tamen d. s. Attandem duplici ictu plane invenustum. Bent. Tandem, Simo R. Lind. Benteleio accedit Perl. et sic Both. nisi quod Tandem, Simo legit, notatque: 'Vulgo Tamen, omisso At. Sequimur A et C. Lectionem spernit immerito Bent.' At tandem pro Tamen, et Audiam ego? legere Guelf. 2. monet Perl. ut et Guelf. 3. legere illum post 'audi.' Quid

Tibi, pater, me dedo : quidvis oneris impone, impera.
Vis me uxorem ducere? hanc vis amittere? ut potero,
feram.

Hoc modo te obsecro, ut ne credas a me allegatum hunc
senem.

Sine me expurgem, atque illum huc coram adducam.
SI. Adducas! PA. Sine, pater.

CH. Æquum postulat : da veniam. PA. Sine te hoc ex-
orem. SI. Sino. 30

Quidvis cupio, dum ne ab hoc me falli comperiar, Chremes.

CH. Pro peccato magno paulum supplicii satis est patri.

Quidvis oneris impone. Impera. Vis me uxorem ducere? Vis me Glycerium dimittere? Id quod vis, ut potero, feram. Hoc tantummodo te vehementer oro, ut ne credas hunc a me summissum senem Critonem, qui hanc civem Atticam esse ait. Permite ut ab hac culpa me purgem, atque illum coram vobis huc adducam. SI. Tu adducas! PA. Permite id mihi, pater. CH. Æqua est ejus postulatio. Da illi facultatem hoc faciendi. PA. Sine, ut hoc a te impetrem. SI. Sino. Quidvis concedere cupio; dummodo ab hoc me falli non comperiam, Chreme. CH. Pro gravi culpa, levissima pœna filii satisfacit patri.



ego audiam? et At tamen pro At tandem dat Br.—27 Hanc superest : uisi legas uxorem hanc. Er. Ex 'vis' elidendum est s, ut sit Trochaicus : expeditius tamen mihi videretur, si legeretur mittere. Fa. Recte Fa. ex conj. mittere. At alius retinet illud amittere, et innocentem voculam vis e textu relegat : Vis me uxorem ducere, hanc amittere? Perperam omnino. Bent. Mittere dant Both. Perl. In Guelf. 2. distinguitur : duc. hanc?—29 Adducas? Bent. per sign. effert interrog. recte : sed Lind. per exclamandi not. minus convenienter. Perl. Interrogat et Both.—30 Ut pro hoc Guelf. 3. Et hoc et illud omittit Br.—31 Chreme Br. Bent. Z. Both. Perl.—32 Paululum. Aliqui recentes libri habent paulum, ut et exigit versus : omnes tamen antiqui et Do. paululum. Item Eng. Fa. Quæ tanta indoctorum Librariorum reverentia est? Si paulum, ut spondæus pronuntietur, cur scribamus paululum? Bent. Paululum Br. Z. Sed hic sæpe discrepat inter libros.

NOTE

27 *Ut potero, feram*] An possit ferre, dubium patri relinquit.

31 *Comperiar*] 'Ab hoc me falli,' utrom a Pamphilo an a Critone intelligendum sit, quis dubitet : sed de Pamphilo dictum esse opinor. 'Comperiar' pro, comperiam, positum esse censet Muretus : ut apud Ciceronem in Miloniana 'punior' pro, punio. Sed non passivum pro activo sumi ; verum deponens esse verbum 'com-

perior' dicendum est, cum etiam Sallustius in Jugurth. in activa significatione hoc verbo utatur : 'Sed ego comperior Bocchum magis Punica fide, quam ob ea, quæ prædicabat ; simul et Romanos et Numidam spe pacis detinuisse.' Hæc sunt verba Sall.

32 *Paulum supplicii*] Supplicium illud est accusatio Simonis, adversus filium Pamphilum. Supplicium etiam

NOTÆ

est supplicatio. Sall. in Catil. 'In suppliciis Deorum magnifici, domi parci, in amicos fideles erant.' Ibidem: 'Non votis, neque suppliciis muliebribus auxilia Deorum parantur.' Sic Livius lib. VII. de bello Pu-

nico. Tacitus lib. III. Ann. in hac significatione. Sensus hujus loci hanc interpretationem recipit: Pro peccato magno parva supplicatio filii patrem iratum facile placat.

ACTUS V. SCENA IV.

CRITO. CHREMES. SIMO. PAMPHILUS.

CR. MITTE orare: una harum quævis causa me, ut faciam, monet:

Vel tu, vel quod verum est, vel quod ipsi cupio Glycerio.

CH. Andrium ego Critonem video? certe is est. CR. Salvos sis, Chreme.

CH. Quid tu Athenas, insolens? CR. Evenit. Sed hincine 'st Simo?

CR. *Desine me orare. Una quævis harum trium causarum satis me adducit, ut meo testimonio confirmem, Glycerium esse civem Atticam. Vel tui ratio, vel ipsa veritas, vel quod bene opto ipsi Glycerio.* CH. *Nonne Critonem Andrium video? Et certe is est. Salve, Crito. Quid tu Athenas præter solitum venisti?* CR. *Casu id contigit. Sed nonne hic, quem intueor, Simo est?* CH. *Hic est. Si*

3 Manifestus mihi error videtur hoc in l. Malim igitur ita ordinare: CH. *Andrium ego Critonem video? certe is est. Crito, salvos sis. Quid tu Athenas insolens?* CR. *Evenit.* Sed et ita Do. legisse conjicias ex ejus verbis. West. *Is detrahit Er. Ego post eam interrogationem, And. e. Cr. video? et certe subjici non puto commode. Ecere, non et certe puto scripsisse Terentium. Ecere adverbium est jurandi. Gov. Lege is certe est. Bent. Accedunt Both.*

NOTÆ

4 *Quid tu Athenas, insolens*] 'Insolens,' est præter solitum et consuetudinem tuam. Hic 'insolens' active sumitur, ut sæpissime solet sumi. Plant. in Amph. 'Si dixero mendacium, solens meo more fecero.' Sic idem in Truc. Sall. 'Insolens vera accipiendi.' Sed et passive sumitur. Horat. III. Carm. Od. 29. 'Fortuna sævo læta negotio Ludum insolentem ludere pertinax.' Gell. lib. I. Noct.

&c. 'Atque id, quod a Cæsare, excellentis ingenii viro, in primo de Analogia scriptum est, habe semper in memoria atque pectore; ut tanquam scopulum fugias inauditum atque insolens verbum.' Verum non jungitur cum infinitivo passivo; ut 'insolitus' et 'solitus.' Neque enim dicas 'solens est hoc fieri,' ut 'solitum est hoc fieri.' At τὸ 'solitus' in utraque significatione usitatum est.

CH. Hic. SI. Men' quæris? eho tu Glycerium hinc civem esse ais? 5

CR. Tu negas? SI. Itane huc paratus advenis? CR. Qua de re? SI. Rogas?

Tunc impune hæc facias? tunc hic homines adolescentulos, Imperitos rerum, eductos libere, in fraudem illicis?

Solicitando et pollicitando eorum animos lactas? CR. Sa- nusne es?

SI. Ac meretricios amores nuptiis conglutinas? 10

PA. Perii! metuo, ut substet hospes. CH. Si, Simo, hunc noris satis,

Non ita arbitrare: bonus est hic vir. SI. Hic vir sit bonus?

Itane attemperate venit hodie in ipsis nuptiis, Ut veniret antehac nunquam? est vero huic credendum, Chreme?

Mene quæris? Eho, tunc Glycerium civem hujus urbis esse ais? CR. An tu negas? SI. Itane tu subornatus huc advenis? CR. Quare hæc dicis? SI. Quærisne? An impune hoc facere tibi licebit? Tunc hic homines adolescentulos nulla experientia rerum instructos, ingenue atque honeste educatos, in fraudem inducis? Incitando et promittendo illicis eorum animos? CR. Num apud te es? SI. Ac meretricios amores nuptiis confirmas et consolidas? PA. Perii: metuo ut hospes Crito firmus contra patrem subsistat. CH. Simo, si satis hunc virum noveris, non ita de illo censeas, ut facis. Bonus hic vir est. SI. Hic vir sit bonus? Itane præsto est, in ipso tempore nuptiarum composito veniens, cum nunquam antehac venerit? An vero huic credendum est, Chreme? PA. Nisi patrem metuum, scio,

~~~~~

Perl. Certe post ego Guelf. 3.—5 Codices scripti ita fere habent, Hic. Simo. Men' quæris? At duo ex melioribus, Hic. SIM. Simo men' quæris? unde facilis emendatio est: Hic. CR. Simo, men quæris? SI. Eho, tu Glyc. Bent. In Ed. Sandby. est Hic est. Zeun. Sic Guelf. 2. Bentleium sequuntur Both. Perl.—6 Quare. O. l. s. Qua de re. Fa. Lege cum duobus Nostri, Qua re? Bent. Mandato obediunt Both. Perl.—7 Hoc facias? Antiqui libri hæc facias? quod et invidiosius est. Fa. Sic et nostri; et in expositione Donatus. Bent. Tunc imp. h. fac. absunt a Guelf. 2.—8. 9 In fr. illius, Solicitando et pollicitando eorum animos lactans: sic dedit Fa. Lactans pro lactas, ut codices omnes habent et Eutyches p. 2185. Erratum, ut credo, Typographi est: quod tamen virum eruditum in fraudem illicis. Ceterum distinctio prava est, quæ sic corrigetur: In fraudem illicis Solicitando, et pollicitando eorum animos lactas? Divide ista, non conjunge. Porro Sanus es? edidimus; non literis supervacuis, Sanusne es? Bent. Jactas Bodl. West. In interpungendo sequitur Bentleium Perl. qui dat Sanus es? Sanus es dat Both. Jactas Br. Lectio codicis, ait Bruns, occurrit in nota Eugraphii.—10 An pro Ac Br. Meretriculos Guelf. 2.—12 Hic est. O. l. s. est hic; et Donatus. Fa. Sic et nostri omnes. Bent. Arbitrare Br.—13. 14 Lege, et distingue: Itane attemperate evenit, hodie in ipsis nuptiis Ut veniret, antehac nun-

PA. Ni metuam patrem, habeo pro illa re illum quod moneam probe. 15

SI. Sycophanta. CR. Hem! CH. Sic, Crito, est hic: mitte. CR. Videat qui siet.

Si mihi pergit, quæ volt, dicere; ea, quæ non volt, audiet. Ego istæc moveo, aut curo? non tu tuum malum æquo animo feres?

Nam, ego quæ dico, vera an falsa audieris, jam sciri potest. Atticus quidam olim navi fracta apud Andrum ejectus est, 20

Et isthæc una parva virgo: tum ille egens forte applicat Primum ad Chrysidis patrem se. SI. Fabulam inceptat. CH. Sine.

CR. Itane vero obturbat? CH. Perge. CR. Tum is mihi cognatus fuit,

*quid commode Critoni in memoriam reducam, pro illa re quam objicit pater. SI. Calumniator. CR. Hem, mene vocari calumniatorem patiar? CH. Sic a natura factus est Simo, vehementis et iracundus. Hunc omitte et sperne. CR. Viderit qualis ipse sit. Si perseveret quæ vult probra et convicia dicere, ea quæ non vult invitus audiet. Egone has de nuptiis turbas excito, aut fieri curo? nonne malum, quod propter filium tibi accidit, te patienter ferre oportet, non aliis imputare? Nam de his, quæ dixi, jam sciri potest, utrum vera, an falsa sint ea, quæ a me audivisti. Quidam Atheniensis naufragio facto ad Andrum ejectus est, atque una ista, parva tunc, virgo: tum ille egenus omnium rerum forte se recipit et applicat ad Chrysidis patrem. SI. Fabulam incipit narrare. CH. Sine eum loqui. CR. Itane mihi interrumpit sermonem? CH. Perge. CR. Is, qui tunc eum hospitio exce-*

//////////

*quam? est vero huic credendum, Chreme. Exenit, plurimi ex nostris: Noli cum Fa. per interrogationem efferre, est vero huic credendum? Longe melius est per Ironiam. Bent. R. Ita attemp. Lind. Bentleium omnino sequitur Perl. Both. quoque, excepto quod interrogat post 'Chreme.' Exenit dat Br. Attentate pro attemp. Guelf. 1. A Guelf. 2. abest hodie. Idem Ms. exhibet ergo pro vero.—17 Perget EP. West. Omnes præter nnum nostri perget; et sic Edd. vett. Recte. Neque aliter, credo, ipse Faërnus; sed eo deventum est, ut vel menda Typographica pro Bembinis thesauris accipiantur. Bent. Mihi si perget Both. Perget Br.—18 Omnis vis est in τῶ Ego, quam vocem nimia licentia rejicit Guy. West. Metuo Mss. Moneo al. Lind. Non tu tua, malum, an. æq. feres Both. Tu abest a Guelf. 3.—19 Mss. quidam et editi vetustiores, in quibus Junt. exhibent dixi. Neque videntur satis apte coherere præsens dico et præteritum audieris. Faërnus tamen placet τὸ dico. Si quis pertinacius defendat τὸ dico, non intercedo, modo cum Bem. simul legatur audierim. West. Dico apud solum Bem. est. Audierim, etiam CCC. quod postea interpolatum audieris. Atqui recte habuit a manu prima, audierim, ex Phania scilicet. Bent. Audierim Perl. quod forte malum sensum non habet, iudice Fa. Dixi Br. Guelf. 2.—20 Apud Andrum. Ita edidi ex Mss. quibusdam, et præstantissimis editis; sed et Prisciano auctore, Inst. Gramm. lib. VII. Alii, ad. West. Nostri omnes apud. Sed recte Bem.*

Qui eum recepit. Ibi ego audiui ex illo, sese esse Atticum.

Is ibi mortuus est. CH. Ejus nomen? CR. Nomen tam cito tibi? Phania. 25

CH. Hem, perii. CR. Verum hercle opinor fuisse Phaniam: hoc certe scio,

Rhamnusium se aiebat esse. CH. O Jupiter! CR. Eadem hæc, Chreme,

Multi alii in Andro tum audivere. CH. Utinam id sit, quod spero. Eho, dic mihi,

Quid eam tum? suamne esse aiebat? CR. Non. CH. Cujam igitur? CR. Fratris filiam.

*pit, mihi cognatus fuit. Ibi ego audiui ex illo sese esse Atticum. Is in Andro mortuus est. CH. Quod fuit ejus nomen? CR. An tam cito tibi nomen ejus edi cupis? Phania nomen fuit, ut puto. CH. Hem perii. CR. Verum hercle, opinor, Phaniam illi nomen fuisse. Hoc certo scio; Rhamnusium se aiebat esse. CH. O Jupiter! CR. Eadem hæc, Chreme, multi alii in Andro tunc audiverunt. CH. Utinam id sit, quod spero. Eho dic mihi, Crito, quid Glycerium parvulam tunc sibi esse dicebat? Suamne filiam dicebat esse? CR. Non. CH. Cujusnam igitur? CR. Fratris eam esse filium dicebat. CH. Certe mea est. CR. Quid ais?*

~~~~~

ad. Bent. Ad Both. Perl. Nave Br. Guelf. 3.—22 Chr. se ad patrem primo Both.—23 Locus si, ut interpp. volunt, accipiatur, ut 'vero' adverbium sit, sintque hæc inter se distincta, Itane vero? obturbat, corruptum esse locum asseveratione omni confirmo. Quod si vero nomen sit casu dandi, referaturque ad verbum 'obturbat,' obturbare vero erit, veritati obstrepere. Gov. Corrige Perge tu. CR. Is mihi. Bent. Sequuntur Both. Perl.—24 Ex illo, civem esse Atticum Both. qui notat: 'Vulgo ex illo, sese esse Att. sed B C Gu. 1. civem esse Atticum, Hel. Att. civem. Recte.'—25 Solicitat hanc distinctionem Guy. legitque: Nomen? tam cito tibi: Phania. Maneat vetus distinctio. West. Donatus: 'Phania.' Hoc ita dixit Crito, ut nemo audiret: scilicet adhuc dubitans, an ipse sit.' Falsum hoc: quippe, si nemo audiebat, qui factum est, ut statim subinferret 'Hem' et 'Perii?' Donatus iterum: 'Hem:' sunt qui putant Simonem 'Hem' dicere, irascentem filio Critonem submonenti.' Hinc patet, olim fuisse qui illud 'Phania' Pamphilo tribuerent, non Critoni. Recte; unde sic legendum: Nomen tam cito? PA. Phania. CH. Hem. Ejecimus tibi, quod abest a R. et CCC. et in altero 900. annorum a manu secunda est post rasuram; ut jure quis suspicetur PAM. fuisse erasum, et interpolatum tibi. Bent. Sic Br. legit: Nomen: jam cito tibi? Phania. Sic Bothius: Nomen? Tam cito. Phania. Dat Ejus nomen dic Guelf. 3.—26 'Hem' rejiciunt in vs. 27. Bent. Both. Certe Br.—27 Sese aibat lege. Bent. Sese dat Perl.—28 Ejice tum, quod nec in Pet.

NOTÆ

27 *Rhamnusium*] Rhamnusius a id Rhamnusia dicta est), ejusque simulacrum marmoreum factum a Phidia nobili statuario, altum decem ulnas.

CH. Certe mea 'st. CR. Quid ais? SI. Quid tu ais? PA.
 Arrige aures, Pamphile. 30
 SI. Qui credis? CH. Phania ille, frater meus fuit. SI.
 Noram, et scio.
 CH. Is hinc, bellum fugiens, meque in Asiam persequens,
 proficiscitur.
 Tum illam relinquere hic est veritus; postilla nunc primum
 audio,
 Quid illo sit factum. PA. Vix sum apud me, ita animus
 commotus est metu,
 Spe, gaudio, mirando hoc tanto, tam repentino bono. 35

SI. Quid tu ais? PA. Arrige aures, Pamphile. SI. Quomodo his verbis tam facile credis? CH. Phania ille frater meus fuit. SI. Novum cum, et scio ipsum fratrem tuum fuisse. CH. Is, bellorum motus fugiens, hinc in Asiam proficiscitur me quaesiturus. Tunc illum parvulam hic Athenis relinquere est veritus. Post illa tempora, nunc primum audio, quid de illo factum fuit. PA. Vix mentis compos sum; ita metu agitated sum amittendæ Glycerii, spe ipsius habendæ, gaudio quod sit civis Attica: dum miror hoc tantum tanque insperatum bonum. SI.

est. Bent. Tum delent Both. Perl. qui notat Guelf. 1. 2. dare tum. Heo pro eho Br.—29 D ex Quid abjici vult Fa. Succurrendum erat alia via; aibat scilicet pro aiebat; ut passim. Bent. Quid eam tum esse aiebat? suamne Both.—30 Guy. mallet ita: Certe mea 'st. SI. Quid ais? CH. Tu quid ais? arrige aures, Pamphile. Mihi aliter videtur. Esto ex Mss. et editorum varietate, hic ordo et sensus: Certe mea est. CR. Quid ais tu? quid ais? Arrige aures, Pamphile. West. Sic legit Bothius: Certe mea est. PA. Quid ais? SI. Quid tu autem? PA. Ehem, arrige aures, P. notatque C dare Tu ais hem.—31 Illic Bent. secund. Fa. Vulg. ille. Perl. qui illud dat.—32 Leve est, quod moneo, nec tamen ad perspicuitatem sensus omnino contemnendum, κόμματος signum me posuisse post vocem 'hinc,' contra quam fieri video in omnibus, quos magno numero vidi, editis libris. West. Br. et Z. non pun- gunt post 'hinc.' 'Is' rejicit Both. in vs. 31.—33 Hic relinquere. Nullus est liber, qui ita collocet; sed omnes in hunc modum: relinquere hic est veritus: postilla nunc primum audio. Sed versus impeditus est, nisi post illa in duas dictiones dividat, ita ut illa sit pyrrhichius. Fa. Male Fa. et eum secutus vir doctus dactylum faciunt ex postilla, quod tribus constat longis. Lege hic relinquere veritus est. Bent. Mirum est, si quis ultimam producat. Perl. Tum veritus hic relinquere eam est Both. Tempora post illa Guelf. 2. legere notat Perl. qui dat post illa.—34 Mss. quidam et editi: Quid de illo. West. De illa Guelf. 1. Est omittit Both.—35 Et tum Guelf. 1.—36 Sane istam multis

NOTÆ

29 Cujam igitur] Vetustum adjectivum per tria genera declinabile: id est, cujus.

30 Arrige aures, Pamphile] Metaphora ducta ab animalibus, quorum

plerique solent, si quando quid eminus audiant, aures surrigere. Aures erigimus, vel arrigimus, cum aliquid libenter audimus.

- SI. Næ istam multimodis tuam inveniri gaudeo. PA. Credo, pater.
- CH. At mihi unus scrupulus etiam restat; qui me male habet. PA. Dignus es
- Cum tua religione, odio: nodum in scirpo quæris. CR. Quid istuc est?
- CH. Nomen non convenit. CR. Fuit hercle huic aliud parvæ. CH. Quod, Crito?
- Numquid meministi? CR. Id quæro. PA. Egone hujus memoriam patiar meæ 40
- Voluptati obstare, cum egomet possim in hac re medicari mihi?

Certe istam Glycerium inventam esse tuam ex multis et certis argumentis vehementer gaudeo. PA. Credo, pater. CH. At mihi unum dubium etiam restat, quod me angit. PA. Dignus es odio, cum tua superstitioso anxietate. Tu in re minime dubiu occasionem dubitandi quæris. CR. Quid istud est? CH. Nomen, quo illam vocant, non convenit cum nomine filiae meæ. CR. Fuit hercle aliud ei nomen, dum parva erat. CH. Quod, Crito? Numquid meministi? CR. Id quæro. PA. Egone hujus fluxam memoriam patiar meæ voluptati moram injicere; cum ego possim ipse mihi remedium invenire? Non patiar. Heus, Chreme! quod no-



modis EP. [Br.] West. Ne istam multis tuam. O. libri antiqui et Do. multis modis, habent. Sed Bem. multimodis, quod ad verum optime quadrat. Fa. Turpe mendum jam diu hic insedit. Repone: Næ istam multimodis civem inventam gaudeo. Bent. Sane istam multis modis Vet. Cod. Lind. Multimodis junctum recte. Perl. Sic legit Bothius: Næ t. m. inveniri eam gaudeo. CH. Credo. PA. Pater...Sane pro Næ Gueif. 2.—37. 38 Dignus es Cum tua religione, odio. Integrum hunc versum Gay. expungi vult, tanquam ab interpolatore ortum. Verum cum et apposite dicantur, et Latinissime, et jam Donati ætate lecta sint, jure vindicantur Terentio, nisi quod Donatus legit odium. Quod si admittas, ita distinxerim: Dignus es Cum tua religione: odium. Nisi dignus odium scripsit Terentius, uti Phorm. III. 2. 34. 'Di tibi omnes id, quod es dignus, dunt.' West. Odium habet Bem. et V. quemadmodum et Do. legit. Fa. Noster quoque veterrimus odium: et sic Nonius, v. Religio, et Cleonius p. 1901. Bent. Odium legitur in membranarum optimis, non odio, ut edd. quædam habent. Vossius de Constructione c. 13. alique odium cum 'dignus' jungunt, ut dignus odium elliptice dicatur pro, dignus ad odium. Sed melius est post vocem 'religione' interpungere, et odium accipere pro homine odioso, ut 'scelus' pro homine scelesto. R. D. Odium dant Z. Bent. Both. Perl.—39 Gueif. 2. Huic nom.—41 Egomet. Revocavi vocem ex Mss. nonnullis et edd. antiquissimis, approbante etiam Rivio. Vulgo, ego. West.

NOTÆ

37 At mihi unus scrupulus] Scrupus est lapillus pedes ambulantium lædens. Scrupulus, ejus diminutivum, per translationem significat difficultatem, molestiam, dubium.

38 Nodum in scirpo quæris] Scirpi junci sunt palustres sine nodo: unde Proverbium est de his qui in rebus claris scrupulum quæruunt.

Non patiar. Heus Chreme: quod quæris, Pasibula 'st.

CR. Ipsa 'st. CH. Ea 'st.

PA. Ex ipsa millies audivi. SI. Omneis nos gaudere hoc, Chreme,

Te credo, credere. CH. Ita me Di ament, credo. PA. Quid restat, pater?

SI. Jamdudum res reduxit me ipsa in gratiam. PA. O lepidum patrem! 45

De uxore, ita ut possedi, nihil mutat Chremes. CH. Causa optuma 'st,

Nisi quid pater ait aliud. PA. Nempe. SI. Id scilicet. CH. Dos, Pamphile, est

men quæris, Pasibula est. CR. Ipsum nomen est. CH. Idipsum est. PA. Ex ipsa audivi millies. SI. Ego credo te credere nos omnes gaudere, o Chreme, propter hoc, quod reperta est tua filia. CH. Ita me Dii adjuvent, credo. PA. Quid restat, pater? SI. Jam pridem, fili, res ipsa, quod filiam amas Chremetis, quæ ab eo agnita est, gratiam meam tibi reconciliavit. PA. O lepidum patrem! Quod ad uxorem pertinet; quominus ita eam posthac possideam, ut antea possedi, nihil de hoc mutat Chremes. CH. Causa legitima est, propter quam tibi uxoris confirmetur possessio; nisi pater reclamet et dissentiat. PA. Certe non reclamabit, neque dissentiet. SI. Sic est. Non dissentio. CH. Dotem, Pamphile, dico decem

Tres ex nostris cum vet. edd. egomet. Recte. Bent. Ego Z.—42 Non audiendus T. Faber, legens *Heus, Crito*. Neque adeo opus cum F. H. quærit legere. *West. Pasibula*. Per unum s, et in Bem. et V. et in multis aliis est libris. *Fa. Pasibulast*. Terrimum mendum: an *Pasibulast* hic legemus, tertia brevi, cum Græce sit Πασιβούλη? Immo lege, *Pásibûla. Ipsast. East*. Ceterum nihil opus est aut Fabri acumine, qui vult, *Heus, Crito*, aut viri docti, qui quærit. Bent. Delent est Both. Perl. *Passibula est* Br.—43 *Ex ea* Guelf. 2. Abest hoc a 3.—44 *Ut credo* 1.—45 Nimis ingeniosus est Guy. substituens, *reduxit te in gratiam*. West. *Gratiam*: J. et E. V. add. *tuam*. Perl.—46 Distinxi cum Antesignano et Par. post τὸ 'uxore,' ut pateat, absolute dici, 'De uxore,' pro, quod ad uxorem attinet. Præstat autem hæc verba accipere tanquam Pamphili exultantis, non alloquentis Chremetem. Unde frustra est Guy. legens, *mutas, Chreme*. Westerhovijs. Bip. pr. var. nihil *mutas Chremes?* Nil notant, ubi. Perl. *De...Chremes*: Hæc v. affirmative accipiunt: male. *Both*. Ad 'Chremes' notat glossa in Br. 'Vel?'—47 *Pater aliud* Mss. quidam. *Dos, Pamphile, est decem talenta*: Hanc lect. ridiculam dicit Guy. præfertque illam: *Dos Pamphilo Decem talenta*; sub. sunt vel erunt. Et sane Do. videtur legisse, *Dos Pamphili est Decem talenta*. Habet vero majorem ἐπέγχειαν, si Chremes ipsum Pamphilum futurum generum alloquatur; et magis convenit responsum Pamphili. Tum, qui minus dixerit Terentius, *decem talenta*

NOTE

44 *Quid restat, pater*] Obliqua postulatio nuptiarum Glycerii.
Delph. et Var. Clas. Terent.

2 B

Decem talenta. PA. Accipio. CH. Propero ad filiam:
cho mecum, Crito:

Nam illam me credo haud nosse. SI. Cur non illam huc
transferri jubes?

PA. Recte admones. Davo ego istuc dedam jam negotū.
SI. Non potest. 50

PA. Qui non potest? SI. Quia habet aliud magis ex sese,
et majus. PA. Quidnam? SI. Vincit est.

PA. Pater, non recte vincit est. SI. Haud ita jussi. PA.
Jube solvi, obsecro.

talenta. PA. Accipio. CH. Propere ad filiam eo. Eho, Crito, mecum veni: nam credo illam non me noscere. SI. Cur non illam ad me ex ædibus adduci jubes? PA. Recte admones. Davo istud jam negotium dubo. SI. Non potest id exequi. PA. Quomodo? SI. Quia aliud et majus habet negotium quod ad ipsum pertinet. PA. Quidnam est? SI. Vincit est. PA. O pater, non recte vincit est. SI.

est dos, quam supra III. 3. 23. 'Iræ amantium est integratio amoris.' Si id minus placet, liceat suspicari, natam lectionem τὸν est ex compendio st̄, id est, sunt; qui facilis Librariorum error fuit. West. Aliud ait. Bem. et multi alii, ait aliud: item dos, Pamphile, est. Færnus. Pamphile, etiam nostri omnes. Lege, et distingue: Nisi siquid pater ait aliud. Nempe id. Scilicet. Dos, Pamphile, est. Bent. Dat Bothius: Nisi si q. p. a. a. Si. Nempe id scilicet. CH. Dos, &c. qui notat in Gu. I. esse: PA. Nempe nil. SI. Id sc. Legere Guelf. 3. Nisi a m. sec. et nihil post 'Nempe' testatur Perl. Pamphili Br.—48 Codex Academicus paulo aliter: Propere ad filiam cho mecum, Crito. Bent. Eho meas Crito mecum J. et E. V. Perl.—49 Haud nosse credo. Antiqua exemplaria, credo haud nosse. Fa. Sic et nostri, duobus exceptis. Bent. Noscere Guelf. 2.—50 Davo istuc. Omnes fere libri, et in iis vetusti, post 'Davo' habent pronomen ego. Fa. Sic et omnes nostri. Bent. Ego omittit Both.—51 Qui non potest. Revocavi lectionem ex octo Mss. Bodl. Tr. M. et Leidd. quinque. Atque ita inveni expressum in EP. EV. I. Junt. 1505. Lugd. 1511. aliis: sed et ita ex V. C. et R. Lindenbruchius citat. Vulgo, Qui? West. Non potest omittunt Z. Bent. Both.—52 Quid est, Haut ita jussi? Nihil extricare possis. Recte codex Academicus: At ita jussi: hoc est, ut recte vinciretur. Jocatur senex ex ambiguo verbi 'recte.' Donatus, ut nos, legebat At; etsi hodie ejus exemplaria Haut habeant. Bent. Non male conjicit Bent. Donatum legisse At. Zeun. Sequuntur

NOTÆ

48 *Decem talenta*] Talentum Atticum, pro pecunie summa, valet sexcentis coronatis Gallicis. Decem talenta sunt sex millia coronatorum.

51 *Quia habet aliud magis ex sese*] Id est, summa, magis ad se pertinet.

52 *Non recte vincit est*] Pamphilus per 'non recte' intelligit, non juste: Simo vero per jocum intelligit, non satis stricte; ut qui jusserat Davum tanquam quadrupedem arctissime vinciri.

SI. Age fiat. PA. At matura. SI. Eo intro. PA. O faustum et felicem hunc diem!

Jusseram eum recte vinci. PA. Jube eum solvi vinculis, obsecro. SI. Age, fiat. PA. At festina. SI. Eo intro. PA. O faustum ac felicem hunc diem!

Bentleium Both. Perl.—53 *Matura*. Hanc lect. contra Fabrum, legentem *mature*, vindicat F. H. West. In Bem. et aliquibus aliis libris, non est pronomen *hunc*, quod et consuetudini dicendi accommodatius est. *Fa*. Etiam ex nostris pars major non agnoscit *hunc*: nec Nonius, v. Faustum. Ceterum verum est, quod Faber conjecit, *mature*, non *matura*. Em. n. 1. 2. ‘Faciam. At diligenter. Fiet. At mature. Fiet.’ Plane, ut hic: et frustra cavillatur vir doctus. *Bent*. Accedunt Both. Perl. qui cum *Bent*. *hunc* delent.

ACTUS V. SCENA V.

CHARINUS. PAMPHILUS.

CH. PROVISO quid agat Pamphilus: atque eccum. PA.

Aliquis forsam me putet

Non putare hoc verum: at mihi nunc sic esse hoc verum
lubet.

Ego Deorum vitam propterea sempiternam esse arbitror,

CH. Venio visum, quid agat Pamphilus; atque ecce illum. PA. Aliquis fortasse putet me non putare hoc esse verum, quod mox dico: at placet mihi nunc hoc verum esse. Ego vitam Deorum propterea sempiternam esse judico, quod voluptates

1 *Forsitan* R. et V. C. Lind. Sic et Br.—2 Codex Academicus, *licet*. Re-
pone, *liquet*. Bent. Tò sic in Ms. deest. Lind. Bent. eleganti conjectura
legit *liquet*. R. D. *Liquet* refinxit Bent. mire. Perl. Optime Bent. *liquet*.
Both. qui dat *deputare*.—3 *Ego vitam Deorum*. Ita Bem. et Bas. sed omnes
alii, et Donatus, *Ego Deorum vitam*. Fa. *Ego Deorum vitam* dedit Faërnus:
at nostri omnes: ‘*Ego vitam Deorum*. Vides ut inconcinne fiant ictus in syl-
labis postremis. Neque hilo melius, *Ego Deorum vitam propterea*. Vir eru-
ditus solita sibi felicitate, *Ego Deum vitam*. Sed locus erat ex Servio resti-
tuendus, qui sic citat: *Ego Deorum vitam capropter semp. esse arb.* Bent. qui

NOTÆ

3 *Ego Deorum vitam*] Hoc dictum plurimum haberet voluptatis: tristi-
est ex sententia Epicuri. Ille enim tiam quam minimum.
vitam judicabat beatissimam, quæ

Quod voluptates eorum propriæ sunt: nam mihi immortalitas

Parta 'st, si nulla ægritudo huic gaudio intercesserit. 5
Sed quem ego mihi potissimum optem nunc, cui hæc narrem, dari?

CH. Quid illud gaudii est? PA. Davom video: nemo 'st, quem mallem, omnium.

Nam hunc scio mea solide solum gavisurum gaudia.

propriæ eorum sunt et perpetuæ. Certe immortalitas mihi acquisita est, si nulla tristitia huic præsentis gaudio, quo repleor, interposita fuerit. Sed quem præcipue exoptem mihi nunc obviam fieri, cui fortunam secundam et hanc meam felicitatem commemorem? CH. Quid illud gaudium est? PA. Davum video. Nemo est omnium, quem mallem mihi occurrere: nam scio hunc perfecte atque ex toto animo, ob mea gaudia, gavisurum.

//////////

dat capropter. *Dcorum vitam propterea ego Both.—4 Quid Guelf. 1.—5 Leidd. unus mihi immortalitas Orta. Parata G. ET. EM. West. Parata est Vet. Cod. Lind. Est parta Both.—6 Fa. sic dedit. Sed versus laborat. Succurrunt duo ex nostris codices, qui recte habent, cui nunc hæc narrem, dari? Et ex iis alter optem cum Bembino: ceteri omnes exoptem. Bent. Sequuntur Both. Perl. Exoptem Br.—7 Malim nostri præter Hel. recte. Vulgo mallem. Both. Malim dat Br.*

NOTÆ

5 *Si nulla ægritudo*] Quamobrem a indicantibus, in vita hominum, voluptates et dolores inter se commixtas esse.

ACTUS V. SCENA VI.

DAVUS. PAMPHILUS. CHARINUS.

DA. PAMPHILUS ubinam hic est? PA. Dave. DA. Quis homo 'st? PA. Ego sum. DA. O Pamphile.

DA. *Ubinam est hic Pamphilus?* PA. Dave. DA. *Quisnam homo est, qui me appellat?* PA. Ego sum. DA. *O Pamphile!* PA. *Nescis quid mihi acci-*

//////////

1. 2 Hæc Scena in Mss. quibusdam additur superiori: cui et *Davi* nomen præfigunt. Editiones vetustissimæ separant, paucis exceptis. Variant Aldinæ. *Pamphilus ubinam hic est?* Hæc circumspectans loquitur Davus: neque

PA. Nescis quid mihi obtigerit. DA. Certe: sed, quid mihi obtigerit, scio.

PA. Et quidem ego. DA. More hominum evenit, ut, quod sim nactus mali,

Prius rescisceres tu, quam ego illud, quod tibi evenit boni.

PA. Mea Glycerium suos parentes reperit. DA. O factum bene! CH. Hem! 5

PA. Pater amicus summus nobis. DA. Quis? PA. Chremes. DA. Narras probe.

PA. Nec mora ulla 'st, quin eam uxorem ducam. CH. Num ille somniat

derit. DA. Certe: sed quid mihi acciderit scio. PA. Et quidem ego. DA. Ut accidere solet hominibus, ita evenit nobis; ut prius cognosceres, quod mali inveni, quam ego audirem, quod boni tibi obtigit. PA. Mea Glycerium suos parentes reperit. DA. O quam recte contigit! CH. Hem. Pater ejus summus amicus noster est. DA. Quis? PA. Chremes. DA. Bene narras. PA. Nec quicquam nos retardat quin eam uxorem ducam. CH. Num Pamphilus somniat ea, quæ

adeo opus, cum Guy. ita ordinare personas: DA. *Pamphilus ubinam?* PA. *Hic est, Dave.* DA. *Quis homo 'st? Quisnam homo 'st* G. et EM. *West. Quisnam homo est.* Antiqui libri *Quis homo 'st*, ut versus exposcit. *Fa.* Etiam nostri omnes, *Quis.* Duo ex nostris *Ubinam est*: quorum alter *Pamphile sine O*: at codex Academicus, *Ego sum Pamphilus.* Lege et distingue: *Pamphilus ubinamst?* PA. *Hic est, Dave.* DA. *Quis homost?* PA. *Ego sum Pamphilus: Nescis quid mi obtigerit.* DA. *Certe.* Ceterum illud, 'Nescis quid mi obtigerit,' sine interrogatione pronuntia. *Bent.* Distinctio in vs. 1. *Bentleii* et *Guyeti* non placet *Perlet.* qui putat *Ego sum Pamphilus* incommode dici. 'Ego sum Pamphilus bene cod. *Bent.* Etiam *Hel.*: *Ego sum Pamphilus.* DA. *O Pamphile.* PA. *Nescis, &c.'* Both. qui sequitur *Bentleium*, excepto quod interrogat post 'obtigerit' cum *Br.* Ceterum versus 2. sic dat *Bothius*: *Nescis quid mi obtigerit?* DA. *Certe non.* PA. *Non?* DA. *Set, quid mihi, scio:* et notat: 'Vulgo *Certe. Certe non*: et sic quoque corrector in *B.* Alterum *Non forte excidit.* *Quisquam* pro *Quis Guelph. 2.* Hæc *Scena*, ait *Perl.* contexta est in *GM.* cum *priore*, in *GC.* separata.—3 *Repone ut quod sim ego n. m. Bent.* Accedunt *Both. Perl.* *Ego abesse a Guelph. 2. 3.* notat *Perl.*—4 *Si legas Tu pr. rese.* versus probe constat. *Er. Quam ego quod tibi. O. l. s.* post *ego* habent *illud.* *Fa.* Nostri item omnes *illud*, sed male. Porro pro *quod tibi*, reponere *tibi quod.* *Palatinus Fabricii* non habet *illud.* *Bent.* cui accedunt *Both. Perl.*—5 *Bem.* et aliqui alii libri non habent interjectionem *O*, sicut hic ipse antiquissimus liber nec in *Ennucho* eam habet, nisi superadditam, in eo versu, 'Quid ni habeam? factum bene.' *Fa.* Omnes nostri præter unum agnoscunt *O. Bent.* Eam omisit *Z.*—6 *Pater est Guelph. 2.*—7 *Mss.* quidam, *quin jam uxorem*: quam lect. probat *G. F. West.* Duo ex nostris

NOTÆ

2 *Sed, quid mihi obtigerit*] Hoc *Dav-* mali celerior est, quam boni: id est, *malis* dicit de vinculis ridiculis. evenit, ut facilius mala quam bona

3 *More hominum evenit*] Quia fama nuntientur.

Ea, quæ vigilans voluit? PA. Tum de puero, Dave? DA.
Ah, desine.


Solus est, quem diligunt Di. CH. Salvos sum, si hæc vera
sunt.

Colloquar. PA. Quis homo 'st? O Charine, in tempore
ipso mihi advenis. 10

CH. Bene factum. PA. Audistin'? CH. Omnia. Age, me
in tuis secundis respice.

Tuus est nunc Chremes: facturum quæ voles, scio esse
omnia.

vigilans expectavit? PA. Ceterum de puero, Dave, ut se habet? DA. Ah, desine de illo plura quære. Ille solus est ex omnibus pueris, quem Dii in deliciis habent, et in sinu gerunt. CH. Si hæc vera sunt, salvus sum. Compellabo Pamphulum. PA. Quis homo est, qui ad nos accedit? Charine, opportune mihi advenis. CH. Tecum bene actum esse gaudeo. PA. Hem! audistine? CH. Omnia audi. Agedum, in tuis prosperis successibus fac ut me adjures. Chremetem totum possides: scio illum facturum esse omnia, quæ voles. PA. Semper tui me-



veterrimi, quin jam. Recte. Bent. Quin jam R. Lind. Jam dant Both. Perl. —8 Ah, ah Br.—9 M. et quædam edd. vetustæ, Solus es. West. Scripsimus, diligant, ex antiquis libris. Fa. Duo ex nostris cum vet. Edd. Solus es, quod et viro erudito jure placuit: non tamen ideo, quia est Phorm. v. 6. 14. 'Nam sine controversia ab Dis solus diligere, Antipho:' sed quia non tam infanti hoc convenit, quam patri, cui omnia bona tam repentino contigerunt. Hoc tamen ex Phormionis loco scire licet, diligunt, quod ex nostris aliquot habent, non diligunt legendum. Bent. Es dant Both. Perl. Diligant Br. Z. Solvus sum ego Gneif. 2.—10 Quidam Mss. et editi vetustissimi, Adibo et colloquar. Bodl. Adibo: colloquar. West. Omnes quotquot sunt l. s. habent, o Charine. Pa. Velint, nolint Librarii, ejiciendum est o, ut in versu sequente n, Audisti, non Audistin. Ludit enim operam vir doctus, cum ex eo, quod plurimi codices habeant, Adibo et colloquar. Quis homost? mavult ejici, Et colloquar: et in textum recipi, Adibo. Quis homost? o Charine. Bent. Adibo et colloquar R. [et Br.] Lind. O delent Both. Perl. qui monet esse in Gneif. 3. Mihi omittit Br.—11 Hem audistin'? Aliqui libri, inter quos Bem. non habent Hem. Me in secundis: Libri vetusti, me in tuis secundis. Donatus, tuis secundis rebus: quod tamen dicit esse ex iis, quæ absolute dicuntur; ex quo apparet eum legere, in tuis secundis: nam, si adderetur rebus, non esset absolutum. Sane versus hic est octonarius iambicus; si vero legeretur, audisti? esset trochaicus, ut ceteri: quod et placet. Fa. Plures quoque ex nostris non habent Hem. Bent. Audisti legunt Both. Perl. O bene Gneif. 3. Benefactum est 2. Uterque dat Hem. Em Br. et secundis rebus.—12 Esse

NOTÆ

9 Solus est, quem diligunt Di] Hyperbole de magna alienjuss felicitate. Illustres quosque Heroas Deorum filios, cognatos, et amicos fuisse fa- bulatur Antiquitas, ut Herculem Jovis filium, Æneam Veneris, multosque alios.

PA. Memini : atque adeo longum est nos illum expectare, dum exeat.

Sequere hac me intus ad Glycerium nunc. Tu, Dave, abi domum :

Propere arcesse, hinc qui auferant eam. Quid stas ? quid cessas ? DA. EO. 15


Ne expectetis, dum exeant huc : intus despondebitur ;

Intus transigetur, si quid est, quod restet. Ω Plaudite.

CALLIOPIUS RECENSUI.

mini. Longum vero tempus est nos expectare, donec ille exeat domo : tu sequere hac me intus. Chremes nunc est in aedibus Glycerii. Tu, Dave, abi domum. Festina. Accerse viros, qui eam auferant ex domo, ubi nunc est, et ad nos transferant. Quid stas immotus ? Quid tardas ? DA. EO. Ne expectetis, Spectatores, dum huc exeant in proscenium Actores nostri. Intus sponsalia fient. Intus de dote Phitumenæ, de Chrysidis hæreditate, deque ceteris rebus concernet et transigetur. Plaudite.

Calliopiùs recensui.



omittit Both.—14 Hæc varie leguntur. Plurimi libri, cum scripti, tum impressi : *Sequere hac me : intus apud Glycerium nunc est.* Alii, *Sequere hac me intus. Apud Glycerium nunc est.* Potior est lectio, quam exhibui : neque ea Mss. neque probis edd. caret. *West. Intus apud Glycerium nunc est G. EM. Id. in Add. Bem.* ita habet : *Sequere hac me intus ad Glycerium nunc.* Donatus sic : *Sequere me intus apud Glycerium.* Fa. Pro nunc, nostri omnes nunc est, quod versus ipse postulat ; ut et vidit vir eruditus. *Bent.* qui legit, sequente Bothio, *S. hac me : intus ap. Glycerium nunc est :* et sic Br. nisi quod invertit *hac me.* Antepouit Perl. Westerhovi distinctionem. Legere Guelf. 2. *apud Gl. monet Perl.*—15 *Propere arcesse.* Ita Mss. Lugdunenses omnes, et Bodl. Atque ita ex vett. Codd. legebant Guyetus, F. Fabricius, Lind. *West. Propere : arcesse.* Meliores et plures libri, *Propere arcesse.* Sine dubio hæc melior lectio. *Bent. Propere, arcesse Z. Abi domum propere.* Accerse Br.—16 Mss. quidam *exeat.* Ita et nonnullæ editorum veterum : quando Pamphilus solus intelligitur. Quidam Mss. et EP. *desponsabitur.* *West. Hic pro hac Both.* qui hoc minus bene esse censet.—17 Ω *Plaudite.* Non una eruditorum hominum de hac nota (Ω) est sententia. Petitus ex duplici oo, id est, ὀρχλος, turba, caterva, quod in Græcis Comædiis fuerit appositum, τὸ ω natum esse autumat. Bœclerus, uti non negat, τὸ ‘Plaudite’ a toto histrionum grege fuisse acclamatum, ita contendit, antiquitus non Ω, quod Fa. reperisse se in Codd. vetustissimis scribit, sed G scriptum fuisse, quo Græc fuerit notatus. Daciera Ω a Librariis additum autumat, ut esset signum Finis, quomodo ele-

NOTÆ

15 *Qui auferant eam*] Virgo, nuptui data, antiquo ritu simulabatur ex gremio matris, aut, si ea desset, ex proxima necessitudine muliere rapi ; inde ad virum transferebatur : quod ea res Romulo suisque Sabinas rapi-

entibus feliciter cessisset. Quo respiciens Catullus dicit : ‘Qui rapis teneram ad virum Virginem :’ in Epithalamio Manlii et Juliae.

17 *Plaudite*] ‘Plaudite’ verbum est textricum, Græcis σπαθῆν vel κροτέην :

mentum τοῦ Ἑλλῶα fuerit præmissum initiis operum. Qua de re consulendi Interpretes ad Apocalyp. 1. 8. *West. G. Ω Plaudite. Calliopius recensuit. EM. C Plaudite. Call. rec. ET. Vos valete et plaudite. Call. rec. Id. in Add.* Hic ante verbum 'Plaudite,' in omnibus vero aliis Fabulis ante ea verba 'Vos valete,' Bem. et omnes alii antiqui hanc notam habent Ω: super quo loco ita Eugraphius: Verba sunt recitatoris, qui, dum Fabulam terminaret, elevabat aulæ scænæ, et dicebat ad populum: 'Vos valete et plaudite.' *Fa.* Nota illa in Libris veteribus non est Ω sed ω: de qua, præter Eugraphii sententiam, tres alias longa commentatione producit vir doctus: quarum tamen nulli assentitur, nec suam addit. Nos novam, et aut veram aut certe vero proximam, tribus verbis afferemus. Horat. A. P. 154. 'Si fantoris eges aulæ manentis, et usque Sessuri, donec cantor, Vos plaudite, dicat.' Nota illud 'Plaudite' a Cantore dici solere. Alius est Actor, alius Cantor. Actores in hac Andria Primarum et Secundarum partium Ambivius et Atilius erant. Tertiæ partium actor, utpote ignobilis, nusquam memoratur. Cantor autem Flaccus, Claudii filius, qui tibiis paribus canebat, dextris et sinistris. Ergo, cum Actores omnes ex Scænâ exirent, Cantoris erat, depositis ex ore tibiis, 'Plaudite' insonare. Ut igitur in veteribus libris personæ aliæ notantur, PAM. DAV. CHREM.; ita hic olim *ca.* pro Cantore scilicet: quæ nota cum non intellecta esset, paulatim et compendii causa in proximam ei formam ω degeneravit. *Bent.* Sic *Bent.* perquam probabiliter: quare ascripsimus personæ nomen. *Both.* Ω in omnibus vett. codd. et R. habetur. In quibusdam libb. *Calliopius.* Lind. Post 'Plaudite' in GM. sequuntur hæc: *Call. rec. feliciter.* Tum minusculis literis separatim ab illis hoc modo: *Finita Fabula in theatro recitator Fabulæ aiebat ω plaudite et valete.* *Perl. Restat Br. a pr. m. sed mutatum in restet.* In Br. olim lectum esse videtur recensuit. *Brun.* Ω delent *Bent.* *Perl.* Dat ω Br. *Restat* habent *Guelf. 2. 3.* quorum hic habet ω *vos valete et plaudite. Calliopius recensuit.* Dat *Valete et plaudite* *Guelf. 1.* Ceterum de versibus, quorum hic meminit *Do. audi Westerhovium:* 'Citat hos versus Guyetus ex quibusdam exemplaribus sibi visis. In Mss. decem, quorum varias lectiones exhibeo, non reperuntur, neque in quoquam impressorum codicum, quibus quidem mihi uti contigit. Licet autem et *Donati* et *Eugraphii* iudicio spurii sint hi versus numero septemdecim, quia tamen jam tantæ sunt antiquitatis, lubet eos ascribere, ut, quisquis tandem illorum auctor sit, quid de *Charini* nuptiis scripserit, *Lectori* manifestum fiat. Ita igitur eos exhibet *Guyetus:*

PA. *Te expectabam: est de tua re, quod agere ego tecum volo.*

Dedi operam, ne me esse oblitum dicas tuæ gnatæ alteræ.

Tibi me opinor reperisse dignum te atque illa virum.

CHA. *Dave, ah perii: de meo amore ac vita nunc sors tollitur.*

CHR. *Non nova isthæc mihi conditio est, si voluisset, Pamphile.*

CHA. *Occidi, Dave, perii.* CHR. *Sed id quamobrem non volui, eloquar.*

Non idcirco, quod eum affinem mihi nollem. PA. *Hem, tace.*

CHR. *Sed amicitia nostra, quæ est a patribus nostris tradita,*

NOTÆ

cum illæ licium densius inculcant, et cum plausu collidunt. Hoc verbum etiam in Theatrum migravit postea: eoque peractis fabulis spectatores dimittebantur. 'Valere' enim et 'plaudere' jubebantur; quæ verba vel a grege histrionum, vel ab ea persona, quæ postrema in Scenam introducebatur, pronuntiabantur: ut vi-

dere est apud *Plautum.* Horat. in *Arte:* 'Donec cantor,' id est, actor, 'Vos plaudite, dicat.' Caetero est actor. *Apuleius* eleganter in *Florid.* 'Renuntiavere Poëtam dixisse rebus humanis, valere, et plaudere; suis vero familiaribus, dolere, et plangere.'

*Non aliquam partem studii adductam tradi liberis,
Nunc cum copia atque fortuna utrique ut obsequeretur, dedit, detur. PA.*

Bene

Factum: abi, atque age gratias homini. CHA. Salves, Chremes amicorum

Meorum omnium mihi agissime, quod mihi commodum est, gaudio,

Quam id, quod a te exopto, me reperisse, ut habitus antehac fui

Tibi animum, quo ad eumque applicaris studium exinde ut erit,

Tute existimaveris id ita esse facere ex me conjecturam ex me licet.

Alienus abs te tamen quis tu esses, noveras, ita res est. CHR. Gnatam tibi meam

Philomelum uxorem, et dotis sex talenta spondeo.

Verba intricata et absurda, ne dicam barbara, et quibus intelligendis Œdipo opus sit conjectore, qui Sphingi interpretis fuit. Cum igitur nihil minus quam Terentianum stylum sapiant, in iis restituendis et emaculandis frustra quis operam posuerit.' Huc sententiæ Westerhovii,' ait Perl. 'ego item accedo, ac profecto nemo quidem fecerit jacturam, qui notitia illorum carebit.' Pro *agissime* in l. 12. Z. habet *carissime*.

FINIS ANDRIÆ.

PUB. TERENTII

EUNUCHUS.

ACTA LUDIS MEGALENSIB. L. ¹ POSTUMIO ALBINO L. ² CORNELIO
MERULA ÆDILIB. CURULIB. EGERE ³ L. ⁴ AMBIVIUS TURPIO ⁵ L.
ATILIUS ⁶ PRÆNESTINUS TIBIIS ⁷ DUABUS DEXTRIS. ⁸ GRÆCA
MENANDRU. ACTA II. ⁹ MODOS FECIT' FLACCUS CLAUDI ² M.
VALERIO C. FANNIO COSS. ³

1 *Lucio. Postumio. Albino Lucio Cornelio Merula* Br.—2 *Et L.* Perl.—3 *Egerunt* id.—4 *L.* omittit Br.—5 *Turpius J.*—6 *Et L. Atilius* Perl. *Lucius Attilius* Br.—7 *Hic Gov. Bent.* Both. Perl. collocant verba sequentia ‘*Modos fecit Flaccus Claudi.*’ At Br. sic collocat et exhibet: *Græca Menandri. Acta secunda. Modularit Flaccus Cluditibiis duabus dextris.* De his postremis sic notat Bruns: ‘*Edit. pro his tribus vocabulis habet Claudi et tibiis du. dextris* ponit post *Prænestinus*: at Bentleins, qui dedit *Prænestinus. Modos fecit Flaccus Claudi tibiis duabus dextris* magis consentit cum Ms.’ ‘*Modos fecit.* Vett. fere omnes et R. *Modularit.* Postea, *Flac. Claudi tibiis, &c.* Et sane alieniore loco in vulg. libb. posita videntur.’ Lind.—8 *Pro dextris* vult Gov. *dextra et sinistra.*—9 *Acta secundo est. Græca est Menandru* vult Gov.—1 *Nostra* [sc. τὸν Br.] lectio *Modularit* est fere veterum omnium, teste Lind. Bruns. *Modum larit J.* Inde *modularit.* Perl.—2 *Claudii filius* Perl. qui monet in pleisque libb. omitti *filius.*—3 *M. Valerio. G. Mummio. Fannio consulibus* Br. Pro C. *Fannio* Perl. notat in Pall. teste Par. esse *Gaio Mummio. Gaio Fannio* esse in melioris notæ exemplis, in quibusdam tamen Mss. *G. Mummio Fannio*, testatur Lind. Vult Gov. *Edita M. Valerio Messala, C. Fannio Strabone* Coss. Addit Bothius *Pretium meruit octo M. nummum*: et notat: ‘*Titulo vulgo hæc absunt, quæ olim ibi lecta fuisse testis est Do. in Vita Nostri.*’

FABULÆ INTERLOCUTORES.

PHÆDRIA, *adolescens, amator Thaidis. A Græco, φαίδριος, hilaris.*

PARMENO, *servus Phædriæ. Παρὰ τῷ δεσπότῃ μένων, manens et astans domino.*

THAIS, *meretrix. A θαητός, spectabilis, quasi speciosa.*

GNATHO, *parasitus Thrasonis. A γνάθος, maxilla, quod sit edax.*

CHEREA, *adolescens, amator Pamphilæ. A χαίρων, gaudens.*

THRASO, miles, rivalis Phædriæ. Α βράσος, audacia.

PYTHIAS, ancilla Thaidis. Quasi πύθομένη, percontatrix.

CHREMES, adolescens,¹ frater Pamphilæ. Α χρεμίζω, himnio :
quod hinnitu equorum delectaretur.

ANTIPHO, adolescens. Αβ ἀντιπρῆναι, contra appareo, vel ab
ἀντίφημι, contra loquor.

DORIAS, ancilla Thaidis. Quod Doride regione orta sit.

DORUS, eunuchus. Quasi Doricus.

SANGA, servus. Α Sangia, vico Phrygiæ.

SOPHRONA, nutrix Pamphilæ. Α σώφρων, castus, continens.

LACHES, senex, pater Phædriæ et Chærea. Α λαγχάζω, sor-
tior, sorte obtineo.

1 Chremes in elencho personarum citur. West. ad Act. 1. 2. 124. in Ad-
editionis F. H. per errorem senex di- tendis.

C. SULPICII APOLLINARIS PERIOCHA¹

IN TERENTII EUNUCHUM.

SOROREM falso dicitatam Thaidis,
Id ipsum ignorans, miles advexit Thraso,
Ipsique² donat. Erat hæc civis Attica.
Eidem Eunuchum, quem emerat, tradi jubet
Thaidis³ amator Phædria, ac rus ipse abit,
Thrasoni oratus biduum concederet.

Thraso miles abduxit secum Rhodo Athenas Pamphilam, vulgi sermone nomina-
tam sororem Thaidis, quod ille ignorabat, ipsique Thaidi dono dat. Erat hæc
Pamphila civis Atheniensis filia; eidem Phædria, ipsius amator, Eunuchum a se
entum ut tradat, Parmenoni imperat, atque in villam abit, exoratus precibus
Thaidis, ut in duos dies ea miles potiretur. Frater Phædriæ adolescens Chærea,

NOTÆ

1 *Periocha*] Α περιέχω, compre-
hendo, contineo, περιτοχή comprehen-
sio Græcis dicitur, idem quod Latini-
nis 'argumentum;' estque brevis
totius alienjus rei explicatio.

2 [*Ipsique*] Illique dat Both. et Ci-
vis erat hæc.]

3 [*Thaidis*] Alius pro Thaidis ex-
hibet Both.]

Ephebus frater Phædriæ puellulam
 Cum deperiret, dono missam Thaidi,
 Ornatu Eunuchi⁴ induitur : suadet Parmeno :
 Introiit :⁵ vitiat virginem : sed Atticus
 Civis repertus frater ejus collocat
 Vitiatam ephebo : Phædriam exorat Thraso.

cum Pamphilam perditæ amaret donatam Thaidi a milite, supponitur pro Eunucho, ejusque habitu indutus ad cædes Thaidis adducitur, suadente Parmenone: in quibus stuprat Pamphilam; quæ, cum reperisset frutrem suum Chremetem, civem Atheniensem, agnita ab ipso datur uxor Chæreæ, a quo vitiata fuerat; Thraso impetrat a Phædria, ut sint socii in amore Thaidis.

NOTÆ

4 *Ornatu Eunuchi*] Eunuchus castus dicitur ab εὐνή, quod est cubile, et ἔχω, habeo, custodio; quod id genus hominum adhibebatur servandis regum cubilibus. Eustathius deducit nomen istud ab εὐνός, id est, privatus, et ὄχλα, coitus, conjunctio; quasi εὐνός ὄχλας, privatus, carens conjunctione fæminea. [*Eunuchi ornatum Both. dedit.*]

5 [*Introiit*] *Introit* Delph. *Introirit* Both.]

Æ L I I D O N A T I,

V. C. ORATORIS URBIS ROMÆ,

PRÆFATIO IN EUNUCHUM TERENTII.

Ἡ ἄρ' masculini generis nomine nuncupata Fabula est, EUNUCHUS: et est Palliata Menandri vetus: quam ille auctor de facto adolescentis, qui se pro Eunucho deduci ad meretricem passus est, nominavit. Itaque ex magna parte motoria est. Atque in hac Comædia, qui personam Parmenonis actor sustinet, primas habet partes. Secundæ sunt Chæreæ. Tertix ad Phædriam spectant. Hujus Prologus sane est concitator. Nam et objicit crimina adversantibus: et comminatur in posterum: et accusatorie narrat injuriam Terentio factam: et ad ultimum tumultuose et cum magna invidia defendit Poëtam. Hæc et πρότασιν, et ἐπίτασιν, et καταστροφὴν ita æquales habet, ut nusquam dicas longitudine operis Terentium delassatum dormitasse. Actus sane implicatiores sunt in ea, et qui non facile a parum doctis distingui possint: ideo quia

tenendi spectatoris causa vult Poëta noster omnes quinque Actus velut unum fieri, ne respiret quodammodo: atque, distincta alicubi continuatione succedentium rerum, ante aulæa sublata fastidiosus spectator exurgat. Acta plane est Ludis Megalensibus, L. Postumio, L. Cornelio Ædilibus Curulibus: etiam tunc personatis L. Numidio Postumio, L. Ambivio Turpione: item modulante Flacco Claudio tibiis dextra et sinistra ob jocularia, multa permixta gravitate. Et acta est tanto successu ac plausu atque suffragio, ut rursus esset vendita, et ageretur iterum pro nova: proque ea pretium, quod nulli ante ipsam Fabulam contigit, octo millibus sestertium numerarent Poëtæ. Proverbia¹ multa sæpe pronuntiata, et cantica sæpe mutatis modis exhibita sunt. Προτατικὸν πρόσωπον nusquam habet: sed suis tantum personis utitur. In hac Terentius delectat facetiis: prodest exemplis: et vitia hominum paulo mordacius, quam in ceteris carpit. Exempla autem morum hic tria præcipua proponuntur, urbani scilicet, parasiti, et² militaris. Hæc edita tertium est, et pronuntiata, TERENTII EUNUCHUS: quippe jam adulta commendatione Poëtæ, ac meritis ingenii notioribus populo. Facta autem ex duabus Græcis una est Latina. Nam ex EUNUCHO et COLACE, Menandri Fabulis, hæc EUNUCHUS Terentiana scripta est, non sine crimine, quod multa in hanc translata sint ex multis Poëtis Latinis: quod totum, per Prologum purgat atque defendit.

1 Legend. arbitror *Diverbia*. Lind. 2 Et omittit Z.

ÆLII DONATI ARGUMENTUM IN EUNUCHUM.

RAPTA quædam ex Attica virgo nobilis, atque abducta¹ est Rhodum; ibique matri Thaidis meretricis ab amico dono data est, et educata velut soror, una cum filia Thaide. Sed Thais, relicta matre, Rhodo cum amatore quodam Athenas se contulit: ab eoque hæres instituta mortuo, mox a milite Thrasone diligebatur nimis. Qui cum Athenis profectus matrem Thaidis mortuam Rhodi comperisset, et eam virginem, quam diximus, ab hæredibus mortuæ animadvertisset venum esse propositam; quamvis ignarus rerum omnium, emit tamen, et dono amatae Thaidi vexit Athenas. Verum, postquam adveniens rivalem Phædriam apud amicam reperit,

1 *Adducta* West.

quem per ejus absentiam sibi meretrix conciliarat ; affirmavit, se non ante daturum promissam virginem, quam Thais foras æmulum pepulisset. Illa igitur, etsi amaret Phædriam, cupiditate tamen recuperandæ virginis et civis Atticæ, et quam a parvula ut sororem dilexerat, excludit Phædriam. Hinc ille primo irascitur: post accepta facti ratione, a Thaide lenitur: et in bidui spatium sponte concedens militi, rus proficiscitur: statimque, ne ab æmulo muneribus superaretur, Eunuchum et puellam Parmenoni jubet abiens ad Thaidem deducere. Verum Chærea frater Phædriæ tunc ephēbus, visa in via virgine, inflammatur amore ejus; atque eo evasit vehementi ardore, ut pro Eunuchō ipse deduceretur ad Thaidem. Hæc occasione vitiata virgo, et mox civis, et nobilis cognita, datur uxor Chæreæ. Phædria vero et miles rivales, ambo concordēs per parasitum redditi, communi amica sine certamine potiuntur. In primo actu Phædria exclusus a Thaide, et secum primo, et mox cum Parmenone conqueritur fortunas suas: et ad postremum coram accusat Thaidem. Rursus permulcetur ab eadem, et voluntate digrediens, rus sese concessurum in spatium bidui esse promittit. Secundus actus, professionem Phædriæ continet, delegantis servo deductionem Eunuchi et puellæ ad Thaidem; tum parasitum loquentem, per quem virgo a milite dono amicæ missa est; tum interventum Chæreæ amantis virginem, ejusdemque cum Parmenone consilium de eadem potiēda per fallaciam: quia pro Eunuchō ipse supponitur Thaidi. Tertius actus characterem exprimit militis et parasiti per ridiculum colloquium: tum invitationem ad cœnam Thaidis: tum oblationem velut Eunuchi Chæreæ et puellæ ex Æthiopia per Parmenonem factam: tum verba Chremetis ad Thaidem venientis, perductique ad militem: Antiphonis Chæreæque colloquium de vitiata per dolum virgine. In quarto actu Dorias nuntiat jurgium inter militem et Thaidem: tum reditum habet ex villa Phædriæ, et querelam Pythiæ de vitiata virgine apud Phædriam: et eundem stupentem quod audiebat: errorem ebrii Chremetis: et verba petulantia Thaidis adversum militem, et militis adversum Thaidem: parata prælia, ridiculeque deposita. Quintus actus hæc continet: querelam Thaidis de vitiata virgine, primo cum Pythia, postea cum ipso Chærea: tum interventum Chremetis atque nutricis: tum perturbationem Parmenonis per dolum Pythiæ; atque ejus indicio per senem, qui rure tunc advenerat, confirmatas nuptias: et ad ultimum reditum in gratiam militis cum Phædria et Chærea.

EXPOSITIO TITULI CUM ARGUMENTO. ¹

ACTA Indis Megalensibus. Ita est jungendum. Acta est, recitata est Græca Fabula Menandri de eunuchō, Lucio, Postumio, Albino, Cornelio, Merula ædilibus curulibus. Ædiles curules, qui erant apud Romanos, magni

¹ Hæc extraximus ab Editione Bruniana, p. 153.

honoris magnæque dignitatis habebantur, officium scilicet habentes super ædes curiales. Præerant enim curiæ et ordini senatorum. Quorum administrationis tempore si quid agebatur, non solum in Romano imperio, verum etiam in Græcia eorum nomine notabatur, sicut hic ostenditur. Dum enim agerentur ludi apud Megalem civitatem Græciæ in honorem Jovis Olympici, essentque apud Romanos ædiles curules isti, recitata est Græca Fabula Menandri apud Megalem. Egere, id est, fecerunt vel administraverunt hos ludos Megalenses in Græcia, quando ista Fabula Græca Menandri de eunucho recitata est. Ambivius Turpio Lucius. Attilius. Prænestinus Græca Menandri. Superius jungendum est istud. Græca Menandri: i. ita est acta Græca Menandri. Acta secunda ita est jungendum. Secunda fabula eunuchi illa videlicet, quam \ominus^2 post Menandrum Latino sermone composuit. Acta est i. e. recitata est Marco, Valerio, Gaio Fannio consulibus. Ipsam vero Latinam Fabulam modulavit Flaccus clauditibiis duabus dextris. Quod Menander primum composuit Fabulam Andriæ Græco sermone, deinde vero \ominus latino, jam dictum est, et quod ejus recitator fuerit Calliopiis. At vero modulatur ejus Comædiæ fuit Flaccus, optimus tibiicen, unde hic dicitur hanc Fabulam modulasse duabus dextris tibiis claudi. Claudum autem genus tibiicarum est, inæqualibus fistulis factum, unde et claudum vocatur, eo quod fistulam habeat breviorum in modum claudi. Dextræ autem tibiæ dicuntur, quoniam ex dextro crure gruis aliarumque avium meliores fiunt. Marco. valerio. Gaio nummio.³ fannio consulibus. Isti duo tunc temporis consulatum gerebant Romæ, quando \ominus Fabulæ recitatae sunt et nota p. c.⁴ Comædia ista Eunuchus appellatur, eo quod contineat in se Fabulam eunuchi, unde et sub fœminino genere profertur, teste Donato,⁵ quoniam ad comædiam refertur.

Argumentum autem sequentis Fabulæ perbreve dicendum est, quoniam satis in ipso contextu videbitur. In hac Fabula introducit quendam juvenem, nomine Phædrum, filium senis, qui vocabatur Laches. Hic ergo Phædrus cum amaret quendam meretricem pulcherrimam, nomine Thaidem, quæ amabatur a quodam milite, qui vocabatur Thraso, ipsa rogante emit ei eunuchum jam vetulum, nec non puellam Ethiopissam. Factumque est, ut eo ipso die, quo hæc munera misit Phædrus juvenis meretrici Thaidi per servum suum, nomine Parmenonem, mitteret ei et miles Thraso puellam satis pulchram, quæ vocabatur Pamphila, per quendam parasitum suum, qui vocabatur Gnato. Dum ergo Gnato parasitus puellam, quæ a milite mittebatur, duceret Thaidi, vidit illam minor frater Phædrus qui vocabatur Cherea, dum ageret ex collatione prandium cum aliis adolescentibus in proximo loco, cujus nomen erat Pireus, tantoque amoris ardore in

2 Compendium scribendi pro, Terentius. *Bruns.*

3 Tollendum est signum distinctio-
nis post nomina, *Marco et Nummio*,
pro quo scribendum est *Mummio*.
Id.

4 Explico, per compendium. *Id.*

5 Donatus enim, quanquam in Pro-
logo ait (v. edit. Zenn. p. 257.) ‘hanc
masculini generis nomine nuncupa-
tam esse Fabulam,’ tamen in fine di-
cit: ‘Hæc Eunuchus Terentiana
scripta est;’ quo respexit auctor nos-
ter. *Id.*

illam puellam exarsit, ut statim relinquens socios insequeretur eam. Sed, antequam pervenisset ad domum meretricis, quo ducebatur puella, ante introduxit eam parasitus. Perveniensque ad januam ipse adolescens reperit ibi Parmenonem servum fratris sui Phædriæ, missum ad hoc ut eunuchum et Ethiopissam Thaidi traderet. Quem dum percontaretur tristis: Quo, inquit, abiit puella, ait ei Parmeno: Thaidi donata est. Tum communi consilio tractantes illi duo, Parmeno videlicet servus, et Cherea frater domini sui, exiit se adolescens Cherea vestibis suis, et indutus est vestibis eunuchi, quoniam tunc temporis eunuchi habitu etiam discernabantur, sicque loco eunuchi cum Ethiopissa Thaidi traditus est a servo ob hoc videlicet, ut voluptatem suam ex puella a Thrasone missa expleret. Quod ita contigit. Nam sine mora Thais meretrix, sperans illum eunuchum esse duas ob causas, videlicet propter vestimentum, et quia imberbis ephēbusque erat, inter ceteras commendavit ei etiam Pamphilam, quam amabat. Mos est enim puellarum curam eunuchis committere. Sed quid actum est? Dum igitur Thais milite Thrasone rogante ad domum ejus profecta esset, adolescens solus, qui pro eunuchō tenebatur, in cellula cum Pamphila degens optatum explevit genium. Quo peracto ut libuit, statim egressus est, remeans ad propria. Quod dum agnitus esset per Phithiam ancillulam, quam reliquerat Thais ad custodiendam domum, ille vetulus eunuchus adhuc indutus vestibis adolescentis in domum Phædriæ domini sui comprehensus est. Statimque flagellis afflictus confessus est ordinem rei, quod adhuc latebat Phædriam. At cetera, quæ ipse comicus urbanissime dilatat, sequentia perlegens animadvertere quibit.

PROLOGUS.

Si quisquam est, qui placere se studeat bonis
 Quam plurimis, et minime multos lædere,
 In his Poëta hic nomen profitetur suum.
 Tum si quis est, qui dictum in se inclementius
 Existimabit esse, sic existimet:

5

Si ullus est, cui admodum curæ sit, plerisque se gratum esse, nullosque offendere, hos inter Poëta noster dat nomen suum: tum, si quispiam est, qui acerbius aliquid in se dictum suspicetur, sic arbitretur, et sciat, hoc responsum esse in defensionem

1 Bentleius, 'nisi,' inquit, 'pro studeat legeris studeant, verba In his inepta videntur.' Idem testatur se in quatuor Prisciani exemplaribus studeant reperisse. Probat Ruhken.—3 Hic abest Gu. 1. quod sententiæ quidem causa facile feramus, ut alibi in prologis, nisi respondere sibi videntur hic et his. Both.—5 Existimet esse, sic existimet] Donatus videtur legisse Existimat, pro Existimavit: sed non stat versus; liber vero Bem. et Eug. in hunc mo-

Responsum, non dictum esse, quia læsit prior,
 Qui bene vertendo, et eas describendo male,
 Ex Græcis bonis Latinas fecit non bonas.
 Idem Menandri Phasma nunc nuper dedit.
 Atque in Thesauro scripsit, causam dicere

10

Terentii lacessiti, non dictum in contumeliam Larinii lacessentis, qui prior maledictis illum provocavit, qui bene vertendo fabulas, dum verba verbis reddit, et eandem scribendo male, dum sententiam obscurius exprimit, ex Græcis bonis Latinas fecit non bonas. Idem Larinius Menandri comædiam Phasma, hoc est, Spectrum nominatum, recens admodum spectandam edidit; atque in Thesauro, aliæ Menandri

//////////

dum habent: *Existimavit esse, sic existimet*: ita et alii fere om. libb. script. sed eo amplius, post *existimet*, in aliquibus est *presumat*, in aliquibus vero, *sciat*, *presumat*: [ut G. Br. Guelf. 2. 3. ET. EM. qui duo pr. codd. et EM. etiam *Existimavit*, ET. *Existimat*. Gifanius quoque in Ind. Lucret. v. 'Fac,' defendit *rd sciat*:] ut facile appareat ea verba inculcata ex glossemate alicujus interpretantis verbum *existimet*. Fa. Idem censent West. Perlet. Guelf. 1. habet, *Existimat hoc esse, sic existimet, sciat presumat*. 'Plures ex nostris *Existimavit*; unus *Existimabit*. Sane sententia ipsa futurum postulat: 'Si quid in hoc prologo dicturus est inelementius.' Legendum tamen, *Existimavit e. sic e.* 'Siquis existimaverit,' ut vs. 1. 'Siquis studeat.' Donatus ad locum: *Existimat pro Existimavit*: Corrige, *Existimavit pro existimaverit*. Bent. Lectionem Bent. dant Both. Perl.—6 Bodl. *quid læsit prius*. Et *rd prius* est in Mss. pluscis. In Lips. et aliis, [G. Br. Bent. codd. Guelf. 1. 2. cum ET. et EM.] *quale sit prius*: barbære: quo magis mirum, Erasmus huic lectioni favere. Phorm. Prol. 14. 'Vetus si Poëta non lacessisset prior.' *Wesl.* Nostram lect. exhibent Bem. V. Eug. Bent. Perl. Both. Probat quoque Fa. Z. habet *quia læsit prius*.—7 Varii varie hunc locum tentarunt. Guy. cum deploratum videret, legere maluit: *Qui male vertendo, et eadem scribendo male*. Vereor ne male. Mihi omnino nihil mutandum videtur; quanquam assentior Guyeto et Bœclero, Terentium non tribuisse malevolo Poëta laudem bene vertendi. *West.* Legendum monet Fa. ex Bem. *et eandem scribendo male*. Est et hæc lectio in Vi. licet is pro scribendo habeat *conscribendo*, Eug. F. H. Bent. Perl. Z. Bothius legit, *et eadem scribendo male, ex*. Cum præpositione item finiunt Bent. Perl. Mur. Alii incip. ead. sequentem.—8 Sic Fa. sed *Ex* priori potius versui apponendum: ut inf. v. 2. 20. 'Quin involem in Capillum.' Neque enim eum viro docto tam facile corripuerim syllabam, cum positione, tum natura longam. *Bent.*—9 Totus hic versus arena sine calce est: nec cum prioribus nec cum sequentibus cohæret. Equidem in Donato Ms. hoc legi, quod in editis non reperitur: 'Item, id est similiter.' Unde sic legendum constat: *Item ut M. P. n. n. d.* Bent. Nihil est hoc verbi *nunc nuper*: *per*, in *nuper*, absorpsit sequentem similem syllabam, *nu* autem male geminatum in *nunc* degeneravit. *Both.* Legit igitur idem: *Item ut M. P. nuper perdidit*. Alii pro *Phasma* legunt *Pharma*, al. *fana*. In Ms. Lips. superscript. *Fabula, quam ego scripsi*.—10 Bodl. a *Thesaurō*. In aliis *Thesauro*, quomodo Par. et alii ediderunt. Sed et Riv. ex Do. verbis conjicit, ita scripsisse Terentium. Dno Leidd. et Ms. Lips. alter, a *Thesauris*, alter, a *Thesauro* legunt, *West. G. R. ET. EM. Z. a Thesauro*. Guelf. 1. a *Thesauris*. *Atque in thesauris*] *Corr. in a thesauris*. Edit Zeun. a *thesauro*. Nostri codicis lectio est nuice vera: nam *thesauros* est nomen Græcum fabulæ *θησαυρος* Latinis literis expressum. *Bruns. Atque a thesauro*] *Alias a the-*

Delph. et Var. Clas.

Terent.

2 C

Prius, unde petitur, aurum quare sit suum,
 Quam ille qui petit, unde is sit thesaurus sibi;
 Aut unde in patrium monumentum pervenerit.
 Dehinc, ne frustretur ipse se, aut sic cogitet:
 Defunctus jam sum, nihil est quod dicat mihi. 15
 Is ne erret moneo, et desinat lacessere.
 Habeo alia multa, quæ nunc condonabitur;
 Quæ proferentur post, si perget lædere
 Ita, ut facere instituit. Quam nunc acturi sumus
 Menandri Eunuchum, postquam Ædiles emerunt, 20
 Perfecit, sibi ut inspiciundi esset copia.

fabula, inducit possessorem, qui rei partes sustinet, prius causam dicentem, quare The-saurus auri inventus ad se pertineat, quam petitur, qui actor est, unde sibi is obvenit, aut unde in patris sepulcrum reconditus sit. Deinde, ne fallat sese, aut sic animo putet: Defunctus jam sum periculo et expers omnis reprehensionis: nihil est, quod mihi objicere possit Terentius. Hunc Lavinium, ne erret, præmoneo, et cesset me irritare. Possum alia plura expostulare, quæ in præsentem rem remitto; quæ postea expromentur, si perget maledictis me offendere, ita ut jam incepit. Is, postquam Ædiles emerunt Eunuchum comædiam, quam nunc daturi sumus in theatrum, consecutus est ut hanc sibi spectandi potestas fieret. Vix præsentem Magistr-

sauris: puto fuisse scriptum, a thesauro is. Er.—12 Tres ex nostris ille, multi illi, unus illum: sed illic adsciscamus ex tribus codd. Rivii, G. F. et Lind. Bent. Bem. V. Br. Do. Perl. Z. ille. Bothius legit, Quam illunc . . . sibi aut, et, 'illic,' inquit, 'vitiose: sequimur unum Bentleii cod. Jam unde similiter positum atque in antecedente vs. Aut in extremis vss. passim invenitur, velut Ad. Act. 1. Sc. 1. vs. 13.' 'Quam ille supplendum facit; alioquin illum dicendum erat. V. Giphani in ind. Lucretii v. 'comparativus.' R. D. Quam illic] Illic pro ille, ut alias sæpe: unde esset, alias is sit. Er.—13 M. pervenit.—14 Alii, fruletur. Rursus alii, fraudetur: quomodo et est in Lips. altero, in altero, defraudet. R. frustret, in aliis fraudet. GM. Br. aut si cogitet.—16 R. et unus Leidd. cesset. Br. J. desinet.—17 Variant libri. J. C. Scaliger condonabuntur malebat, [ita quoque G. Br. ET. EM. et Donati vetustissima Du-Boisiana,] ut sit Senarius claudicans. Atque ita est in tribus Leidd. Lips. duobus, Bodl. omnibus codd. Bæcl. Pall. quatuor et G. F. In editis ita exhibent EV. 1. Junt. alicæque veteres. Glar. condonabimus præferebat. Riv. condonabitur tuetur, etiam Donati auctoritate. West. Egregie, inquit Bentleius, CCC. nunc quæ condonabitur: ita quoque habet ed. Both.—19 Vulg. nunc quam. Do. acturi simus.—22 Recte tres, inquit Bent.

NOTÆ

11 Prius, unde petitur, aurum] Is quod est contra consuetudinem judiciorum.
 unde petitur, id est, possessor, a quo possessio rei petitur, qui rei partes sustinet, qui est defendeur. Petitior vero est actor, demandeur. Terentius arguit Lavinium induxisse possessorem prius agentem, quam petitorum, pro, tibi.

17 Quæ nunc condonabitur] Veteres 'condono' jungebant accusativo: sic in Phormione Terentius: 'Argentum, quod habes, condonamus te,' pro, tibi.

Magistratus cum ibi adesset, ocepta 'st agi.
 Exclamat, Furem, non Poëtam, fabulam
 Dedisse, et nihil dedisse verborum tamen :
 Colacem esse Nævî et Plauti, veterem fabulam : 25
 Parasiti personam inde ablatam et militis.
 Si id est peccatum, peccatum imprudentia 'st
 Poëtæ : non qui furtum facere studuerit.
 Id ita esse, vos jam judicare poteritis.
 Colax Menandri est : in ea est parasitus Colax, 30
 Et Miles gloriosus : eas se non negat
 Personas transtulisse in Eunuchum suam
 Ex Græca : sed eas fabulas factas prius
 Latinas, scisse sese, id vero pernegat.

tu, agi cæpta est, cum vociferatur, furem esse, non poëtam qui hanc comædiam dedit, nec eum dedisse dicendum esse, cum ne verbum quidem apposuerit de suo. Hanc esse Comædiam Colacem dictam, id est, Assentatorem, jam olim a Nævio et Plauto editam. Personam Parasiti ex ea furto ablatam et Militis esse a Terentio. Si id fecisse peccatum est, imprudens et inscius ille peccavit: nec enim ullum furtum meditatus est. Id verum esse, vos, spectatores, arbitrari modo poteritis. Colax comædia a Menandro facta est; in ea Parasitus Colax inducitur, et Miles gloriosus. Eas personas fatetur quidem se transposuisse in Eunuchum, Comædiam suam, ex Græcu; sed prius interpretatione Nævii aut Plauti Latine versus esse, id

~~~~~


ex nostris antiquissimi *adessent*: ita quoque ed. Perl. Legendum potius *adessent* censent R. D. Post vs. 20. in Both. sequitur ille, cujus initium *Perfecit*, quem deinde excipiunt verba, *Magistratus, cum ibi adesset*.—23 In Ms. Lips. altero, *furem esse*.—24 *Nihil post tamen* Guelf. 3. Alii legunt *nil*.—25 Cod. bonus CCC. *Nævi Plauti*, sine conjunctione *et*. Fallor, an sic dedit Terentius: *Colacem esse nempe, Plauti, v. f. Bent. Nempe* Bent, omitt. *Nævî et*. Nam *Nævii* putat nullibi *Colacem* memorari. At vero a Nonio et Prisciano 'Colax Novii' memorari, quod *Novii* pro *Nævii* corruptum facile putes. *Perl. Both. Nævii aut P. Br. Nevii*.—27 *Br. imprudentiæ est, male*, iudice *Perl.*—28 Antiquissimi libb. *quo* habent, non *qui*: *quo* autem pro *quod* exponendum. *Fa. Unns etiam Bent. vetustiss. Edd. Perl. Both. Z. quo. Ut pro quo* Guelf. 3.—30 Pro *Colax* utroque in loco reponendum censet *Both. Corax*.—31 Legendum monet *Bent. probante Perl. eas se hic n. n. idem quoque Both. Et eas* Guelf. 2.—34 Hæc lectio placet mihi propter *versum*: quamvis omnes libb. scripti non habeant nisi unum *se*: et in *Bem.* ubi geminatum erat, posterius sit deletum. *Fa. Male factum, quod ex Bem. deleverunt se. Fallitur enim vir doctus, cum versus stare posse opinetur unico se. Omnes Faëрни præter Bem. et nostri universi ibi sese habent. Bent. Br. G.*

#### NOTE

34 *Id vero pernegat*] Non negat Te- sed accepisse ex Nævio et Plauto  
 rentius ex Colace Menandri se per- pernegat.  
 sonam Militis et Parasiti transtulisse,

Quod si personis iisdem uti aliis non licet, 35  
 Qui magis licet, currentes Servos scribere,  
 Bonas Matronas facere, Meretrices malas,  
 Parasitum edacem, Gloriosum Militem,  
 Puerum supponi, falli per Servum Senem,  
 Amare, odisse, suspicari? denique 40  
 Nullum est jam dictum, quod non dictum sit prius.  
 Quare æquum est vos cognoscere, atque ignoscere,  
 Quæ veteres factitarunt, si faciunt novi.  
 Date operam, et cum silentio animadvertite,  
 Ut pernoscatis, quid sibi Eunuchus velit. 45

*vero se ignoravisse pertendit. Quod si personis iisdem, quibus veteres Comici usi sunt, novis Poëtis uti non licet, cur magis licet festinantes servos facere, bonas matres-familias in scenam producere; meretrices malas, parasitum voracem, gloriosum militem, partum falsum supponi, deludi per servum senem dominum, amores, odia, suspiciones? Postremo nihil dici nunc a nobis potest, quod non ab aliis ante nos dictum fuerit. Quamobrem æquum est vos, Spectatores, cognoscere quantum liceat Poëtis in imitando sibi sumere, atque ignoscere, si novi ab antiquis, quæ sibi conveniunt, quandoque mutantur: cum antiquis idem crebro fucere licuerit. Vos, Actores, attentis spectate, et cum silentio advertite, ut sciatis quas res contineat atque exprimat Eunuchus Comædia.*



et EM. habent *se*.—35 Q. s. p. *iisdem uti aliis n. l.*] In Bem. est, *iisdem huic uti n. l.* quarum lectionum utra melior sit, statuere nescio: interim vulgata tenebimus. *Fa.* Atqui facile erat, ntra melior esset, statuere. Recte aliis, quia multi tum una florebant poëtæ: non huic, quasi hic solus tum scriberet. *Bent.* Lips. et Br. *hisdem*.—36 Alii *discurrentes*. *Fa.* ex Bem. tuetur *currentem servum*, quod probant Guy. Both. Vulgarem lect. defendit *Bent.*—38 Hic vs. abest Both.—41 Quinque ex nostris, *non sit dictum*. Credo Poëtam sic dedisse, *N. est jam dictum, dictum quod non sit prius*. *Bent.*—42 J. nos pro vos.—44 Ab antiquis libb. abest copula *et*; sed hoc amplius Bem. et Bas. habent, *animum attendite*: eandem lect. continet et Donatus, licet aliqua ex parte corruptus: ita enim dicit: ‘Nos dicimus *attendite*, quod Veteres plene *animadvertite*:’ ubi pro *animadvertite* legendum *animum attendite*: lectionem vero Donati, quæ impressa est, in nullo l. s. ejus inveni: est autem locutio Terentiana, ut in Phorm. ‘Nunc quid velim animum attendite.’ *Fa.* Tres etiam *Bent.* et Both. *Perl. animum attendite. Pall. animadvortite. ‘Donatus,’* inquit *Zeun.* ‘apud Terentium legit haud dubie *animum advertite.*’

#### NOTÆ

35 *Quod si personis*] Defendit ar- quibus illis Nævio et Plauto, uti per-  
 gumento a pari, licere sibi iisdem, sonis.

## ACTUS I. SCENA I.

PHÆDRIA. PARMENO.

PH. QUID igitur faciam? non eam? ne nunc quidem,  
 Cum accessor ultro? an potius ita me comparem,  
 Non perpeti meretricum contumelias?  
 Exclusit: revocat: redeam? non, si me obsecret.

PA. Si quidem hercle possis, nihil prius, neque fortius: 5  
 Verum si incipies, neque pertendes naviter;  
 Atque ubi pati non poteris, cum nemo expetet,  
 Infecta pace, ultro ad eam venies, indicans  
 Te amare, et ferre non posse; actum est! ilicet!  
 Peristi! eludet, ubi te victum senserit. 10  
 Proin tu, dum est tempus, etiam atque etiam cogita,

PH. Quid igitur agam? egone illam non adeam? ac ne quidem nunc, cum ipsa  
 Thais sponte me vocet? an potius ita me parem, ut perpetuo non feram meretricum  
 injurias? Expulit foras, rursus accessit: revertarne ad illam? Non, si per sacra  
 omnia me obtestetur. PA. Per Herculem, si quidem valeas id facere, nihil melius,  
 neque præstantius: verum si, ubi inceperis, non persererabis fortiter, atque, ubi  
 amplius vim amoris ferre non potueris, si ad Thaidem, minime te desiderantem, non  
 reconciliata pace, volens redibis, ostendens te ejus amore ardere, neque affectui posse  
 resistere; desperata res est, statim perditus eris: illa ludibrio te habebit, ubi te  
 domitum a se cognoverit. Itaque, dum per tempus licet, cum nondum quicquam

1 Non eam?] Ita distinxit, secutus auctoritatem Val. Probi, veteris Terentii  
 interpretis, quem laudat Do. Sed et ita edidit Aldus, Fabrini, Dac. alii.  
 Pro vulgata tamen distinctione facere videtur locus And. i. 2. 30. West. Ita  
 quoque Both. Perl. Br. et Bent. vulgarem lect. habent, non eam, ne nunc.—  
 2 In J. Cum omittitur. Br. accessor.—5 Secundum Donatum Phædria  
 hæc secum loquitur. Hinc Fa. inductus esse videtur, ut, contra omnes,  
 quos viderim codd. Phædriæ tribueret omnia usque ad vs. 12. Male. Et-  
 enim ab hoc vs. 5. usque ad 25. esse perpetuam Parmenonis consulentis  
 orationem recte olim vidit Mur. Bent. Both. nil fortius.—6 G. F. et Lind.  
 ex Charisio laudant, neque pol tendes naviter. Præstat autem vulgatum. Sic  
 Heaut. v. 5. 9. In Lips. et aliis est, perficies. West. Perficies naviter] Per-  
 tendes naviter, videtur antiquius: quod in Bem. et nonnullis aliis antiquis  
 libb. est. Fa. Nostri quidem perficies: sed Charisius p. 185. et Servius ad  
 Æn. i. 41. pertendes. Bent. Alias pertendas Er.—7 Guy. præter genium Te-  
 rentiani sermonis, cum neno expetet, h. e. cum res non expetet. West.—9  
 Br. Eam te amare. G. et Guelf. 2. actum ilico est.—10 GM. eludet te.—11  
 Sunt libb. atque in iis Lips. et Br. codd. ubi lic vs. tribuitur Phædriæ: ita  
 quoque Z. habet. Bent. Perl. et Both. legunt et distinguunt: Proin tu, dum

## NOTÆ

1 Quid igitur] Hoc 'igitur' signi- isse collocutum, priusquam in sce-  
 fiat, Phædriam multa cum servo fu- nam prodiret.

Here : quæ res in se neque consilium, neque modum  
 Habet ullum, eam consilio regere non potes.  
 In amore hæc omnia insunt vitia : injuriæ,  
 Suspiciones, inimicitia, induciæ, 15  
 Bellum, pax rursus. Incerta hæc si tu postules  
 Ratione certa facere, nihilo plus agas,  
 Quam si des operam, ut cum ratione insanias.  
 Et quod nunc tute tecum iratus cogitas,  
 Egone illam ? quæ illum ? quæ me ? quæ non ? sine modo, 20  
 Mori me malim : sentiet qui vir siem.  
 Hæc verba, una mehercle falsa lacrymula,  
 Quam oculos terendo misere, vix vi expresserit,  
 Restinguet : et te ultro accusabis : et dabis ei  
 Ultro supplicium. PH. O indignum facinus ! nunc ego et 25

*incipi, diligenter considera quid facere debeam. Domine, rem, quæ consilio et moderatione caret omni, eam prudentia gubernare non vales. Amor hæc omnia in se habet mala: contumelias, zelotypiam, dissensiones, pacem ad tempus, bellum, post bellum pacem iterum; hæc cum sint instabilia, si velis ratione stabilia reddere, nihilo plus proficias quam si desideres, ut quis cum ratione insaniat. Quæ autem nunc ira commotus animo agitas: Egone illam Thuidem adeum, quæ illum Thrasionem mihi prætulit? quæ me sprexit? quæ me heri non admisit? potius mortem præoptaverim: sine modo, me virum fortem experietur. Per Herculem hæc per iram prolata verba, una fallace lacrymula, quam, leviter oculos fricando, vix vi extraxerit, delebit; et te ipse sponte tua culpa reum argues apud illam, et puniendum præbebis. PH. O crudele factum! Nunc ego et illam deterrimam esse, et me*

~~~~~

est tempus, etiam atque etiam hoc cogita, Here.—13 Lege, eam rem. Vetuste. Hoc pacto ex laxo densior fit vs. et solidior. Bent. In cod. B, inter lineas rem, ut omissum, manus serior ascripsit; sed nihil equidem muto, nec vs. desidero solidiorem. Both. Rem habet GM. in textu. Ex versu hoc et priori Fa. fecit numm. Perl.—22 Et versui et sententiæ gratificaberis, si sic reponas: Hæc verba ea una m. f. lacrymula. Bent. Vulg. mehercle, invitis vett. edd. Donato, metro denique: nam una obscurari in thesi (legitur autem vulg. una mehercle falsa), minime terendum. Both. qui igitur legit: Hæc verba, mehercule, una falsa l. Al. script. lacrymula.—23 M. o tergeudo misere. Tr. cum EV. 1. et paucis aliis, misera habent: quomodo et Donatus videtur legisse; quod conficias ex ejus verbis: 'non, utro flens, sed, oculos terendo:' ubi major emphasis et ἀγῆρας fuerat, si dixisset, misere terendo. West. Lege misera, non misere. Qui hoc non probet, parum in Terentio profecit. Quamvis Servius ad Æn. ii. 196. misere; et Charis. p. 181. misere hic exponat, male. Bent. Both. misera vix ex. Misera quoque probat Kulinken.—24 Mallent Fa. G. F. Mur. et Guy. accusabit. Atque ita est in duobus Leidd. et Lipsianis, G. [Bem. Br. Both. Z.] et EM. Sed et ita in nno cod. exarato legebat Bœcl. Miinus tamen accurate, opinor. West. Accusabit nostri omnes. Ceterum tu sic verba dispone: Accusabit, et dabis Ultro ei s. Bent. 'Sic,' inquit Perl. 'Er. Mur. West. ob struct. et sens. verborum, commode. Al. accusabit.'—25 Tò et in om. edd. ap. nos præterquam Both. vs. seq. incipit.—26 Both. Illanc

Illam scelestam esse, et me miserum, sentio :

Et tædet : et amore ardeo : et prudens, sciens,

Vivus, vidensque pereo : nec quid agam, scio.

PA. Quid agas ? nisi ut te redimas captum quam queas

Minimo : si nequeas paululo, at quanti queas : 30

Et ne te afflictes. PH. Itane suades ? PA. Si sapis :

Neque, præterquam quas ipse amor molestias

Habet, addas : et illas, quas habet, recte feras.

Sed ecca ipsa egreditur, nostri fundi calamitas.

Nam, quod nos capere oportet, hæc intercipit. 35

infelicem video, et tædio ejus afficior, et amore flagro, et intelligens, sentiens, spirans, inspiciensque in exitium rno ; nec, quid agam, scio. PA. Quid facius, nisi ut te captivum liberes pretio quam vilissimo possis ? si nequeas parvo, at quanti possis, neque te aegritudinibus animi consumas. PH. Itane suades ? PA. Si mente sanus es, neque præter eas sollicitudines, quæ amorem solent sequi, alias his adjungas ; atque eas, quas præbet, æquo animo sustineas. Sed ecce ex ædibus prodit agri nostri calamitosa tempestas ; nam, quod nos colligere oportet, illa totum aufert et capit.

see.—30 J. Nimio.—32 G. ET. et EM. præter quas.—33 In Both. rð et deest.—34 Sed ipsa egreditur] Nullum lib. vidi in quo non ita legatur, Set eccu ipsa e. ratio carminis constat, si ex Set, elidas t. Fa. Eadem chorda semper oberrat : noli t elidere, sed ec corripere. Bent.—35 In Lips. est, Jam quod nos.

NOTE

34 *Nostri fundi calamitas*] ‘ Calamitas ’ est grandio et tempestas, quæ calamos segetum prosternit et conterit : unde Cicero Verrem vocat ‘ calamitosam tempestatem.’

35 *Nam, quod nos capere oportet*] Id est : Thais, nostra perniciēs, quæ Phædrum, herum meum, sumtibus absumit, capitque omnia quæ alioquin ab illo in nos conferrentur.

ACTUS I. SCENA II.

THAIS. PHÆDRIA. PARMENO.

TH. MISERAM me ! vereor ne illud gravius Phædria

Tulerit, neve aliorsum, atque ego feci, acceperit,

Quod heri intromissus non est. PH. Totus, Parmeno,

TH. Heu me infelicem ! dubito ne illud molestius quam debeat Phædria tulerit, neve in aliam partem, atque ego feci, acciperet, quod hesternæ die in aules meus admissus non est. PH. Totum corpus, Parmeno, mihi tremore concutitur, horret-

Tremo, horreoque, postquam aspexi hanc. PA. Bono animo es :

Accede ad ignem hunc, jam calesces plus satis. 5

TH. Quis hic loquitur? ehem, tun' hic eras, mi Phædria?

Quid hic stabas? cur non recta introibas? PA. Ceterum

De exclusione verbum nullum. TH. Quid taces?

PH. Sane, quia vero hæ mihi patent semper fores:

Aut quia sum apud te primus. TH. Missa istæc face. 10

PH. Quid missa? o Thais, Thais, utinam esset mihi

Pars æqua amoris tecum, ac pariter fieret,

Ut aut hoc tibi doleret itidem, ut mihi dolet,

Aut ego istuc abs te factum nihili penderem.

TH. Ne crucia te, obsecro, anime mi, mi Phædria. 15

Non pol, quo quenquam plus amem, aut plus diligam,

Eo feci: sed ita erat res: faciendum fuit.

PA. Credo, ut fit, misera præ amore exclusti hunc foras.

que frigore, ubi hanc videre cepi. PA. Fac alto fortique sis animo, ne perturberis: si horres frigore, accede ad hunc ignem (nimirum Thuidem): jam calesces plusquam satis sit. TH. Quis hic loquitur? hem, tune eras, mi Phædria? quid hic stans manebas? cur non recta domum ingredieris? PA. De cetero, quod excluserit tibi Phædriam, introducto milite, ne unum quidem verbum protulit. TH. Quid taces, Phædria? PH. Quasi vero hæ mihi semper apertæ sint fores, aut quia ex tuis amatoribus tibi sim præcipuus gratia. TH. Omitte hæc odiosa verba. PH. Omittam? O Thais, Thais! utinam mutuo amore mihi responderes, fieretque ut injuriæ, quam mihi fecisti, memoria te æque ac me cruciaret, aut nihili eam æstimarem. TH. Ne te dolore affligas, obsecro, mi animule, mi Phædria; non, per Pollucem, non id propterea feci, quod alium ullum majori amore, quam te complectar, aut curiorem habeam, sed in eo statu res erat, ut ita facere me oportuerit. PA. Sane vero, ut fieri solet, propter amorem, quo illum prosequitur, eidem occlusit



4 M. esto pro es. Sed et ita Pall. tres, West.—6 J. obloquitur. Vulg. tu' eras hic.—7 Lips. recta intrabas. Guelf. 1. introib. via.—12 Aut pro ac Guelf. 1. Ac pariter fieret, ut] In lib. Bem. particula ut subsequenti versui adjungitur: ita 'fieret' primam producit. Fa.—13 Both. fieret, Aut tibi h.—14 Cod. Academicus, vili penderem.—15 Lips. alter et G. cruciare. Anime mi Phædria] Sic Fa. [G. Br. ET. EM. Z.] errato opinor Typographi. Recte alii, anime mi, mi Phædria. Bent. Both. legit: Ne crucia nimirum te, obsecro, mi Phædria! et notat, 'Ne crucia te, obsecro, anime mi, Phædria, versu liante. Bent. anime mi, mi Phædria, κακοφώνως. Corruptum censeo verbum anime, a quo prope abest, quod reposui, nimirum. Cf. Heaut. 180.'—18 Bodl. excludit: patet vero Donatum vel exclusti legis-e, quod tuetur Fa. vel exclusisti. Pr. lib. XIV. et Lips. exclusit. West. Verba Fæрни hæc sunt: 'Exclusit hunc foras] Ita ut supra habent omnes antiqui libb. at omnes recentes et Do. ac Pr. exclusisti: ego exclusti legendum arbitror, ordine tantum dnam literarum ex antiqua lect. immutato: ita conveniet cum verbis Donati dicentis, 'Parmenonem hoc intulisse παρά προσδοκίαν, intiendo puellam, et

TH. Siccine ais, Parmeno? age! sed huc qua gratia
 Te accessi jussi, ausculta. PH. Fiat. TH. Dic mihi 20
 Hoc primum, potin' est hic tacere? PA. Egone? optume.
 Verum heus tu, hac lege tibi meam astringo fidem:
 Quæ vera audivi, taceo, et contineo optume;
 Sin falsum, aut vanum, aut fictum est, continuo palam est.
 Plenus rimarum sum, hac atque illac perfluo. 25
 Proin tu, taceri si vis, vera dicito.
 TH. Samia mihi mater fuit: ea habitabat Rhodi.
 PA. Potest taceri hoc. TH. Ibi tum matri parvolam
 Puellam dono quidam mercator dedit,

fores. TH. *Siccine loqueris, Parmeno? perge modo. Sed tu, mi Phædria, quam ob rem te huc acceri mandari, attente audi.* PH. *Sic fiat.* TH. *Dic mihi, Parmeno iste potestne tacere?* PA. *Egone? Optime possum; verum, heus tu, hac conditione fidem tibi do; quæ audivi, si vera sunt, ea recte sileo et fideliter servo: sin falsa, aut vana, aut ficta sunt, confestim omnibus ea manifesta facio: pertusus et rimosus sum, comissa mihi undique transmitto et effundo: itaque dicito vera, si ea me tacere voles.* TH. *Mater mihi e Samo insula fuit; ea Rhodi manebat.* PA. *Hoc verum esse puto, peregrinam fuisse ei matrem: tacebitur.* TH. *Ibi tum matri quidam mercator puellam parvulam donavit, ex Attica inde usque abreptam.*

//////////

ei Phædriam ostendendo; quæ in *excluserit* locum habere non possunt. Recte Fa. *excluserit*. Duo ex nostris *excluserit*. Ceteri *excluserit*: ut et Pr. p. 997. etiam in Scriptis; non ut Fa. citat, *excluserit*. Bent. Br. habet *excluserit*. Perl. *excluserit*.—19 *Siccine agis, Parmeno*] Leidd. tres cum Tr. et M. [Br. Both. Z.] *Siccine ais, P.* Sed et ita recensuit Heinsius. Accedunt impressorum vetustissimi, etiam EP. Unde malim ita legere. Respiciuntur enim verba Parmenonis; et continuo sequitur *age*. West. Quinque antiqui libb. ap. Fa. omnes Bent. duobus exceptis, *agis*. Ita quoque Perl. 'In Ms. alterius lectionis vestigia extant, *age sis huc, &c.* quod verius arbitror.' Lind. Ita quoque Par.—20 *Al. accersi*.—24 *Pro aut vanum*, unus ex nostris Academicus *aut varium*, alter R. *aut vacuum*. Certe in isto *aut vanum* mendum latitat. Lego *Sin falsum audiverim ut fictum c. palamst*. Vides ut ex illo *audiverim*, facta sint *aut varium, aut vacuum, aut vanum*. Ceterum ac lege, non *aut*; quæ duo passim permutantur. Bent. Pr. p. 999. *falsum aut fictum*, omisso *aut vanum*: sed p. 1143. omnia tria habet, etiam in scriptis exemplar.—25 Bent. legit *perfluo*: [ita quoque Both.] sed elegans est vulg. scriptura. R. D. vulg. etiam probat Perl.—26 J. *taceo pro taceri*. *Taceri*] Tuenda hæc lect. contra Fabrum, ex codd. vetustis et Donato. West. Both. *si vis taceri*.—28 Omnes nostri unanimi consensu, et edd. vett. *tum ibi*. Utrumvis probe. Bent.—

NOTE

27 *Habitabat Rhodi*] Rhodus, Carpathii Maris Insula nobilissima, ambitu 120. mille passuum. Carpathus, Scarpanto nunc dicta, insula est, me-

dia inter Cretam et Rhodum, contra Ægyptum: huic parti Maris Ægæi nomen dedit.

Ex Attica hinc abreptam. PH. Civesne? TH. Arbitror: 30

Certum non scimus: matris nomen et patris
Dicebat ipsa: patriam et signa cetera
Neque sciebat: neque per ætatem etiam potuerat.
Mercator hoc addebat, e prædonibus,
Unde emerat, se audisse, abreptam e Sunio. 35

Mater ubi accepit, cœpit studiose omnia
Docere, educare, ita uti si esset filia.
Sororem plerique esse credebant meam.
Ego cum illo, quo cum tum uno rem habebam hospite,
Abii huc: qui mihi reliquit hæc, quæ habeo, omnia. 40

PA. Utrumque hoc falsum est: effluet. TH. Qui istuc?
PA. Quia

PH. Civesne Atticam? TH. Opinor: id compertum nobis nondum est. Ipsa puella patris et matris nomen dicebat. Patriam et signa cetera, quibus agnosci posset, ignorabat; neque propter ætatem primam scire potuerat. Mercator, ad patris et matris nomen quod puella dicebat, hoc adungebat, se accepisse a piratis, a quibus emerat, eam raptam fuisse e Sunio, Atticæ promontorio. Mater, ubi hoc inaudivit, summa diligentia et cura omnium docuit quæ ingenuam decent, et educavit quasi suam filiam, adeo ut vulgo soror mea esse crederetur. Ego cum illo, quocum solo consuetudinem habebam, tum advena Attico, huc Athenus Rhodo veni: ille mihi omnia hæc bona, quæ possideo, moriens reliquit. PA. Utrumque hoc falsum est, ideoque effundetur: hoc tacere non potero. TH. Quomodo istud? PA. Quia

~~~~~

30 M. arreptam: quod et in Lips. et plusculis aliis.—31 Lips. alter, *Certum nescimus*.—32 EP. *signa certa*.—33 Varianti codd. Mss. et impressi. Cerda ad Virg. Æn. xi. 572. *scibat* tuctur. *Potuerat*] Forte Latinius, *poterat*, quod alii libb. præferunt, quia scilicet *sciebat* præcessit. Atque ita est in uno Leid. [Br.] Tr. vero, *etiam scire potuerat*. Lipsii cod. dubie, *potuerat*. West. Fa. Both. Z. *potuerat*. Corrigit Bent. N. *scibat*, n. p. æ. *etiam potis erat*. Ita quoque Perl. Tunc *potuerat* omisso *etiam* Guelf. 3.—35 Mss. quidam: *Unde eam emerat*. Lips. *Inde emerat*. G. et EM. e *Suno*. ‘Cicero ad Att. 7. 3. citat, *captam e Sunio*: nisi forte, ut Bœcl. existimat, Terentii verbum exciderat memoria.’ Perl.—36 Vulg. a. *cæpit studiose o.* ex int. et *κακοφύων*, maleque posito verbo *studiose*, inquit Both. qui legit: *accepit, studio cæpit o.*—37 Alii *educere*: quod frequentius apud Nostrum, et defendit Riv. postulatque metrum. West. *D. educere, ita ut s. e. f.*] Videtur hæc lect. inde sumta, quod infra dicitur ‘*eduxit mater pro sua*.’ Sed nullus liber est in quo sit, *educere*: quam lect. si admittere voluerimus, non oportebit *συνάλεφθεν* facere in, *ita ut*. Fa. Nostri quoque omnes *educare ita ut*. Sed vide superstitio quid facit. Maluit ignoratæ artis crimen auctori impingere: quam ab ignaris librariis vel literam discedere. Lege ut jam a centum annis edd. meliores: *D. educere, ita uti si e. f.* Vir doctus recte hic *educere*: sed cum *ita ut*, gemente versu, retinebat, corrupti beneficium. Bent. Perl. Both. *educere, ita uti*. Br. Z. *educare, ita ut*.—39 Quo cum uno rem habebam tum h. vulg. Bent. Perl. Both. pro quocum legendum monent *quicum*: aliter ut nos habent. *Amorem pro uno rem* Guelf.

Neque tu uno eras contenta, neque solus dedit :

Nam hic quoque bonam magnamque partem ad te attulit.

TH. Ita 'st : sed sine me pervenire, quo volo.

Interea miles, qui me amare occeperat, 45

In Cariam est profectus : te interea loci

Cognovi : tute scis, post illa quam intimum

Habeam te : et mea consilia ut tibi credam omnia.

PH. Ne hoc quidem tacebit Parmeno. PA. O dubiumne id est?

TH. Hoc agite, amabo. Mater mea illic mortua 'st 50

Nuper : ejus frater aliquantum ad rem est avidior.

Is ubi hanc forma videt honesta Virginem,

Et fidibus scire, pretium sperans, illico

Producit, vendit : forte fortuna affuit

Hic meus amicus : emit eam dono mihi, 55

Imprudens harum rerum, ignarusque omnium.

Is venit : postquam sensit me tecum quoque

Rem habere, fingit causas, ne det, sedulo.

*neque unus tibi amator fuit satis, neque hospes Atticus ea, quæ habes, solus dedit : hic enim quoque (Phædria) magnam et potiorem partem tibi largitus est. TH. Haud nego ; sed sine orationem, quo tendit, pervenire. Interea miles, qui ad me animum adjecerat, in Cariam se contulit : tecum interea consuevi ; tu ipsemet non ignoras, post illa tempora quam intimum maxime omnium in meo amore et familiaritate sis, et ut mea omnia tibi communicem consilia. PH. Ne hoc quidem Parmeno tacebit, cum etiam falsum sit. PA. Oh, quisnam dubitet hoc esse falsum? TH. Attendite mihi, quæso. Mater mea illic mortem obiit nuper : ejus frater aliquanto lucri cupidior est ; is, ubi hanc vidit virginem specie venusta esse, et scire fidibus canere, pretium sperans magnum, statim matre mortua, eam venum exponit, vendit. Forte fortuna hic præsens interfuit Thraso meus amicus, qui huius rerum inscius Pamphilum emit, quam mihi dono daret ; is Athenas rediit ; postquam cognovit me tecum quoque consuescere, excusationes studiosè excogitat, ne cum tradat :*

3.—41 M. *Rogus? quia.* Ita et alter cod. Lips. Guelf. 1. 2. '*Rogus? s. codd. nostri B C Gu. 1. Hel. bene. Both. qui igitur legit: Qui istuc? Rogus? Neque, &c.* Br. *Qui istuc? Quia neque, &c.*—42 Both. *neque is solus.*—48 M. *Huberam.*—49 Edd. vetustæ legunt: *Neque hoc q.* Et sane, quia jam dixerat Parmeno, '*effluet,*' et jam alterum falsum narratur, commode inferitur, *Neque hoc q.* Fa. et Gny. *Neque hoc, delete quidem.* West. *Neque hoc t.* est lect. Vaticana; quam probant Bent. Perl. Br. habet, *Nec hoc t.* Both. legendum monet *Num hoc q. t.*—51 Both. *Nuper: ci f.* Br. *aliquantulum.*—52 Legendum monet Bent. *Is, ubi esse hanc f. r. h. V. Z. vidit,* '*forasan operarum errore,*' dicit Bruns.—54 M. *ac vendit.*—55 *Post mihi idem cod.*

#### NOTÆ

46 *In Cariam est profectus]* Caria Minoris Asiæ regio, cui Rhodus adjacet.

Ait, si fidem habeat, se iri præpositum tibi  
 Apud me, ac non id metuat, ne, ubi acceperim, 60  
 Sese relinquam, velle se illam mihi dare:  
 Verum id vereri: sed, ego quantum suspicor,  
 Ad virginem animum adjecit. PA. Etiamne amplius?  
 TH. Nihil: nam quæsivi: nunc ego eam, mi Phædria,  
 Multæ sunt causæ, quamobrem cupiam abducere: 65  
 Primum quod soror est dicta: præterea, ut suis  
 Restituam ac reddam: sola sum: habeo hic neminem;  
 Neque amicum, neque cognatum: quamobrem, Phædria,  
 Cupio aliquos parare amicos beneficio meo.  
 Id amabo! adjuta me, quo id fiat facilius. 70  
 Sine illum priores partes hosce aliquot dies  
 Apud me habere: nihil respondes? PH. Pessuma,  
 Egon' quicquam cum istis factis tibi respondeam?  
 PA. Eu noster! laudo: tandem perdoluit: vir es.

*dicit, si fidem ipsi faciam, se priores partes apud me, te postposito, habiturum, neque metuat, ne, ubi puella data mihi fuerit, sese dimittam; velle se illam mihi donare; verum id dubitare: sed, ego quantum animo conjicio, ad virginem amorem adjunxit. PH. Numquidnam etiam amplius est? TH. Nihil; nam percontata sum, mi Phædria: nunc vero quamplurimæ sunt causæ, propter quas cupio eam ad me a possessione militis transducere: primum quod soror mea dicta est: tum etiam, ut eam suis ruptam restituam, et amissam reddam. Sola sum; habeo hic neminem, neque amicum, neque cognatum, qui mihi, cum opus fuerit, auxilientur: quamobrem, Phædria, cupio aliquos mihi amicos conciliare meis meritis. Id ut facilius consequar, peto a te ut mihi prasto esse velis. Permite illam Thrasouem apud me admitti in potiori parte, hisce aliquot diebus. Nihil respondes? PH. Determinu, tibi ego quicquam respondere debeam, talia cum mihi facias? PA. Hei noster, euge, magni te facio; tandem ægre fert se deludi; injurias ad animum re-*

//////////

addit, dedit, male, judice West.—60 J. et Venetus cod. add. *ab eo post acceperim*.—62 *Sed ego suspicor quantum* Guef. 3.—63 EP. *ad v. a. advortit*.—65 Ita ex Bem. aliisque antiquis legit Fa. Alii cum Do. *cupio*.—67 *Colloc. Redd. ac rest.* Guef. 3.—68 Legendum monet Bent. *Neque notum, neque cognatum*.—69 C. a. *parare a. b. m.*] Scio et Donatum et o. l. s. consentire in hanc lect. sed video vs. impeditum, nisi legatur ut in Bem. *Cupio a. parere a.* ut et sup. legitur in And. 'parere hic divitias: ' ita enim vs. stat, et sensus idem est. Fa. *Parere* probant Bent. Perl. Both. Zenn. ita quoque habet A. Leidd. unus *præparare*.—70 Superfluum est *id*, neque comparet in B et Hel. Both. Abest quoque in M.—71 Br. *prioris partis*. Lips. alter, *per hosce a. d.*—72 M. et edd. vetustiss. etiam EP. *nihil mihi r.* Sed et apparet, Donatum ita legisse. Ut adeo emphaticum sit *τὸ mihi*. Quod et exhibent Pall. quatuor. West. *Nihil r.]* Ita quidem omnes antiqui libb. sed alii omnes et Do. inter hæc duo verba habent *mihi*. Fa. Vs. respicit *mihi*: nec edd. Donati agnoscunt. Duo tantum ex nostris *mihi*. Bent. Par. Mss. *mihi probe*, propter 'tibi' quod sequitur. Perl. *Pessima es* Guef. 1.—73 M. non agnoscit *τὸ tibi*: quod apte infertur post *mihi*. West.—74 *Heu* vulg. Guef. 3. *Heus*.

PH. At ego nesciebam quorsum tu ires? parvola 75

Hinc est abrepta: eduxit mater pro sua:

Soror est dicta: cupio abducere, ut reddam suis.

Nempe omnia hæc nunc verba huc redeunt denique;

Ego excludor: ille recipitur: qua gratia?

Nisi illum plus amas, quam me: et istam nunc times, 80

Quæ advecta est, ne illum talem præripiat tibi.

TH. Egon' id timeo? PH. Quid te ergo aliud sollicitat?  
cedo.

Num solus ille dona dat? nuncubi meam

Benignitatem sensisti in te claudier?

Nonne, ubi mihi dixisti cupere te ex Æthiopia 85

*vocasti: jam vir es. PH. At ego nesciebam, quo spectaret tua nempe oratio: parvula e Sunio est abrepta: educavit mater eam pro sua filia. Soror mea nominata est: cupio abducere ut reddam suis. Scilicet omnia hæc verba in hunc summam nunc conveniunt, ut excludar, miles ille admittatur. Cujus rei causa, nisi quod illum quam me cariorum habes, metuisque ne Pamphila, quam a Thrasonē recepisti, eum tibi intercipiatur? TH. Egone id timeo? PH. Quid ergo te incitat ad hoc faciendum? Expone. Num solus ille tibi donat? Numquid alicubi meam liberalitatem vidisti tibi præcludi? nonne, statim atque mihi significasti cupere te seruum*

Br. *Eu noster laudo: tandem.*—75 Variant Mss. codd. et impressi, in prima voce. Leidd. duo cum Bodl. [Br. Guelf. 3.] legunt, *Aut ego n.* quando continua erit Phædriæ oratio, cum signo interrogandi exprimenda, quod facit Lips. Leid. unus, *Haud e. n.* quod Fa. tnetur. Sed Bæclero 7d *At longe significantius est h. l. quam Haud.* Tum Quintilianus *At legit*, loc. cit. *West.* Td *At quoque* probat Bent. 'Rectissime e Mss. edidit Bent. *At e. n.*' R. D.—77 Bem. cum quo hic consentiunt omnes fere libb. recentes, habet *Soror dicta est. Ut reddam pro suis*] Edit. omitt. *pro*, quod mendose irrepsit ex præced. versu. *Bruns.*—79 *Abest Ego* Guelf. 2. Both. legit, *Excludor ego.* Br. *qua gratia, Nisi.*—80 Vs. satis inconcinuus. Adjuvant alii codices, qui *Nisi si illum*: sed aliud restat. Lege, *Nisi si illum p. q. m. amas, et istam n. t. Me omnino in ictu esse oportet.* Bent. *Nisi si* Bodl. Perl. Both.—81 Ed. Delph. Q. *abducta est.* Br. interrogationem habet post *tibi.*—82 Vulg. *Egone.* Syllaba ne superflua incommodat metro. *Perl.* *Ego id* quoque reponit Bent. Both. legend. monet, *Ego idne? Quid.*—83 Bem. et aliqui ex antiquis, et omnes fere recentes, *num ubi.* ita et Donatus. *Fa.* Illud *nuncubi*, quod est in pluribus codd. nusquam, opinor, alibi invenitur: *num ubi* versus ipse repudiat. *Lego igitur, num tibi.* Bent. Ita Both. Br. et *Perl. nunc ubi.*—84 Variæ hæc leguntur. *Mureti calcvier* h. e. decipi, ridet Lips. legens *claudere* h. e. claudicare et deficere. G. EM. et Leidd. unus, *interclaudier*: additumque alia manu, 'intercipi, quin semper facerem, quæ voluisti.' Sed et *interclaudier* ex Mss. et codd. vet. laudat Lind. Et est in EP. Vide et Barth. *Advers.* xxxiiii. 7. *West.* In omn. Pall. teste Par. *claudier.* GM. *interclaudier.* Bent. Both. Perl. *intercludier.* Br. Bem. Z. ut nos.—85 Br. *dixisti.*—87

## NOTE

85 *Ex Æthiopia*] Quicquid ultra Nigrum Flumen est et Ægyptum.

Ancillulam, relictis rebus omnibus,  
 Quæsivi? porro Eunuchum dixisti velle te,  
 Quia solæ utuntur his reginæ; reperi.  
 Heri minas viginti pro ambobus dedi.  
 Tamen contemptus abs te: hæc habui in memoria. 90  
 Ob hæc facta abs te spenor. TH. Quid istic, Phædria?  
 Quanquam illam cupio abducere, atque hac re arbitror  
 Id fieri posse maxime: verumtamen,  
 Potius quam te inimicum habeam, faciam ut jusseris.  
 PH. Utinam istuc verbum ex animo ac vere diceres, 95  
 Potius quam te inimicum habeam: si istuc crederem  
 Sincere dici, quidvis possem petpeti.  
 PA. Labascit, victus uno verbo: quam cito!  
 TH. Ego non ex animo misera dico? quam joco

*Æthiopem, posthabitis rebus etiam necessariis emendam quæsivi? Eunuchum prætereâ, quem dixisti te velle, quia horum opera reginæ solæ utuntur, comparavi. Heri viginti minas pro amborum pretio persolvi; tamen, licet spretus a te, hæc tibi grata ut emerem in memoria habui. Pro his in te meritis, despectus sum tibi. TH. Quænam sunt ista, quæ dicis, Phædria? Quamvis hanc Pamphilam cupio ab illo milite recipere; atque hac ratione, si tu concedas biduum militi, censeo id potissimum fieri posse; attamen, potius quam inimicitiam tuam suscipiam, obsequar quibuscumque jussis tuis. PH. Utinam ex animi sententia et sincere pronuntiares ista verba (potius quam tuam inimicitiam suscipiam): si istud crederem vere a te dici, nihil tam molestum est quod non possem perferre. PA. Nutat corruiturus, uno verbo impulsus illico. TH. Me miseram! an non ego hoc ex animi sententia et serio*



Vulg. Eunuchum porro.—88 Br. nullam distinctionem ponit post reperi.—89 Magis magnificentum sonat, quod CCC. habet, H. minas pro ambobus viginti dedi: et amat Terentius in sede quinta hoc viginti ponere. Bent. Ita quoque legit Perl.—90 Nullam distinctionem habent post te Br. Bent. Z. at Bip. minorem. Both. legit, Contemptus abs te, tamen h. h. i. m.—91 Bene post hæc Guelf. 3. Br. istuc.—93 Suavius hoc modo, Id posse f. Bent. Probat Perl.—98 Melius, opinor, Labascit, victust, uno verbo, quam cito. Bent.—99 Quam joco?] Præpostere signum interrogandi hic est positum: multo rectius in editis post dico, et deleta distinctione post joco. Bruns. Ex joco Guelf. 3.—

#### NOTE

versus utrumque Mare, Atlanticum Rubrumque, Æthiopes olim in Africa tenuere; gens omnium Africae terrarum amplissima; dicta ab *αἴθω*, uro, et *ᾄψ*, id est, aspectus, vultus.

88 Quia solæ utuntur his reginæ] Eunuchis magnis apud reges et divi-

tes honos fuit: ut Bagous Alexandri Magni Eunuchus, Putiphar Pharaonis Ægypti Regis, et ille Candaces Reginæ, de quo D. Lucas in Actis Apostolorum: et libri iv. Regum cap. 8.



Rem voluisti a me tandem, quin perfeceris? 100

Ego impetrare nequeo hoc abs te biduum,  
Saltem ut concedas, solum! PH. Siquidem biduum;  
Verum ne fiant isti viginti dies.

TH. Profecto non plus biduum, aut. PH. Aut? nihil moror.

TH. Non fiet: hoc modo sine te exorem. PH. Scilicet 105  
Faciundum est quod vis. TH. Merito amo te. PH. Bene facis.

Rus ibo: ibi hoc me macerabo biduum:

Ita facere certum est: mos gerundus est Thaidi.

Tu, Parmeno, huc fac illi adducantur. PA. Maxime.

PH. In hoc biduum, Thais, vale. TH. Mi Phædria; 110

Et tu. Numquid vis aliud? PH. Egone quid velim?

Cum Milite isto præsens, absens ut sies:

*dico? Quam rem, etiam per jocum, indicasti te a me velle, quin tandem obtinueris? Ego vero non possum abs te impetrare, ut saltem duos solum dies, quos peto, concedas mihi. PH. Si quidem duo dies sint tantum, concedo, dummodo viginti ex duobus non fiant. TH. Sane non amplius quam duo dies, aut. PH. Aut? Perge loqui; tibi moram non facio. TH. Non fiet illud, quod ceteris, ut plures dies recipiatur a me Thraso. Id solum biduum, quod peto, permittite me a te impetrare. PH. Nimirum, quod cupis, me facere oportet. TH. Merito amo te. PH. Equum facis. In villam concedam. Ibi, per hos duos dies, vœore me ad maciem usque conficiam. Sic mihi præ tædio facere deliberatum est; si quidem morigerum me esse Thaidi necesse est. Tu, Parmeno, cura, ut illi Eunuchus et ancilla Æthiops tradantur, (Thaidi). PA. Sic fiet. PH. In hos duos dies vale, Thais. TH. Mi Phædria, et tu quoque vale: numquid vis aliud? PH. Egone quid aliud velim? Nisi ut cum milite isto præsens sis corpore, absens animo; dies noctesque ames me, me*

101 Sustuli κόμματος signum ante τὸ 'biduum,' secutus Junt. et Aldi editiones. West. Abs te, biduum Saltem nostræ edd. omnes. Biduo Guelf. 3.—102 Non interrogant nostræ edd. post 'solum.'—104 Bidui Tr. Aut dixisti? nihil M. et edd. quædam vetustæ. West.—105 Non fiet hoc modo, sine Br.—106 G. F. n-trumque Thaidi tribuit, hoc ordine: Bene facis: merito te amo. Eandem lect. tuetur Gny. Non videntur autem tres sequentes versus uni Thaidi esse dicti, sed 107. ab averso Phædria ad spectatores; sequens Parmenoni gestu dolorem significanti; proximus huic voce gloriante et munera sua jactante. West. TH. Merito te amo. PH. Bene facis. Quod vetus codex G. Fabricii, id duo ex nostris veterissimi firmant: Totum hoc a Thaide dici. Et jamdudum res nota est. Bent. Bene facis tribuit Thaidi GM. Perl. TH. Merito te amo: bene facis. PH. Itus, &c. dant Bent. Bip. Perl.—107 Illi pro ibi dat Both.—108 Morigerandum est Thaidi M. ET. EM. West. Altera vox est abest ab ed. Both.—109 Tu deducantur huc fac illi Both. qui notat: 'B, C, Hel. deducantur, recte. Parmeno glossenta esse, versus arguit.' Deducantur Guelf. 1.—110 At, mi Ph. Both.—111 Egone? Br. Notat Bruns: 'Edit. omitt. signum interrog. sed inest ei aliqua emphasis.'—113 Mutato ordine,

Dies noctesque me ames : me desideres :  
 Me somnies : me expectes : de me cogites :  
 Me speres : me te oblectes : mecum tota sis : 115  
 Meus fac sis postremo animus, quando ego sum tuus.  
 TH. Me miseram ! forsitan hic mihi parvam habeat fidem,  
 Atque ex aliarum ingeniis nunc me iudicet.  
 Ego pol, quæ mihi sum conscia, hoc cert scio,  
 Neque me finxisse falsi quicquam, neque meo 120  
 Cordi esse quenquam cariorem hoc Phædria.  
 Et, quicquid hujus feci, causa Virginis  
 Feci : nam me ejus spero fratrem propemodum  
 Jam reperisse, adolescentem adeo nobilem :  
 Et is hodie venturum ad me constituit domum. 125  
 Concedam hinc intro, atque expectabo, dum venit.

*desideres, me somnies, me expectes, de me cogites, me speres, me te oblectes, mecum tota sis (animo), mea fac sis postremo anima, quando ego sum tua. TH. Me miseram ! forte Phædria parum mihi fidit, atque ex aliarum meretricum ingeniis me æstimat. Ego per Pollucem, quæ mecum in animo totius rei veritatem scio, hoc certo scio nihil mendaciæ me excogitasse, neque me quenquam vehementius amare, quam hunc Phædriam : et quicquid hujus rei feci, (quod eum exclusi foras,) propter puellam Pamphilam id feci : nam spero me hujus fratrem, adolescentem valde nobilem, pæne jam invenisse, et is constituit se venturum ad me in domum meam hodierna die : hic igitur dum veniat expectabo.*

//////////

numeri meliores fiunt, *Noctes diesque*. Atque hoc frequentius. *Bent.* Tantum certe constat, apud Judæos solum, noctium vices ante dies computari, apud alias gentes minus. *Perl.*—115 *In me M. West. J. et V. [i. e. Venetus codex.] præmitt. De ; ut sit, De me speres, de me, &c. Var. ordo verbor. Perl.*—116 *Mea fac sis postremo omnis Both.*—117 *Parum Guy. quod et Gruterus defendit ad Plaut. Menæch. Prol. 16. West. Vett. Edd. forsitan hic parvam habeat mihi fidem. Lege, forsitan parvam habeat mihi fidem. Bent. Sequitur Perl. Forsan parvam mi habeat hic fidem dat Both. Habet Bip.*—122 *M. et edd. quædam veteres, quicquid feci, hujus causa virginis feci. Minus ex stylo Terentii. West.*—125 *Tres ex nostris cum vett. Edd. venturam se ad me. Lege, Et is se hodie venturum ad me const. d. Bent. Et rejiciunt Both. et Bip. ad versum 124. Se post 'const.' habet Guelf. 1. et 2. dat adeo pro hodie.*—126 *J. et V. [i. e. Ven. cod.] veniat. Non probatur. Perl.*

## ACTUS II. SCENA I.

PHÆDRIA. PARMENO.

PH. FAC, ita ut jussi; deducantur isti. PA. Faciam.

PH. At diligenter.

PA. Fiet. PH. At mature. PA. Fiet. PH. Satin' hoc  
mandatum 'st tibi? PA. Ah!

Rogitare? quasi difficile sit.

Utinam tam aliquid invenire facile possis, Phædria,

Quam hoc peribit! PH. Ego quoque una pereo, quod mihi  
est carius. 5Ne istuc tam iniquo patiare animo. PA. Minime: quin  
effectum dabo.

Sed numquid aliud imperas?

PH. Facito ita, ut imperari. Ducito istos (Eunuchum et feminam Æthiopem) et trade Thaidi, meo nomine. PA. Faciam. PH. At diligenter. PA. Fiet. PH. At cito. PA. Fiet. PH. Satisne hoc tibi mandatum memineris? PA. Ah quam toties interrogare molestum est: quasi sit difficile, id exequi, quod jubes. Utinam tam facile quid reperias, quam hoc perdes. PH. Ut etiam patientius feris hæc dona mihi perire, scito me una quoque cum his mei jacturam facere, quod his donis mihi pretiosius est. PA. Minime impatienter fero hæc tua mandata fa-

//////////

1 Fac ita, ut jussi, ded. isti Br. Bip.—2 Fiat M. West. Fiat J. Perl. Ah collocat in vs. sequenti Bip. Bothius hæc et seqq. sic legit:

PA. Ah! rogitare!

Utinam tam aliquid invenire facile possis, quam hoc peribit!

PH. Ego quoque una pereo, quod mi est carius, ne istuc tam iniquo

Patiare animo. PA. Minime. Quin effectum dabo. Sed numquid me aliud?

PH. M. n. o. verbis, quam pote, et istum pellito ab ea.

PA. Memini, &amp;c.

De quibus notat: 'Quasi difficile sit nec Do. legisse videtur. Æmulum neque Do. agnoscit, nec versus fert. Denique illud Ah, vel potius Au (nam sic fere scripti, vel Hau, ut Hel.) metro nocet.'—3 In edit. Sandby. et Dac. versum unum constituunt hæc: Ah, rogitare? quasi difficile siet: utinum. Zenn. Rogitare, quasi Br. Bent.—6 Hic versus Guyeto spurius est; immerito. West. Hunc versum ita ordinamus: Ne istuc tam iniquo patiare animo. PA. Minime, quin effectum dabo. Sed numquid aliud imperas? Duos vero versus, qui hos sequuntur, ita ordinamus: Munus nostrum ornato verbis quod poteris; et istum æmulum, Quod poteris, ad ea pellito. Faërnus. Recte quidem versus hos ordinavit Faërnus; et sine dubio ex libris suis: in eo tantum deceptus, quod Trochaicum tetrametrum hypercatalecticum, qualis nusquam gentium fuit, hunc esse somniat. Nec feliciter rem gerit alius, qui subtimide, ut ait, correctionem hanc offert, Men, pro Minime. Trochaicus est, ut circa se alii, levi brachio corrigendus: Ne istuc tam iniquo patiare animo. Minime, quin

Delph. et Var. Clas.

Terent.

2 D

PH. Munus nostrum ornato verbis, quod poteris; et istum æmulum,

Quod poteris, ab ea pellito.

PA. Memini, tametsi nullus moneas. PH. Ego rus ibo, atque ibi manebo. 10

PA. Censeo. PH. Sed heus tu! PA. Quid vis? PH. Censen' posse me obfirmare,

Et perpeti, ne redeam interea? PA. Tene? non hercle arbitrator.

Nam aut jam revertere, aut mox noctu te adigent horsum insomnia.

PH. Opus faciam, ut defetiger usque, ingratiis ut dormiam.

PA. Vigilabis lassus: hoc plus facies. PH. Ah, nihil dicis, Parmeno. 15

*cere, sed numquid aliud vis?* PH. *Munus nostrum ornamento verborum pretiosius facito, et istum rivalem Thrusonem, quam procul poteris, ab ea removeto.* PA. *Memorem mones: in animo id habeo.* PH. *Ego in villam me conferam, atque ibi tantisper morabor, dum biduum transierit.* PA. *Sic faciendum arbitrator.* PH. *Sed heus tu.* PA. *Quid vis?* PH. *Putasne me posse obdurare, et mihi temperare, ne ante duos dies ut urbem redeam?* PA. *Tene posse id perpeti? Non mhercule opinor; nam aut statim ultro redibis, aut mox per noctem te insomnia sola ad urbem impellet et revocabit.* PH. *Opere rustico me exercebo, quoad defessus sim, ut etiam invitus dormire cogar.* PA. *Te lassabis, et nihilo magis ea causa poteris capere somnum.* PH. *Apage, frustra hæc dicis, Parmeno: expellenda est animo*

\*\*\*\*\*

*factum dabo.* Bent. *Effectum dabo collocat Bip. in versu seq.—9. 10 Ms. Lips. et M. [et Guelf. 2.] Quoad. Mss. Lips. Au memini. Westerhovius. Pellito. PA. Memini. In omnibus Nostris et Edd. vett. Au memini. Lege, pellito. PA. Ah, | Memini. Bent. Au! memini Ms. Lind. Quoad Pall. Perl. Quoad Arg. 1496. Bip. quæ versum 8. claudit voce 'et,' et eas 'istum æmulum' trudit in versum 9. Au memini Br. Bentleium sequitur Perl.—12 'Et' rejiciunt in versum 11. Bent. Bip. Both.—13 Hæc vulg. lectio est, quam et defendit Guy. et præferunt Mss. plusculi et editi quidam veteres. Si vero consideres ea quæ sequuntur, dubium non est, quin scripserit Terentius *adiget*. Gratis Donatum citat Guyetus; is enim testatur, et *adiget* legi. Mss. omnes, quibus usus sum, *adigent* præferunt; nisi quod Tr. dubie, *adigēt orsum*. Palatinorum unus, teste Pareo, *adiget*, quod et Fa. in Codice scripto invenit. Eodem sensu Fabrini reddidit. West. *Adigent* G. ET. *Id. in Add. Do.* affirmat legi etiam *adiget* in singulari; quam lect. in uno tantum libro Terentii inveni. Fa. Bene sit isti libro, qui *adiget*: nostri enim omnes *adigent*. Jamdudum de vera lectione constitit. Sensus et responsum Phædri postulant *adiget*. Bent. *Adiget* rectius legitur quam *adigent*; quod memini ex Adr. Turnebo Lutetiæ in publica lectione audivisse. Mur. *Adiget* Both. Perl.—14 Mss. quidam *ingratus ut ut*. West. *Ingratus* G. ET. sed Gifanius in Ind. Lucret. *ingratis* defendit. *Id. in Addendis. Ut defatiger usque ingratus ut dormiam.* Do. et Bem. habent *ingratis*, utroque modo impedita scansione octonarii. Ubaldinus Bandinellus legebat, *ingratiis*: quod et mihi probatur. Præterea antiqui libri habent, *defetiger*. Faërnus. Nostri *ingratus*. In promptu*

Ejiciunda hercle hæc est mollities animi: nimis me indulgeo.

Tandem non ego illa caream, si sit opus, vel totum triduum? PA. Hui!

Univorsum triduum? vide quid agas. PH. Stat sententia.

PA. Di boni, quid hoc morbi est? adcon' homines immutariet

Ex amore, ut non cognoscas eundem esse? hoc nemo fuit 20

Minus ineptus, magis severus quisquam, nec magis continens.

Sed quis hic est, qui huc pergit? at at! hic quidem est parasitus Gnatho

*hæc imbecillitas: nimis me delicate tracto. Nonne tandem, si oporteat illa carere, istud possim, etiam tres dies totos? PA. Hui, tres dies totos! Vide, ne majora viribus tuis coneris. PH. Certum est facere, quod constitui. PA. Dii boni, amone tam potens morbus est? Adeone homines immutat, ut idem, qui prius notus fuerat, amplius cognosci non possit? Hoc nemo fuit minus ineptus, magis gravis, nec magis temperans. Sed quis hic est, qui huc iter facit? At ut, hic quidem est*

erat corrigere ingratiis. Bent. Defetiger Do. quem sequitur West. male. Bip. Ingratus Br. Defatiger Z. Perl.—15 Faciens M. West.—16 M. hercle nimis. Mss. et impressi quidam: mihi indulgeo. West. Melius unus e Regiis, est hæc. Bent. Nimis mihi R. Lind. Duo Mss. Par. Ejicienda. Pall. mihi: at Par. ed. me. Perl. Rectius mi, et Mss. quidam et edd. mihi. Sed edd. retinent me, ut antiquis. Bip. Hæc omittit Perl. qui monet esse in Guelf. 2. hæc moll. Mihi Br. Guelf. 3.—17 Ego non illa. Ex o. l. s. et Donato, ita colloca: non ego illa. Ex Bem. scribe Univorsum. Faërnus. Ego illa, anapæstus. Nihil frequentius. Bent. Tandem ne ego. Sic bene Hel. Vulg. numeris durioribus non. A non ut ego. Both. Ne ut ego Guelf. 2.—18 Univorsum Br.—21 Pr. Inst. Gramm. lib. III. legit, Minus stultus, sed lib. XVIII. Minus ineptus. West. Ad quisquam glossa τὸν Br. sic: Vel quiequam. Certe, ait Bruns, quicquam non convenit præcedenti 'nemo.' Magis abest a Guelf. 3. Muge dat Both.—22 Ms. Lips. Sed quis est, qui. Westerhoviis. Attat, hic quidem. Nisi vox 'quidem' in unam syllabam contrahatur, quocumque id

## NOTE

16 *Nimis me indulgeo*] Atticorum more accusativus loco dativi hic positus est, pro, nimis mihi indulgeo; id est, nimis mihi concedo, permitto.

17 *Hui! triduum!*] Exclamatio servi, heri dictum irridentis.

19 *Quid hoc morbi est*] Ut morbo ex bona habitudine corpora decidunt, sic animus ab amore ex sua constan-

tia et tranquillitate deturbatur. Sic Propertius: 'Solutus amor morbi non amat artificem.'

*Homines immutariet Ex amore*] Hanc immutationem Poëtae eleganter pinxerunt in fabula Circes, homines in pecudes commutantis.

22 *Gnatho*] Gnatho a maxillis et edendi aviditate dici videtur. *Γνάθος*

Militis: ducit secum una virginem dono huic. Papæ!  
 Facie honesta: mirum, ni ego me turpiter hodie hic dabo  
 Cum meo decrepito hoc Eunucho. Hæc superat ipsam  
 Thaidem. 25

*parasitus militis Gnatho. Ducit secum virginem, in donum Thaidi. Papæ, quam eleganti vultu! Nimirum me hic hodie ludibrio et dedecori exponam cum meo hoc decrepito Eunucho. Hæc virgo formæ specie vincit Thaidem.*

//////////

modo fieri possit, trochæius mihi impeditus videtur. *Fa.* Non in unam syllabam contrahitur 'quidem'; sed 'hic' corripitur. *Bent. Attat* dant Br. *Bent. Z. Botb.*—23 Quidam Mss. et impressi veteres, *unam* legunt. *West. Huic dono*: O. I. s. *dono huic*: ita et in Bem. emendatum. *Fa.* Sic et nostri codices cum Edd. vett. *Bent. Unam Pall. Perl.* Sic Guelf. 3.—24 Guy. non intelligens, quid sit, 'turpiter se dare,' dicit legendum esse, *ego me turpiter hodie hinc dabo*; h. e. facessam, abibo: quod e Ms. Argent. sed correctoris manu citat Bœcl. *West. GC. invert. dabo hic. Perl.*—25 Citat Pr. Inst. Gramm. lib. xv. *Papæ, hæc superat ipsam Thaidem. West. Ad hæc Perl. notat*: 'J. nam.' *Hoc* delet Both.

#### NOTÆ

maxilla. Ut *παράστρος* is est qui, ut victum apud ditiores habeat, iis assentatur: *στρός* Græce cibum significat.

25 *Decrepito*] Sive morti vicino. *Decrepiti* sunt, quorum funera cre-

pitu et plangore familiæ conclamata sunt. Vel a decrescendo sic dicti, eo quod incurvati et contracti minores fieri videantur; sic capularis senex dicitur a capulo, id est, loculo, capsula mortui, *un cercueil.*

---

## ACTUS II. SCENA II.

GNATHO. PARMENO.

GN. Di immortales! homini homo quid præstat! stulto intelligens!

Quid interest! hoc adeo ex hac re venit in mentem mihi.

GN. *Dii immortales, quantum alius homo alii homini præcellit! Ab inepto quantum distat providus et prudens! Hoc mihi ideo in memoriam reddit, nimirum:*

//////////

1 Punctum post 'præstat' abjicit Both. et delet versum 2. tanquam a mala manu exortum; et, Sero, ait, inflicto hoc Terentio vulnus ut arbitrer, facit Eng. ap. quem stolidi additamenti ne vestigium quidem apparet.—2 *Quid interest* videntur absolute per admirationem dicta. Atque ita diserte est in Ms. Lips. Jac. Perizonius ad Sanct. Min. III. 5. tamen conjunctim

Conveni hodie adveniens quendam mei loci hinc, atque ordinis,  
 Hominem haud impurum, itidem patria qui abligurierat bona.  
 Video sentum, squalidum, ægrum, pannis annisque obsitum. 5  
 Quid istuc, inquam, ornati est? quoniam miser, quod habui, perdidit. Hem,  
 Quo redactus sum! omnes noti me atque amici deserunt.  
 Hic ego illum contemsi præ me. Quid, homo, inquam, ignavissime?

*hodie huc veniens incidi in hominem meæ conditionis; non quidem sordidum, nec avarum, qui similiter, atque ego, patrimonium per luxum consumerat; video horridum, immundum, pallidum instar ægrotantis, vestibus luceris indutum, et senectute deformem. Quid iste ornatus sibi vult? dixi. Respondit ille: Quoniam infortunatus ego quæ habui bona amisi. Hem, quo miseræ redactus sum! Omnes familiares atque amici me deserunt. Hic ego illum despexi, mihi que posthabui. Quid, homo, inquam, inertissime, itane tibi consulisti, ut nulla tibi supersit tui*

legit, stulto intelligens *Quid interest!* componens cum illo Gellii III. 14. 'Quid dimidium dimidiato intersit.' Ita et citat Pr. Inst. Gramm. lib. XVIII. *West.* Coniunctim legunt Br. Bent. Z. Perl.—4 In EP. et quibusdam Mss. est *oblig.* Westerhovius. *Abligurierat bona:* Glossar. 'Abligurio, καταλιχρεύω.' Et 'obliguritores' Jul. Firmic. lib. v. cap. 5. *Lind.* Bent. Par. [Both.] per duo r, *abligurr.* Perl. *Obliguerat* Mss. et edd. vett. *Vulgatum* fortius. *Bip.* *Itidem ut ego sine quæ Guelf.* 2.—5 *Vulgo annisque. C et annis.* Sed recte copulam omittit B. *Both.* *Sordidum* quidam Mss. legunt pro *ægrum.* *West.*—6 Alii cum Donato: *Quid istuc ornati? inquam.* Id. *Pro Hem* Codex CCC. singularis notæ En. Enimvero ita legendum est. *Bent.* *Obsequitur Both.* *Em Br.*—7 Mss. quidam, *deseruerunt.* *Leidensium* unus, *deseruerunt.* *West.* *Mei*

## NOTE

4 *Hominem haud impurum]* Non sordidum, non avarum. Liberaliter educati sæpe balnea, præsertim calida, adibant nitoris et elegantiae causa; avari autem minime. Aristophanes, in Pluto Comædia.

*Abligurierat bona]* Per luxum et popinationem devoraverat. Ligurire est lautiores cibos carpere: λιχνεύω Græce, a λείχω, lambo, lingo. Plinius: 'Postquam, degulato patrimonio, pauper est factus.' Degulare est, gula absumere.

5 *Video sentum, squalidum]* Sentum, horridum, ut sentes, id est, spinæ;

squalidum, immundum. Squalidi proprie rei qui diu delinuerunt in carcere. Squalor, immundities corpus occupans, a squamarum asperitate. Obsitum, fedatum, putidum. Situs est mucor, et lanugo quædam ex humore creata in locis sole carentibus. Pannis annisque obsitum, id est, mucore et carie obductum, propter sordidos pannos et ratione ætatis; nam situs et mucor quidam solet esse major in homine misero, et sene, tum in habitu inopum. Obsitus, ab obscendo, dixit Virgilius: 'Loca obsita pomis,' id est, plantata.

Itan' parasti te, ut spes nulla reliqua in te siet tibi ?  
 Simul consilium cum re amisti ? viden' me ex eodem or-  
 tum loco ? 10

Qui color, nitor, vestitus, quæ habitudo est corporis !  
 Omnia habeo, neque quicquam habeo. Nihil cum est, nihil  
 deficit tamen.

At ego infelix, neque ridiculus esse, neque plagas pati  
 Possum. Quid ? tu his rebus credis fieri ? tota erras via.  
 Olim isti fuit generi quondam quæstus apud sæclum  
 prius. 15

*fiducia? An sensum una cum fortunis tuis perdidisti? Aspice me, qui non melioris sum generis et status. Qui color corporis, elegantia, nitor cutis, quæ constitutio sanitatis? Omnia mihi suppetunt abunde, et, licet nihil quicquam possideam, nihil tamen deficit. At ego infelix (mihi respondit) neque aliis movere risum, et risui esse, neque verberibus patiendis assuescere possum. Quid? tu (ego subjeci) hisne rebus, necpe, dum quis ridetur, aut vapulat, aliquid profici putas? Vehementer falleris, si ita putas. Olim prioribus temporibus, isti generi parasitorum vapulantium, et ridiculorum, lucro fuit ars ista: hoc vero tempore, hic novus alius est au-*



pro me Guelf. 3.—9. 10 O. fere l. s. et Do. pro *Itane, Itan*; pro *siet, sit*, habent. Solus Bem. *esset*; quam lect. recipimus. Versus tamen impediti remanent, maximeque posterior. Aliqui τὸ 'simul' in priorem versum rejecerunt: ejusque versum primam syllabam præcedenti applicarunt. Nos, ordinationem versuum vulgatam retinentes, quæ eadem in o. l. s. ex 'simul' l, ex 'viden' n, elidimus. *Fa.* Probo *sit*, non *esset*. *Siet*, quod tribus exceptis nostri habent, nihili facio. Quippe cum 'reliqua' semper apud Nostrium, vel primam producat, vel quadrisyllabum *sit*, ipsum *siet* pronuntian-dum erit *sit*: atque adeo cur non et scribendum? Ceterum quod 'simul' hic secundam corripiat, sequente licet consonante, id post nostram operam vel pueris notum erit. *Bent.* qui dat *sit* cum Both. *Esset* Z. Bip. *Perl.* *In te siet? Tibi?* Br. qui dat et *amisisti*.—11 *Guyeti* audaciam legentis *nitor vestitus, habitudo quæ corporis* reprehendit *West.* Legendum jubet *Bent.* *Qui color, qui nitor vestitus, quæ habitudo est corporis?* Scire vellem, respondit *Perl.* unde vestitui, quo nigro ac pullo incedere parasitos *Vir doctus* ipse fatetur, *nitor* veniret. Cave, ait *Bip.* cum *Bent.* conjungas *nitor vestitus*. Notat *Bothins*: 'Male interpungitur post verba 'color' et 'nitor.' Ad vestitum spectare 'color' et 'nitor' pulchre vidit *Bent.* sed id minus advertit ὅφ' ἐν intelligenda esse hæc verba, ut *color nitor* idem valeat ac, *eolor nitidus*. Quare non probo *Angli elegantissimi* conjecturam, *Qui color, qui nitor*, licet sic plane legatur in C.' Interrogat Z. post 'vestitus;' ut post 'corporis' et Z. et alii.—12 *Deficit* Ms. Lips. *West.* Sic legit *Perl.* qui monet *deficit* legere *Guelf. 2.* et ad vocem 'cum' sic notat: 'J. mihi.'—14 Cum *Heinsio* et *Dac.* duplicem feci interrogationem. *West.* *Quid tu his rebus credis fieri?* Distingue: *Quid? tu h. r. c. fieri?* *Bent.* *Bent.* *Quid?* bene. *Par.* *Quid tu cum seqq. continuat.* *Perl.* Continuatur et Br.—15 *Sæclum* GM. sed sup. script.

#### NOTE

14 *Tota erras via*] Proverbialis metaphora a viatoribus sumta.



Hoc novum est aucupium : ego adeo hanc primus inveni  
viam.

Est genus hominum, qui esse primos se omnium rerum  
volunt,

Nec sunt: hos consector. Hisce ego non paro me ut  
rideant ;

Sed his ultro arrideo, et eorum ingenia admiror simul.

Quicquid dicunt, laudo : id rursus si negant, laudo id  
quoque. 20

Negat quis ? nego : ait ? aio. Postremo imperavi egomet mihi  
Omnia assentari. Is quæstus nunc est multo uberrimus.

PA. Scitum hercle hominem ! hic homines prorsum ex  
stultis insanos facit.

GN. Dum hæc loquimur, interea loci ad macellum ubi ad-  
venimus,

Concurrunt læti mi obviam cupedinarii omnes, 25

Cetarii, lanii, coqui, fartores, piscatores, aucupes ;

*cupandi modus. Quin ego ipse hanc captandi artem inveni. Est genus hominum, qui primos in omnibus rebus se esse volunt, nec sunt ; quamvis videri velint. Hos consector : his ego non studeo ridiculus esse, sed his sponte risu assentior, et eorum mores cum admiratione prædico ; quicquid dicunt, laudo ; si rursus id negant, id similiter nego ; si negat quis, nego ; si affirmat quid esse, affirmo. Denique in animum induxi, omnia illis assentari. Id lucrum nunc est valde copiosum. PA. Argutum mehercule hominem : hic homines ex stultis prorsus insanos mente facit. GN. Interea dum hi sermones inter nos habentur, atque ubi ad forum venimus, ecce occurrunt mihi celeriter hilares cupedinarii omnes, epularum delicatiorum venditores, popinariii, cetarii, qui prægrandes pisces vendunt, laniones, farcinimum artifices,*

~~~~~  
sæculum. Perl. Hoc dat Br.—19 Set his ultro arrideo. Lege Set eis ultro. Frustra enim est et nil promovet vir doctus, cum reponit iis. Bent. Sequitur Both. Eis dat et Perl.—20 Hunc vs. delet Both. Dat Br. laudo. Id quoque Negat, &c.—21 Negat quis? nego: ait? aio. Citat Cicero in Lælio cap. 25. quanto magis mirum, hunc versum Guyeto spurium videri. Expressi cum interrogatione Gnathonis verba, quod et fecit Dac. majore, ni fallor, emphasi. West. Hanc verbor. antiphrasin per interrogat. West. Bent. Both. exprim. incommode. Non ita Fa. Er. Par. Mur. [Bip. Z. Br.] Perl.—22 His pro Is Br.—24 Ubi venimus. Versus constat, si venimus præsentis sit temporis, vel certe legatur adventamus, ut in Bem. est, et nonnullis aliis libris, attestante Riv. Sane in antiquis aliis libris est advenimus ; quod non ita multum distat ab adventamus. Fa. Vera lectio est advenimus, ut quinque ex nostris habent. Bent.—25. 26 Concurrunt læti mi obviam cuppedi-

NOTÆ

22 Assentari] Proprie assentamur voce, adulamur gestu, blandimur tactu.

Quibus et re salva et perdita profueram, et prorsum sæpe.
Salutant; ad cœnam vocant; adventum gratulantur.

Ille ubi miser famelicus videt me esse in tanto honore,
Et tam facile victum quærere, ibi homo cœpit me obse-
crare, 30

Ut sibi liceret discere id de me : sectari jussi;
Si potis est, tanquam philosophorum habent disciplinæ ex
ipsis

piscatores, quibus lucrum attuleram, dum res meæ bene se habebant, atque etiam post earum jacturam, tum quoque in præsentia. Hi me salutant, ad cœnam invitant, de meo adventu mihi gratulantur. Ille miser esurio, ubi me videt in tanto honore haberi, cœpit me orare, ut sibi liceret hanc artem de me discere: jussi eum mei sectatorem esse, et discipulum, si fieri potest: ut, sicut Philosophorum sectæ ab

//////////

aurii, cetarii, Lanii, coqui, fartores, piscatores, aucupes. O. fere l. s. post cuppedinariū habent dictionem omnes; vocem vero aucupes, nec Do. habet, nec Bem. nec M. Tullius libro primo Officiorum. Qua dictione detracta, digeruntur hi versus hoc modo: Concurrunt lati mi obviam cuppedinarij omnes, Cetarii, lanii, coqui, fartores, piscatores. Fa. Aucupes Fa. T. Faber, alij exulare jubent, et ob metri rationem, et quod Cicero Off. I. 42. eam omittit, et quod Donatus non legit; demum ob Bem. hac voce carentem. Verum ex ratione metri non satis firmum petitur argumentum. Cicero ἀνάστημα μνημοσύνης committere potuit, nam et 'cupedinarios' omisit. Donatus plura intacta reliquit, quæ tamen in dubium non vocantur. Bembi libro ceteri et Mss. et impressorum præstantissimi, et lectio Probi reclamant. Videturque Horatius respexisse hunc locum Sat. II. 3. 226. Videtur et h. l. Terentius imitator Planti, Trin. II. 4. 5. West. Libri quidem hic cuppedinarij; sed, cum hoc a cuppediis denominetur, ex Analogia non dubites, quin cuppediarij scribendum sit. De ascititio isto aucupes, jam olim res conclamata est. Bent. Aucupes videtur adjectum: repugnat versui, nec ponitur a Donato. Er. Aucupes habent, teste Par. Pall. omnes. Perl. Juniores ante coqui Gueff. 3. Cuppedinarij Br. et cupedenarij in nota marginali. Aucupes omitunt Br. Z. Bip. Both.—28 Gratulantur meum M. West.—29 Hæc varie leguntur. Tanto honore: esse tanto honore: esse in tantum honorem. Quomodo Junt. St. Fabrini, alij ediderunt. Idem. Videt me esse in tantum honorem. Ex omnibus libris nullus est in quo hæc vulgata lectio reperiatur, præterquam in Bemino, sed ex emendatione et extra contextum: nam in eo prius erat, videt mihi esse tantum honorem. Alii antiqui libri in hoc cum eo concordant, quod in nec ipsi habent: omnem autem hunc locum ita, videt me esse tanto honore. In omnibus vero aliis cum præpositione sic legitur, videt me esse in tanto honore. Alicubi tamen hæc lectio est sine verbo esse: quemadmodum et Do. legit: quam lectionem, detracta tamen in, omnium commodissimam et locutioni et sensui judicamus, ac versui quoque. Fa. Ille ubi miser famelicus videt me tanto honore. Esse agnoscunt Nostri omnes cum Edd. vett. Et recte. Bent. Vulg. me esse in tanto honore nullis libris nititur. Invenit Fa. me tanto honore: quem sequimur. Bip. Sic dant Z. Both. Ibi ubi m. f. v. me esse tanto honore Br. Videt me esse tanto honore Bent. Perl.—30 'Et' rejiciunt in versum 29. Bent. Bip. Both. Perl.—31 De me omittit Br. Notat Bruns: 'Edit. add. de me. Quod additur, glossa est in Ms. nostro.' Dat id. cod. consecrari.—32 Si pote tanquam philosophorum habent disciplinæ ex ipsis [Vocabula] Si potis est corripi ex o. l. s. versumque sustento,

Vocabula, parasiti item ut Gnathonici vocentur.

PA. Viden', otium, et cibus quid faciat alienus? GN. Sed ego cesso

Ad Thaidem hanc deducere, et rogitare ad cœnam ut veniat? 35

Sed Parmenonem ante ostium Thaidis tristem video,

ipsis Philosophis nominantur, sic Parasiti similiter Gnathonici appellentur. PA. Videsne quid desidia et cibi alieni cupiditas valeant? GN. Verum ego nimis cesso hanc virginem ad Thaidem deducere, eandemque irritare ut ad cœnam veniat: sed video Parmenonem, servum Phœdræ, rivalis heri mei, tristi vultu ante fores Thai-

//////////

contrahendo philosophorum in philosophum. Præterea testatum relinquimus, in contextu libri Bembini pro *disciplinæ* esse *disciplinam*. quemadmodum et Donatus legit; quam et veram esse lectionem putamus. *Fa. Guy. τὸ ποτὶς insititium vocat, et recidendum, legitque, Si est. Sed non cogitavit vir alta acutissimus, Si est, parasiti item ut Gnathonici vocentur, idem valere atque, Si parasiti item Gnathonici vocentur. Tum Si potis est ex omnibus Libris scriptis tuetur Faërnus. Qui quod legit disciplinam, non video, qua ratione sensus constare queat. Certe Donatum frustra citat. West. Si potis est, tanquam philosophorum habent disciplinam ex ipsis] Sic dedit Fa. Bembino plus nimio addictus. Frustra Donatum ad partes vocat: qui, cum dicit, 'Nisi forte disciplinam pro discipulis posuerit, casum acensativum orationi suæ, accommodat, non ut in Textu sic positus sit. Disciplinæ legebat Donatus, ut codices plerique: sed duo Regii, alter in contextu, alter pro varia lectione, Si potis est, tanquam philosophorum habent discipuli ex ipsis. Quid pote planius aut certius? Bent. Discipuli dant Both. Perl.—33 Itidem ut. Sic o. l. præter Bem. et impressum ab Aldo, in quibus pro itidem est ita: pro qua item legendum puto, atque eo magis, quod in aliquo libro legitur idem, quod fere est item. Fa. Itidem Br.—34 Do. etiam facit, legi affirmat; et ita habent plerique antiqui libri: ut et ratio versus exposcit. Ceterum, quod aliquibus visum est in Bem. pro otium, ossum scriptum esse, qui diligentius observarunt eum librum, annotarunt signa impressa calamo vocis otium, detricto vetustate atramento: ossum vero ut videatur aliquibus esse scriptum, effecit macula quædam, quæ sequenti paginæ hærebat, ex cujus conglutinatione superinductum est huic dictioni instar duorum s, loco t et i: sed et omnes alii libri scripti quotquot sunt et antiqui et recentes vulgatam lect. continent. Præterea et Do. et Eug. Quin et Dionysius Romanus Pontifex, et Martyr ante annos mille trecentos, apertissime hanc lect. tenet, ita scribens ad Severum: 'Vos otiosi comedere vultis alienum cibum, videte ne in vos illud conveniat: Vide quid faciat otium, et alienus cibus.' Adde huc rationem versus, qui cum otium optime stat. Fa. Palmerius et Mur. nixi Bembino ossum defendunt, vocem barbaram et Terentio indignam. Fa. et Guy. otium asserunt. West. Gifan. in Ind. Lucret. v. 'Suum' legit os suum. Cf. Lang. ad Cic. Off. i. 31. Id. in Add. Facit R. ut et postea rogare pro rogitare. Lind. Nostri omnes otium; et item, duobus exceptis, facit. Utrumque sine controversia vere. Bent. Facit Br. Perl. Vide otium, et quid cibus Both.—35 Rogitare videtur legisse Do. O. l. s. Terentii rogare habent, quod parvi refert. Fa. Omnes nostri rogare. Bent. Rogare G. E. T. E. M. West. Rogare Bent. Bip. Both. cum Br. in quo signum interrog. post 'veniat' deletum est.—36 Constans hæc lectio, pro qua tamen alii, ante o. meretricis tr. video, reponunt, ut versui consulant, scilicet. Existimat Mur. sed in Thaidis ex margine irrepsisse. F. H. in Notis legit Thaidis ante ostium, sed in Addendis ante*

Rivalis servum. Salva res est: nimirum hic homines frigent.

Nebulonem hunc certum est ludere. PA. Hicce hoc munere arbitrantur

dis stantem; res nostræ in tuto sunt; nimirum hic homines frigent (gratia scilicet apud Thaidem). Constitui hunc tenebrionem ludificare. PA. Isti putant hoc



ost, mulieris. West. Sunt qui legant Thaidis: quod ego, quamvis in scriptis exemplaribus non inveniam, tamen non improbo: cum præsertim Donatus hoc nomen varie legi affirmet. Fa. Claudicare hunc versum omnes sentiunt. De medendi via certatur. Thaidis plane insulsum est. Mur. pro Thaidis vult meretricis; sed hoc nimis inclementer dici visum est, nec placuit. Alii Thaidis ego tristem video: imperite. Vir eruditus, qui 'toties,' ait, 'tantumque de hoc loco restituendo cogitavit, ut pudeat fateri,' quid tandem profert? Immutat ordinem, et sic versum constituit: Sed Parmenonem Thaidis ante ostium tristem video. Bene sane: si post tam diutinam cogitationem ex una geminas mendas confecit. Nam et ultimam in Thaidis producit, et ostium ut ostium pronuntiat: quorum neutrum ei licebit. Idem tamen in curis secundis alio se vertit; et pro Mureti meretricis reponit mulieris: ante ostium mulieris tristem video: quod nemini non facile se probatum opinatur. Nescio alios, mihi quidem non ita facile: qui sciam nusquam Terentium pronuntiare mulieris, mulierem (ut nos hodie) sed semper accentum in prima mulieris, mulierem. Quid igitur de versu hoc fiet? Dicam, quid mihi non ita diu cogitanti venerit in mentem; quod an omnibus se probatum sit nescio; a nemine improbari posse certo scio. Lege igitur, Sed P. ante ostium opperiri tristem video. Bent. Malimus contractum tristem. Bip. Ante ost. meretricis video tristem Both. Tristem stare vid. Guelf. 2.—37 Alii, hi homines frigent. Rursus alii, homines frigent. West. Ab omnibus antiquis libris abest dicitio hic; quæ et versum impedit, et sensui non est necessaria. Fa. Duo ex nostris habent hic, cum Edd. vett. et Servius ad Georg. iv. 104. et rursus Æn. i. 440. Repone, salva res: nimirum hicc homines fr. Salva res, ut II. 3. 69. ubi nostri omnes, ut hic, est perperam addunt. Bent. quem sequitur Both. Hic omittunt Br. Z. Hicce dat Perl. qui monet hic dare Guelf. 2.—38 Bodl., Bœcleri omnes, alii: eludere. Ita et EV. 1. Isce hoc munere arbitrat M. An Hicce? quomodo legit Pr. Inst. Gram. lib. xii. Ms. Lips. Iste hoc munere arbitrat. West. Omnes fere antiqui libri et in his Bem. sed et Do. habent Hicce. Faërnus. Donatus in Edd. vetustis ita: 'Isce hoc munere arbitrat; Isce pro, Is, vetuste.' Hic ergo testis, citatus nil respondet. At Pr. clare, p. 948. 'Nominativus pluralis Hicce, ut, Hicce hoc munere arbitrantur; in quo videntur Euphoniæ causa S interposuisse.' Nos ex tribus codicibus Hicce et Analogiam potius sequemur, quam istam nescio quam Euphoniæ. Bent. In edd. vett. Isce. Perl. Hicce arbitrat al. Bip. Eludere et Hicce Br. In Ms. ait Bruns, literæ h superscripta

NOTÆ

37 *Salva res est*] Conjectura a signis; servus rivalis non est intro, sed ante ostium. Igitur est exclusus, res nostra extra periculum est.

Hic homines frigent] Sic Gallice di-

cimus, *Ces gens ici sont bien froids, ils ne font pas bien leur profit.* Metaphora est proverbialis, sumpta ab his, qui manibus ex frigore stupidis, nihil operari possunt.

Suam Thaidem esse. GN. Plurima salute Parmenonem
 Summum suum impertit Gnatho. Quid agitur? PA. Sta-
 tur. GN. Video. 40
 Numquidnam quod nolis, vides? PA. Te. GN. Credo;
 at numquid aliud?
 PA. Quidum? GN. Quia tristis es. PA. Nihil equidem.
 GN. Ne sis: sed quid videtur
 Hoc tibi mancipium? PA. Non malum hercle. GN. Uro
 hominem. PA. Ut falsus animi 'st!
 GN. Quam hoc munus gratum Thaidi arbitrare esse?
 PA. Hoc nunc dicis,
 Ejectos hinc nos: omnium rerum, heus, vicissitudo est. 45

*virginis dono Thaidem sibi acquisitam habere. GN. Plurimam salutem dicit
 Gnatho Parmenoni, summo et intimo suo amico. Quid fit, o noster? PA. Statur.
 GN. Id quidem video. Nonne hic vides id, quod nolis? PA. Te video, quem
 nolim. GN. Credo, sed numquid aliud? PA. Cur igitur? GN. Quia tristis es.
 PA. Nihil equidem. GN. Ne sis tristis, quaso. Sed qualis tibi videtur hæc
 serva? PA. Non mala quidem. GN. Hominem crucio. PA. Ut fallit eum opi-
 nio, cum putat hujusmodi munere capi Thaidem. GN. Quam gratum hoc munus
 Thaidi censes esse? PA. Propter hoc munus nimirum, putas nos esse ejectos ex
 his ædibus. Heus varias vices obtinent res mortalium. GN. Efficiam, Parmeno,*

est figura aspirationis index.—40 *Impartit. Impertit* antiqui libri. *Fa.* Nostri omnes *impertit*. Et Pr. p. 801. *Bent. Impartit* Guelf. 3.—41 *Hic quod nolis.* Bem. non habet *hic*: quæ et abesse potest. *Fa.* Numquidnum quod dedit *Fa.* prava erga Bem. reverentia. Nostri omnes, uno excepto, cum Edd. vet. *hic*: nec abesse potest sine sensus dispendio. Tam constat hoc, ut, si a ceteris omnibus afuisset *hic*, et in solo Bem. extitisset, in textum recepisset *Faërnus*. *Bent.* *Hic* habent Br. Perl. *Nunc pro Num J.*—42 *Pro equidem* omnes nostri uno excepto *quidem*; quod ipse versus efflagitat. Porro *tristi's* pronuntia et scribe. *Bent.* quem omnino sequitur Perl. *Quidem* Br. *Quia tristis* et *Nil quidem* Both. *Quid dum* et *Quia tristis* Bip. *Quiddam* Guelf. 2.—43 *Animo* Ms. Lips. *West.* Egregie tres ex nostris codices, *falsus es.* Tum omnes habent *animo*. Illud *animi* Donato debetur. *Bent.* B, C, Hel. *es.* Both. Sic ipse dat cum Perl. *Animo* Br.—44 *Dices. Dicis* legitur in Bem. et aliquibus aliis. *Fa.* Nostri omnes *dices*; minus recte. *Bent.*

NOTE

41 *Numquidnam quod nolis, vides]* Hoc dicit Gnatho, virginem ostentans.

45 *Omnium rerum vicissitudo est]* Vicissitudo, est per vices mutatio, alternatio. Fertur in eam sententi-

am versiculus: Τὰ θνητὰ παντὰ μεταβολὰς πολλὰς ἔχει. Mortalia omnia multas habent mutationes. Celebratur et hoc dictum: Κύκλος τὰ ἀνθρώπινα, Circulus res humanæ.

GN. Sex ego te totos, Parmeno, hos menses quietum red-
dam,

Ne sursum, deorsum cursites, neve usque ad lucem vigiles.
Ecquid beo te? PA. Men'? papæ! GN. Sic soleo ami-
cos. PA. Laudo.

GN. Detineo te fortasse: tu profectus alio fueras.

PA. Nusquam. GN. Tum tu igitur paululum da mihi
operæ: fac ut admittar 50

Ad illam. PA. Age modo; nunc tibi patent fores hæ,
quia istam ducis.

GN. Num quem evocari hinc vis foras? PA. Sine, bi-
daum hoc prætereat:

Qui mihi nunc uno digitulo fores aperis fortunatus,

ut hos sex menses integros sis quietus, ne sursum deorsum in urbe perpetuo curras, ne a prima nocte ad diem usque insonnis sis. Numquid beatum te facio? PA. Menè? Papa! valde me scilicet beatum facis. GN. Sic consuevi amicos beare. PA. Laudo. GN. Fortasse te demoror: tu alio iturus eras. PA. Nusquam alio. GN. Nunc tu igitur paululum adjuva me; fac ut intrōmittar ad Thaidem. PA. Age modo, propter puellam, quam ducis, nunc tibi hæ fores aperta sunt. GN. An aliquem ex hac domo evocari mandas? PA. Expecta, dum hi duo dies transeant: qui mihi nunc pulsu minimi digiti audito fores reseras fortunatus, facium certe, ut



Munus hoc et arbitraris GM. Quod pro Quam Guelf. 3. Dices Br.—48 Et quid et papa id. Beare Guelf. 2.—49 Do. et bona pars Interpretum distinguunt post 'te.' Mss. quidam, et in his Leidd. tres, Tr. M. et alter Lips. sed et impressi veteres, præter EP. profecturus. Leidd. duo addunt: Si te non detinuissem: sed alia manu. West. In multis scriptis libb. additur si te non detinuissem: sed illud emblemata est manus sinistra. Lind. 'Fortasse' priorib. an posterioribus jungend. sit, incertum. West. rectius illud, hoc Par. existimat. Sequor Pareum, cum GM. aliisque libb. Add. GM. in textu si te non det. Itidem Ms. 1. Par. Sed gloss. olet. Perl. Detineo te fortasse? tum' pr. alio fueras? Both. Post fueras interrogat et Bip. Post 'te' pungunt Br. Bent. Fuisses Guelf. 2.—50 Paulum. Paululum legendum ex o. fere l. s. et maxime antiquissimis versusque ratione. Fa. Nostri quoque omnes paululum. Bent.—51 Repono: nunc tibi patet foris hæc, quia. Id. Ad illam versus frustra onerant. Both. qui ea delet, et dat illam pro istam, et hæc (quod testatur legere C) patent fores. Ad vocem 'quia' sic notat Bruns: 'Superpositum tu, quasi sit pars textus.'—52 Nunc pro Num Guelf. 3.—53 Fort. ap. Ms. Lips. West. Rursus singularem numerum huc revoca, versu ipso te obsecrante, forem aperis. Bent. Digits GM. Digitsulo ib. pr. var. Forem Bent. Etiam Par. p. var. Perl. qui hoc dat cum Both.—54

NOTÆ

17 *Ne sursum, deorsum*] Videtur al-
ludere ad situm Athenarum, quæ in
declivi colle exstructæ erant.

52 *Num quem evocari hinc vis foras*]
Gnatho irridet Parmenonem, qui in
ædes intrare non poterat.

Næ tu istas, faxo, calcibus sæpe insultabis frustra.

GN. Etiam nunc hic stas, Parmeno? eho! nunnam hic relictus custos, 55

Ne quis forte internuntius clam a milite ad istam cursitet?

PA. Facete dictum: mira vero militi quæ placeant.

Sed video herilem filium minorem huc advenire.

Miror quid ex Piræeo abierit; nam ibi custos publice est nunc.

sæpe istas pedibus frustra pulses. GN. *Etiam nunc hic manes, Parmeno? Anne hic positus es custos, ut caveas, ne quis nuntius secreto a Milite celeriter ad Thaidem mandata ferat?* PA. *Eleganter et facete dictum. Miranda vero, et exquisita sunt, quæ dicis, et digna quæ Militi placeant, tam subtilis et acuti ingenii viro. Sed video heri filium minorem natu Chæream huc venire: mirum est cur ex Piræo discesserit: nam ibi custos nunc publice positus est; non sine causa deseruit sta-*

Istam Both. Perl. qui monet id recte dare Bent.—55 Riv. legit: Etiam nunc tu hic stas? T. Faber: Etiam nunc hic stas, Parmeno? nunnam hic tu relictus custos? delecto eho, quod in Junt. non apparere dicit. Apparet autem in editione Philippi de Giunta, Florent. 1505. hoc modo: Etiam tu hic stas, Parmeno? eho, nunnam tu hic relictus custos? Westerhovius. Etiam tu hic stas Parmeno? eho nunnam tu hic relictus custos. Multi l. s. et in his antiqui omnes præter Bem. neutrobi habent tu, sed pro priore adverbium nunc; quod et locutioni et versui est aptius. In Bem. non est nec tu, nec nunc. Fa. Unus ex nostris cum Edd. vett. Etiam tu hic stas. Repone, Etiamne tu hic stas, Parmeno? Ex ne factum ne, id est, nunc. Bent. Vulgo Etiam nunc hic stas, Parmeno? eho nunnam, &c. invenuste eliso nomine. Bent. nunc delevit, addidit tu ex uno cod. quicum facit B recte: sed etiamne non inducendum ex uno Bent. scripto, nostris B, C, et vett. edd. nam versus respuit. Both. qui sic legit: Eho, etiam tu hic stas, Parmeno? nunnam hic relictus custos. Nunnam tu hic Bip. Bent. sequitur Perlet; dat etiam relictus.—56 Cursitet Mss. quidam cum impressis præstantissimis exhibent. Ita et quinque Leidd. et Do. Alii, curset. West. Corrige curset, ex eodem libro. Fa. Nostri omnes, cursitet. Bent. Curset Bent. Z. Both. Perl.—57 Nimis arguta est crisis Guyeti legentis. PA. Facete. GN. Dictum. West.—58 Sed videon Ms. Lind. J. et Venetus cod. adventare. Perl. Dat videon et advenire? Br.—59 Quid Piræo Both. Pireo Br. Piræo Z. Bent. Bip. Perl. qui monet: 'Var. scriptura inter Piræeo et Piræo. Sed J. F. Heusinger. ad Cic. Off. III. Priscos, ait, nomen illud tribus syllabis plerumque extulisse.' Quod Guelf. 3. et distinguit ante 'nunc.' Glossa τὸν Br. notat pro publice alios le-

NOTÆ

56 *Ne quis forte internuntius]* Hæc millium passuum urbi conjunctus. Piræus vulgo *Porto-Lione*.

Nam ibi custos] Athenienses, postquam ex Ephēbis excesserant, militiæ daturi nomen, publice custodes erant in urbe per annum; deinde in suburbana mittebantur Castella, (c

57 *Facete dictum]* Ironice: quia in-ficita hæc dicta esse vult Parmeno.

59 *Ex Piræo]* Piræus vel Piræus erat portus Athenarum, quadringentarum capax navium, muro duorum quibus unum erat portus Piræus,) ex-

Non temere est ; et properans venit : nescio quid circum-
spectat. 60

tionem et praesidium ; festinans etiam venit. Nescio quid diligenter et attente circumspicit.

//////////

gere sub ilice.—60 Ms. Par. *circumspectet*. Perl.

NOTÆ

cubituri adversus praedonum incur- factum est ; τὸν Πειραιέα μὴ κεναρῳγίαν
sus : praeterea conveniebant eodem ἄγειν, Piræum non vehere vasa ina-
adolescentes convivia acturi, ut post nia.
indicat Antipho : quare Proverbium

=====

ACTUS II. SCENA III.

CHÆREA. PARMENO.

CH. OCCIDI.

Neque virgo est usquam ; neque ego, qui illam e conspec-
tu amisi meo.

Ubi quæram ? ubi investigem ? quem perconter ? quam
insistam viam ?

Incertus sum : una hæc spes est ; ubi ubi est, diu celari
non potest.

CH. Perii. *Neque virgo usquam est, neque ego, qui illam visam in via perdidit. Ubi quæram ? ubi vestigiū ejus sequor ? Quem interrogabo ? Qua via procedam ? Incertus sum quid sim facturus : hæc sola spes restat, quod, ubi vis sit, diu occultari*

//////////

1 *Occidi*. Licet o. l. s. aliter habeant, necesse est hanc dictionem, et a præcedentis scenæ ultimo et ab hujus primo versu separare. *Fa.* *Occidi* nimis appositæ personæ Chæreæ est vox, quam quæ contra Codicum fidem a Gnyeto imperitis Librariis imputari mereat. *West.* Hanc voc. a librariis esse Guy. non recte judicat. *Perl.*—3 *Donatus* : ‘ Et qua via legitur.’ Et sic duo codices ex nostris cum Edd. vett. Rectius. Ceterum tolle istas interrogationis notas ; et sic accipe, *Incertus sum, ubi quæram, &c.* *Bent.* Sic pun- git Br. *Qua via Both.* *Perl.*—4 *Certus* vult Gov. et interrogat in vs. 3. post

NOTÆ

1 *Occidi. Neque virgo est usquam]* 4 *Ubi ubi est, diu celari non potest]*
Quia eam e conspectu amiserat. Ob nimiam formæ gratiam.

O faciem pulchram! deleo omnes dehinc ex animo mulieres. 5

Tædet quotidianarum harum formarum. PA. Ecce autem alterum!

Nescio quid de amore loquitur: O infortunatum senem!

Hic vero est, qui si occeperit, ludum jocumque dices

Fuisse illum alterum, præut hujus rabies quæ dabit.

CH. Ut illum Di Deæque senium perdant, qui me hodie remoratus est; 10

non potest, ob nimium formæ gratiam. O faciem venustam! exinde omnes animo deleo mulieres: satietas me capit harum vulgarium pulchritudinum, quas quotidie videre licet. PA. Ecce autem alterum fratrem Phædriæ minorem. Nescio quid de amore loquitur. O infortunatum senem Lachetem, cui tules contingere filii amore perdit! hic vero adeo acri et rapido ingenio est, ut, si amori se dediderit, nugæ fuisse dices ex quæ ille alter (Phædria) fecit, ad comparationem illorum quæ hujus (Chæreæ) rabies committet. CH. Ut illum Dii Deæque senem miseris modis in-

‘viam’ solum.—6 *Harum quotid.* Ex libris scriptis et Do. hæc verba sic colloca: *quotid. harum. Fa.* Ita nostri similiter omnes. *Bent. Er. invert. har. quotid.* ex l. antiq. *West. cotid. Par. cottid. Perl.*—7 *GM. in fortun.* id. in marg. al. *fortun. Amare Guelf. 3.*—8. 9 *Hic vero est qui si amare occeperit, ludum jocumque Dices fuisse.* Pr. libro XIV. hunc locum citans, non ponit verbum *amare*: quod nec in *Bem.* quidem est, in quo etiam *dicit* legitur: quod et placet. Sane hos versus ita ordinamus: *Hic vero est qui si occeperit, ludum, jocumque dicit Fuisse illum alterum, præut hujus rabies quæ dabit.* Putarim tamen legendum *illuc*, ne duo hiatus in uno versu interveneriant. *Fa. Bodl. Hic vero puer est.* Ms. Lips. G. Bodl. M. et ET. EM. *qui si occeperit amare.* Quomodo et Donatum legisse discas ad vers. 56. Itaque esse in omnibus *Pall.* auctor est *Pareus.* Videtur autem e glossa additum. Non audiendi *Fa.* et *Guy.* rescribentes ex *Bem. dicit.* *West.* Prior versus, quem dedit *Fa.* quantum ad numeros bene habet: alter cum hiatibus istis nullo modo ferendus. Sensit hoc vir doctus; et a *Fæerno* suo desciscens sic versus constituit, in ipso etiam textu: *Hic vero est, qui si occeperit, ludum jocumque, [sat scio] Dicit fuisse illum alterum, præut hujus rabies quæ dabit.* Nihil, inquit, certius est, quam versum secundum a *Dicit* incipiendum esse. Ubi semel hoc pro comperto assumsit; *Lacunam*, inquit, verbis hisce, *sat scio*, supplere nullus dubito. Atqui melius erat dubitasse: quam *lacunam*, quæ nulla est, verbis, quæ nihili sunt, supplevisse. Porro et *Dicit* ideo hic probat, quia *Parmeno* hic neminem alloquatur. Pari omnia felicitate. Vide, an nobis fortunatius cadat alea: *Hic vero est, qui si occeperit, Ludum jocumque dicas fuisse illum alterum, Præut hujus rabies quæ dabit.* Ceterum vel *Prisciani* auctoritas, qui p. 997. hos ipsos versus adducit, ut hodie feruntur, detertere debuit virum doctum, ne *sat scio* hic intruderet, ubi ipse nihil sciebat. *Dices* *Prisciani* codices, nostrique omnes: et *dicit* ineptum est. Repone, *dicas.* *Bent.* quem omnino sequitur *Perl. Dicas, Præut hujus rabies quæ dabit illum alterum fuisse Both. Dicit Z.*—10 *Bodl. G. et EP. ut illum Di Deæque senem omnes perdant.* Idem ex *Vet. Cod.* laudat *Lind. Pareus senem tuetur ex Pall. omisso omnes.* Ita et *Ms. Lips. alter. West. Senium a Donato est: senem*, nostri omnes, et, ut credo, *Fæerniani*: sed dissimulat ille, ne *Bemini* fides minuatur. Nostri etiam universi cum *Edd. vett. omnes* habent, vel

Meque adeo, qui restiterim; tum autem, qui illum floccifecerim.

Sed eccum Parmenonem! Salve. PA. Quid tu es tristis? quidve es alacris?

Unde is? CH. Egone? nescio hercule, neque unde eam, neque quorsum eam:

Ita prorsum oblitus sum mei.

PA. Qui, quæso? CH. AMO. PA. Hem! CH. Nunc, Parmeno, te ostendes, qui vir sies. 15

Scis te mihi sæpe pollicitum esse: Chærea, aliquid inveni

terficiant, qui me hodie garrulitate sua detinuit: meque etiam, qui ire cessaverim; tum quoque, qui illum vel tantilli fecerim, ut cum illo manerem. Verum Parmenonem hic ridco. Salvus sis. PA. Quid tu tristis es? quidve tum alacriter festinas? Unde venis? CH. Ego nescio mehercule, neque unde veniam, neque ad quam partem eam; ita omnino immemor sum mei. PA. Cur, quæso? CH. AMO. PA. Hem. CH. Nunc, Parmeno, demonstrare debes, qualis vir sis; memineras te sæpe mihi promississe, cum diceres: Chærea, tantummodo invenias mulierem quam umes;

//////////

ante vel post *senem*. Academicus etiam *Dii Deæ omnes* absque illo *que*: Regius autem, *qui hodie me*. Repone, *Ut illum Di Deæ omnes senium perdant, qui hodie me remoratus sit*. Bent. *Sit Bent. recte. Perl. qui hic omnino paret Bentleio. Senem omnes perdant. Br. Illunc et hodie me Both.*—11 Mss. quidam, *qui illum non fl.* Quomodo et exhibet EP. Junt. aliæque. Scilicet, notante Donato, 'floccifacere' et contemnere et non contemnere significat. Guy. suo more mire finxit hunc locum, ita: *Ut cum Di Deæque senium perdant, qui me hodie remoratus est: Meque adeo, qui restiterim tum, haudque illum fl.* West. *Tum autem quin illum floccifecerim* legend. patamus pro vulg. *qui. Quidam Mss. qui illum non fl.* Miramur Bentleium id transmisisse. Bip. Superpositum non in Br. qui dividit *floccifecerim*, ut Z. Bent. Perl. Both.—12 Ms. Lips. alter: *quidve alacris*. Hæc Guy. expungit, substituens: *Sed eccum Parmenonem: salve. PA. Salve tu: quid tristis es?* Turnebus mallet, *quidne es alacris?* sc. non credens, *tristis* et *alacris* simul stare posse. Est vero *alacris* h. l. qui totus in gestibus et motu est corporis. Unde *alacrem* et *lætum* plus semel junxit Cicero. West. *Quidre al.* Br.—13 *Unde is?* CH. *Ego nescio hercule*. Bem. ita habet, *Egone? nescio hercule*: ita optime versus procedit. *Fu. Nostri vitiose Ego. Bent. Ego nescio hercule Br. Hercule Bent. Both. Bip. Perl. Egone* abest a Guelf. 2. qui dat *quorsum eadam. Ego nescio GM. legere* testatur Perl.—14 *Prorsus* Br. Bip.—15 *Nunc te, Parmeno, ostendes.* Non stat octonarius nisi legas ut in Bem. Bas. et aliis: *Nunc, Parmeno, te ostendes. Fa. Lege, Nunc, Parmeno, te ostenderis. Poteris etiam, ostendesis; sed illud melius. Bent. Ostendus* Guelf. 2 vss. 14. 15. Sic legit Bothius: *Ita oblitus prorsus mei sum. PA. Qui, quæso? CH. AMO. PA. Hem! CH. Parmeno, nunc*

NOTÆ

11 *Qui illum floccifecerim*] Indicat Est autem floccus, lanæ particula, Chærea se Archidemidem ne flocci quæ inutilis a vellere divellitur atque quidem facere debuisse, ut remansus evolat. desisteret a perscquenda virgine.

Modo quod ames; in ea re utilitatem ego faciam ut cognoscas meam;

Cum in cellulam ad te patris penum omnem congregabam clauculum.

PA. Age, inepte! CH. Hoc hercle factum est: fac sis nunc promissa appareant;

Sive adeo digna res est, ubi tu nervos intendas tuos. 20

Haud similis virgo est virginum nostrarum, quas matres student

in ea re faciam, ut experiaris, quantopere possim tibi esse utilis; tum, cum in cellulam tuam omnem penum patris afferebam, et cumulate tibi apponebam, insciis omnibus. PA. Age, imprudens, exprobra quæ mihi benefecisse prædicas. CH. Nunc hercle hoc evenit. Inveni quod amem; fac, si vis, ut promissa erent, sive propterea quod hæc virgo adeo digna res est, in qua omnem vim, studium, et industriam ponas. Non similis est puellarum nostrarum, quæ, ut demissos habeant humeros,

//////////

te ostendes, qui vir sis. Dat Ehem Bip.—17 Lege cum Donato Msto, vet. Edd. et tribus nostris codicibus, utilitatem in ea re faciam. Tantum ego, quod illi habent, ut supervacuum tollo. Bent. Obsequitur Perl. et Both. qui dat Quod ames, modo.—18 Pr. Inst. Lib. xv. congregabam. EP. penum omne. West. Penum omnem in Bem. et V. et sic etiam legi Do. testatur: et ita etiam Pr. citat libro quinto. Fa. Tres tantum ex nostris omne. Pr. bis locum laudat p. 654. et 1017. ubi Msti quoque omnem. Bent. Omne Br.—19 Pr. ut app. ipsu M. West. Faxis nunc promissa appareant] Ita et in Bem. sed V. et alii, fac sis: quin et in Bem. est glossema indicans dictum esse faxis pro fac sis. Fa. Unus quoque ex nostris faxis: inepte. Cledonius tamen, magister vetus; p. 1916. 'Faxo faxis, Terent. 'Faxis, nunc promissa appareant.' Ceterum male post 'appareant' plenam distinctionem hodie ponunt. Bent. Si Mss. Par. Perl. B, C, Hel. fac nunc sic, nunc prom. ipsa, vel (nam sic C) tua ipsa, &c. Both. qui dat Hoc hercle nunc, sis, nunc, fac prom. ipsa appareant. Plenam distinctionem post 'app.' habent Br. Perl.—20. 21 Bodl. verba hæc Parmenoni tribuit: ita: PA. Si adeo digna res, ubi tu nervos intendas tuos. CH. Haud similis virgo. Ita et Ms. Lips. alter. West. Hæc verba, ex auctoritate Donati, Chæreæ attribuimus. Fa. Nostris male dant Parmenoni. Bent. Recte his præscribi in codd. nostris Parmenonis nomen jam apparet, legoque cum eisdem Si adeo, correcto tamen verbo Sive, non omisso, quod libri faciunt. Both. qui dat appareant . . . PA. Sine. CH. Si adeo res est digna, &c. Si pro Sive Br. qui hunc vs. Parmenoni dat. Si Gneif. 2. 3.—

NOTÆ

18 *In cellulam*] Cellæ erant tuguriola servorum et pauperum. Penus est omne quo vescuntur homines, ut definit Cicero: atque etiam ea, quibus animalia nostro usui apta nutriuntur, ut vult Ulpianus Jurisconsultus. Dicta penus, quod hujusmodi

res, ad victum necessariae, intus et penitus recondantur. Dicitur hic, vel hæc, quarta declinationis, et hic penus peni secundæ, et hoc penus penoris, et hoc penum, et hoc penn indeclinabile.

Demissis humeris esse, vincto pectore, ut graciles sient :
Si qua est habitior paulo, pugilem esse aiunt; deducunt
cibum.

Tametsi bona 'st natura, reddunt curatura junceas :

Itaque ergo amantur. PA. Quid tua isthæc? CH. Nova
figura oris. PA. Papæ! 25

CH. Color verus, corpus solidum, et succi plenum. PA.
Anni? CH. Anni? sexdecim.

PA. Flos ipse. CH. Hanc tu mihi vel vi, vel clam, vel
precario,

et longius collum, omnem matres dant operam, eisque pectus ligant stricte, ut tenui sint corpore. Si qua sit paulo corpulentior, pugili et athletæ similem eam esse dicunt; etiamsi boni sint temperamenta, plenæ, pingues, detrahunt eis alimentum ne pinguescant, et studio et cultura reddunt eas graciles instar junci: itaque, propter hanc arte et cultu quæsitam venustatem, fit ut amentur. PA. Tu dic qualis ista tua est. CH. Nova ejus forma est et figura corporis, cuique similis ante hæc visa est nulla, color nativus, non fictus, corpus plenum et succulentum. PA. Quot ei sunt anni? CH. Anni sexdecim. PA. Flos ipse atatis est. CH. Hanc tu mihi fac tradas, vel aperta vi, vel arte secreta, fraude, furto, vel precibus; mea

22 Alii, *gracilæ*. Vide, quæ notavit Weitzius et Jos. Scaliger in Conjectaneis Varronianis. Auson. Epist. ad Hesperium: 'Si qua tibi in his versiculis videbuntur (nam vereor, ut multa sint) fucatus concinnata, quam verius, et plus coloris, quam succi habere; ipse sciens fluere permisi, vennstula ut essent magis, quam forficula; instar virginum, Quas matres student demissis humeris esse, vincto pectore, ut graciles sient.' Assentior Faërno et Rivio, Donatum legisse, *gracilæ*, atque adeo notasse tanquam rarius vocabulum. Et sane *gracilæ* est in plusculis Mss. unde ita edidit Par. post Aldum aliosque. West. Do. legit *gracilæ*. Sic et in V. erat: sed superaddito s, factum *graciles*: contra in Basil. ex voce *graciles* s expunctum. Fa. At editiones Donati, tam veteres quam recentiores, *Graciles a Gracilis*. Male tamen, ut existimo. Sed accedit certior testis Val. Probus p. 1466. 'Hic et hæc gracilis, hic et hæc imbecillis: sed Terentius nove, Ut gracilæ sient. Nominativo singulari, hæc gracila, hæc imbecilla.' Eugraphius: 'Legitur et *gracilæ*; ut declinaverit Terentius, Hæc gracila.' Puerorum olim causa factum hic *graciles*. Bent. *Gracilæ* legendum est. R. D. Vetus cod. Lindenbrogii et Gu. I. corpore. Both. *Gracilæ* Bip. Both. Perl.—23 *Si quæ habitior paulo, aiunt esse pugilem* Both.—24 *Tamen etsi* Mss. quidam. *Tali curatura* M. West. Lindenbrogii codices, et ex nostris veterrimis unus *Tamenetsi*. Lege, *Tamenetsi bona natura est*. Bent. Sequitur Perl. (nisi quod dat *Tamen, etsi*) et Both. qui legit *junceam*, et notat: 'Vulg. *junceas*: sed de una illa virgine sermo est, quam habitiosem finxit. Ergo versu seq. indignantis est.'—25 *Nova figura oris*. Hæc et sequentes versus tres Chæreæ ascribit Guyetus, sed præter necessitatem. Legit autem: CH. *Nova figura oris: papæ: Color verus, corpus solidum, et succi plenum; anni sexdecim, Flos ipse: hanc tu mi vel clam, vel precario Fac tradas*. West.—26 *Anni quot?* EP. Id. *Sedecim* Br. Bent. Bip. Z. Both. Perl.—27 *Puto legendum Hance*: et in 'ipse' non faciendam synalæ-

NOTÆ

27 *Vel vi, vel clam, vel precario*] In jure cum vitio possidet, qui vi, invi-

Fac tradas : mea nihil refert, dum potiar modo.

PA. Quid? virgo cuja est? CH. Nescio hercle. PA. Unde est? CH. Tantundem. PA. Ubi habitat?

CH. Ne id quidem. PA. Ubi vidisti? CH. In via. PA. Qua ratione amisisti? 30

CH. Id equidem adveniens mecum stomachabar modo; Nec quenquam esse ego hominem arbitror, cui magis bonæ

nihil interest, dummodo eam possideam; jurene an injuria, nihil pensi habeo, dummodo mihi comparetur. PA. Quæ virgo, quæ conditio, servane an libera? CH. Per Herculem, nescio. PA. Unde est? CH. Tantundem scio. PA. Ubi habitat? CH. Ne id quidem scio. PA. Ubi eam vidisti? CH. In platea. PA. Quomodo eam e visu perdidisti? CH. Id propter equidem adveniens mecum indignabar modo; neque ullum hominem esse puto, cui magis secundæ fortunæ omnes ad-

//////////

plam. Fa. Misera sane medendi ratio, 'ipse' sine synalœpha, et hanc, ut octonarius fiat. Cantior vir doctus; qui ex recepta lectione pro Senario Septenarium fore videbat; qualis, ait, versus quam maxime potest evitandus est; etsi uno alterove loco necessario admittendus videatur. Bono animo esse jubeo; ne semel quidem admittetur. Ipse igitur illud *Flos ipse* extra versum posuit: ut Clausula sit, qualis 'Occidi' in hac Scena, et in Heaut. 'Discrucior animi.' Laudandus est, quod aliqua tenus prodierit; tametsi non ad terminum ipsum. Equidem non ut Clausulam extra numerum poni, sed omnino excludi et ejici velim. Bent. *Flos ipsus et Hanc vel vi mihi vel clam tu vel precario* Both. qui ex more sic omnia invertit.—28 *Potior* alter Ms. Lips. West.—29 Hosce versus ita ordinat Guyetus: *Quid? virgo cuja est? CH. Nescio hercle, Parmeno. PA. Unde est? CH. Rogas? tantundem. PA. Ubi habitat? CH. Ne id quidem. PA. Ubi vidisti? CH. In via. PA. Qui amisisti, Chærea?* Sed præterquam, quod nulla nisi sua utitur auctoritate Guy. vel ideo suspecta hæc lectio est, quod illa, *Unde est? Rogas? tantundem*, non sapiunt stylum Terentianum. West.—30 *Amisti* Do. quidem legit: sed ratio versus exigit *amisisti*: ut et in Bem. et in omnibus aliis fere libris est. Qui vero sequuntur versus senarii sunt: itaque in eo libro cum hoc, quem supra diximus, versu ordinantur: *Ne id quidem. Ubi vidisti? In via. Qua ratione amisisti? Id equidem adveniens mecum stomachabar modo. Nec quenquam esse hominem arbitror, cui magis bonæ. Fa. Amisti* confirmant præter unum et alterum recentiorem tres nostri vetustissimi. Videtur olim fuisse, *Qua ratione illam amisisti? Vir doctus, Qua r. autem amisisti? Bent. Amisisti* Pall. *Perl. Vulg. amisisti*, prisce sed inconcinne. Sequor nostros codd. *Both. Illam amisisti* Perl. *Amisti* Z.—32 Sic dedit Fa. Nostri plerique: *Neque ego quenquam hominem esse. Unus: Neque quenquam ego esse hominem. Vett. Edd. Neque quenquam hominem esse ego arbitror. Repone, Neque quenquam ego hominem esse arbitror.* Eodem ordine ponit vir eruditus. Bent. quem sequuntur

NOTE

to domino possidet: clam, qui inscio domino: precario autem, qui precibus a domino quid obtinuit utendum ea conditione, ut liberum sit illi, qui concessit, id repetere.

Felicitates omnes adversæ sient.

PA. Quid hoc est sceleris? CH. Perii. PA. Quid factum 'st? CH. Rogas?

Patris cognatum, atque æqualem, Archidemidem, 35
Novistin? PA. Quid ni? CH. Is, dum sequor hanc, fit mihi obviam.

PA. Incommode hercle. CH. Immo enimvero infeliciter; Nam incommoda alia sunt dicenda, Parmeno.

Illum liquet mihi dejerare, his mensibus

Sex septem prorsum non vidisse proximis, 40

Nisi nunc, cum miuime vellem, minimeque opus fuit.

Eho, nonne hoc monstri simile 'st? quid ais? PA. Maxime.

versæ sint. PA. *Quodnam scelus in te commissum est?* CH. *Occidi.* PA. *Quid factum est tibi?* CH. *Quærisne? Num patris cognatum et æquævum Archidemidem cognoscis?* PA. *Cur non noverim?* CH. *Dum hanc sequor virginem, ille in viâ mihi occurrit.* PA. *Incommode, per Herculem.* CH. *Immo infeliciter; nam incommoda alia minora sic appellanda sunt, non hoc malum. Liquido dejerare possum me prorsus illum non vidisse hos sex vel septem menses superiores præteritos, nisi nunc, cum invitus vidi, mihi que id damnosum fuit. Ehodum nonne hoc insolitum et instar prodigii est? Quid de hac re dicis?* PA. *Ita est, ut ais.* CH. *Sta-*

Perl. et Both. qui dat *mage*. *Ego abest a Guelf. 3.—33* Primus, opinor, moneo mendum hic subesse. *Lego aversæ.* Bent. *Adversæ* GM. *Al. sient quam mihi.* Perl. *Adversitas* A et C: emendare Poëtam visis sibi scribis. *Both.* *Aversæ* Perl.—34 *Quid hoc est sceleris?* Vulgo hæc verba Parmenoni tribuuntur. Boëclerus Donatum laudat, tribuentem Chæreæ. Male. Jac. Perizonius conjiciebat, legendum esse, *Qui id factum 'st?* ut sensus sit: Qua ratione factum est, ut virginem e conspectu amiseris? Atqui id jam rogaverat versu 30. Estque in vulg. lect. commoda interrogatio, quare se adeo infelicem dicat Chærea. *West.* Male codices, qui nunc supersunt, Parmenoni illud tribuunt, *Quid hoc est sceleris?* Omnia sunt Chæreæ: *Aversæ sient. Quid hoc est sceleris? perii.* PA. *quid factumst?* Et sic olim Donatus: 'Quid hoc est sceleris? Propter hoc quod patior, inquit. Nunc enim scelus dicit a se commissum.' *Lege, Propter quod hoc patior.* Si Parmenoni hoc assignasset, non *patior* dixisset, sed *pateris*. Bent. Alii 'Quid hoc est sceleris' contra ethos dictum a Parmenone volunt. *Bip.—35* M. cum quibusdam aliis *Archimenedem*, corrupte. *West.*—36 *Nostin?* PA. *Quidni?* CH. *Is, dum sequor hanc.* L. o. hanc collocationem verborum habent, *dum hanc sequor*: sed, ut versus constet, vel legendum est *Novistin*, ut in Bem. est, vel ex 'Quidni' nihil elidetur. *Fa. Novistin* versus gratia videtur interpolatum. Ceteri omnes *Nostin*. Quod retinet vir eruditus. *Poteris legere, Nostine? Quidni?* Bent. *Nostin et dum hanc sequor* Br. *Nostine et dum hanc sequor* Bent. *Bip. Both.* Perl.—39 GM. *delirare* mire: cum gl. *dejerare*. Perl. *Delirare* et Br. quod errorem notandum vocat Bruns.—40 *Sex vel septem* M. *West.* Quinque nostri cum vett. Edd. et *Prisc.* p. 1200. *prorsus*. Concinnius hoc. *Bent. Sex vel septem* Pall. 1. 3. *Aut* GM. *Septem* abest a Guelf. 3. *Perl.* qui cum *Both.* dat *prorsus*.—41 *Minime opus* *Both.*—42 *Id.* dat *Eho, nonne hoc monstri sim. est?*—43 *Occurrit*

CH. Continuo accurrit ad me, quam longe quidem,
 Incurvus, tremulus, labiis demissis, gemens.
 Heus! heus! tibi dico, Chærea, inquit. Restiti. 45
 Scin' quid ego te volebam? dic. Cras est mihi
 Judicium. Quid tum? Ut diligenter nunties
 Patri, advocatus mane mihi esse ut meminerit.
 Dum hæc dicit, abiit hora. Rogo, numquid velit.
 Recte, inquit: abeo. Cum huc respicio ad virginem, 50
 Illa sese interea commodum huc advorterat
 In hanc nostram plateam. PA. Mirum, ni hanc dicit, modo
 Huic quæ data est dono. CH. Huc cum advenio, nulla
 erat.
 PA. Comites secuti scilicet sunt virginem?
 CH. Verum: parasitus cum ancilla. PA. Ipsa est: ili-
 cet! 55

tim ad me currit quam longe erat, ætate incurvatus, tremens imbecillitate, labiis propendentibus deorsum, gemens præ tussi: Heus, heus, te volo, Chærea, inquit. Ad hæc verba gradum repressi. Scisne, dixit, quæ tibi volebam dicere? Dic, inquam. Cras mea causa agitur. At, quid inde? inquam ego. Ut sedulo patrem moneas rogo, ut meminerit mane mecum stare in judicio. Dum hæc dicit, hora præterit; quæro numquid velit. Recte, inquit, tibi sit, vale. Abeo; cum huc respicio ad virginem, illa interea eodem tempore deflexerat in hanc nostram plateam, ubi Thais habitat. PA. Nimirum de illa loquitur virgine, quæ Thaidi donata est a Milite. CH. Cum huc advenio, eam non reperi: disparuerat. PA. Nempe comites virgini aderant. CH. Ita est: secuti sunt nimirum parasitus et ancilla. PA. Ipsa est. Jam,



Guelf. 2. et qui 3. pro *quam*.—49 Libri quidam Mss. et typis expressi, *Dum hæc loquitur*. West. *Dum hæc dicit* dedit Fa. et sic Edd. vett. Sed nostri omnes, excepto uno satis recenti, *Dum hæc loquitur*. Bent. *Loquitur* R. et Vet. Cod. Lind. *Loquitur* exhibent Br. Bent. Both. Perl. qui notat *dicit* esse in Guelf. 2.—50 *Scriptum inquit* in Guelf. 3. et *Habeo* in 2. Hoc et glossa in Br. habet: et Bruns notat: 'Atque sic forte olim lectum fuit, huicque lect. convenit nota [sc. in glossa], 'aliquid tibi dicere.'—51 *Illac se int.* Both.—52 *In nostram h. pl.* Bip. *Hanc nostr. in plateam* Both.—53 *Repone quæ data dono est.* Bent. Sequitur Perl. *Data huic quæ dono est* Both.—54 *Tolle interrogationis notam.* Bent.—55 Libri quidam junctim *Ipsa 'st scilicet*. West. *Ipsa est scilicet* G. ET. EM. *Id. in Add. Scilicet* nostri Codd. et Edd. vetustæ. Tacet Faërus: sed ita Bem. notante G. F. Eugraphius ad locum: 'Ipsa est: ilicet. Quoties causa ab oratoribus finiebatur, et a iudice sententia ferri cœperat, semper conclamabatur, Ilicet, hoc est Ire

NOTÆ

49 *Rogo numquid velit*] Abituri, ne Sic Galli solent dicere, *Vous plût-il*
 id dure facerent, Numquid vis, dice- *rien me commander?*
 bant his quibuscum constitissent.

Desine: jam conclamatum est. CH. Alias res agis.
 PA. Istuc ago quidem. CH. Nostin' quæ sit? dic mihi:
 Aut vidistin'? PA. Vidi; novi: scio, quo abducta sit.
 CH. Eho, Parmeno mi, nostin'? PA. Novi. CH. Et scis
 ubi siet?
 PA. Huc deducta est ad meretricem Thaidem: ei dono
 data est. 60
 CH. Quis is est tam potens cum tanto munere hoc? PA.
 Miles Thraso,
 Phædriæ rivalis. CH. Duras fratris partes prædicas.
 PA. Immo enim si scias, quod donum huic dono contra
 comparet,
 Tum magis id dicas. CH. Quodnam quæso hercle? PA.
 Eunuchum. CH. Illumne obsecro

jam res acta est; Chærea habet, captus est. CH. Non attendis ad ea quæ dico.
 PA. Attendo. CH. Novistine quæ sit? Aut vidistine eam? PA. Vidi, novi, scio quo
 abducta sit. CH. Eho, Parmeno mi, novistine? PA. Novi. CH. Scis ubi sit?
 PA. Ad has ædes deducta est ad Thaidem meretricem, et in donum tradita. CH.
 Quis ille est adeo potens, qui tam pretiosum munus det meretrici? PA. Miles
 Thraso, Phædriæ rivalis. CH. Difficiles partes frater agit contra æmulum ita
 divitem et munificum. PA. Immo Phædriam partes habere dicas difficiliores, si
 scias quod munus huic muneri contra apparet. CH. Quodnam illud est, cedo? PA.

licet. Signum ergo finis et cognitionis plenæ? Miror igitur virum doctum,
 qui illud scilicet verius putat. Inter *Ilicet* et *conclamatumst* invenuste, ait,
 inseri videtur *Desine*. Si, Quare, roges, nesciat: illud tamen scire poterat,
 invenuste hic repeti *scilicet*; cum in versu fuerit præcedente. *Bent.* *Scilicet*
 Br. Guelf. 2. 3. *Cum ea pro cum ancilla GM.—57 Istuc ago equidem.* Ita et in
 Bem. Fa. Unus ex Nostris, *ago equidem: ceteri equidem ago. Nostin quæ*
sit? dic mihi, aut Vidistin? CCC. egregie, *Nostin quæso dic mihi aut Vidistin?*
 'Quæso' passim in interrogatione locum habet. Et respondet Parmeno,
 'Vidi, novi:' absolute; non, 'quæ sit.' *Bent.* qui dat *I. a. equidem,*
 quod dant et Both. et Guelf. 3. *Istuc equidem ago* Br. Guelf. 2. Voce 'aut'
 hunc vs. claudunt *Bent. Both. Bip. Perl. Nostin (quæso, dic mihi) aut Both.*
 —58 *Novi et scio J. Et novi et scio* Guelf. 2.—59. 60 *O Parmeno mi nostin?*
Novi. Scis ubi siet? Huc deducta est ad Thaidem meretricem, ei d. data est.
 O. l. s. *Eho Parmeno habent: item hi et Donatus, ad meretricem Thaidem:*
 aliqui vero, inter quos Bembinus, *Et scis; omnesque fere antiqui præter*
eum, in quo est, et dono data'st, habent, ei dono data est. Itaque sic legemus:
Eho Parmeno mi nostin? Novi. Et scis ubi siet? Huc deducta'st ad
meretricem Thaidem, ei dono data'st. Fa. Tolle istud Novi; et totum da Chæ-
rææ: Eho, Parmeno mi, nostin, et scis ubi siet? Sic habet Douatus Linden-
 brogii; et viro docto idem visum est. *Bent. PA. Novi: Bent. hancee res-*
ponsion. Parmenonis extrudit contra morem Terentii. Adducta Guelf. 2.
Et ei dono 1. Perl. Scis delet Both.—61 Ita potens Guelf. 2.—62 *Partes fra-*
tris EP. West.—63 Immo si scias. Codices nostri duobus modo exceptis,
Immo enim: et sic veteres Edd. Repone: Immo enim si scias quod donum dono
huic c. c. Bent. Domo Par. vitiose. Dono abest a Guelf. 2. Perl.—64 Id varie

Inhonestum hominem, quem mercatus est heri, senem,
mulierem? 65

PA. Istunc ipsum. CH. Homo quatietur certe cum dono
foras.

Sed istam Thaidem non scivi nobis vicinam. PA. Haud
diu est.

CH. Perii! nunquamne etiam me illam vidisse? ehodum
dic mihi;

Estne, ut fertur, forma? PA. Sane. CH. At nihil ad nos-
tram hanc. PA. Alia res est.

CH. Obsecro hercle, Parmeno, fac ut potiar. PA. Faciam
sedulo, ac 70

Dabo operam, adjuvabo: numquid me aliud vis? CH.
Quo nunc is? PA. Domum,

Ut mancipia hæc, ita ut jussit frater, deducam ad Thaidem.

Eunuchus. CH. *Illumne, quæso, dicis deformem hominem, effæminatam quem emit heri, senem, mulierem?* PA. *Hunc ipsum.* CH. *Ictibus homo certe extrudetur cum dono foras: sed adhuc ignorari istam Thaidem in vicinia habitare.* PA. *Non diu est, ex quo habitat.* CH. *Occidi. Nunquamne etiam me illam Thaidem vidisse oportuit? Estne, ut tradunt, forma tam honesta et eleganti?* PA. *Certe est.* CH. *At nihil est, si cum nostra comparetur.* PA. *Diversa res est, utraque pulchra est, sed diversæ sunt formarum species.* CH. *Etiam atque etiam te oro per Deos, Parmeno, fac ut ea fruor.* PA. *Conabor omni studio, omnibus viribus tibi adero: numquid aliud me vis facere?* CH. *Quo nunc is?* PA. *Domum eo, ut mancipia hæc, Eunuchum et Æthiopissam, deducam ad Thaidem, ita ut tuus frater jussit.*

~~~~~

collocatur. Antiqui enim libri et Donatus verbo præponunt; omnes alii postponunt. Ego subditivum arbitror. *Fa.* Omnes nostri *Tum magis id dicas.* Nec cum *Fa.* accedam. Ego contra *Tum* subditivum existimo. *Bent.* *Tum* delet Both. *Quidnam* Guelf. 3.—65 *Here.* O. l. s. *heri.* *Fa.* Et nostri quoque *heri.* Pace Donati non subdistinguo, sed conjungo, *senem mulierem.* *Bent.* Conjungit *Br.* *Senem mulierem* Both. *Senem et mulierem* Guelf. 1. 2. 3.—68 C. I. [forsan codex Jenensis] *nunq. etiam meminini.* *Perl.*—69 *Alia res est.* *Bem.* non habet *est.* *Fa.* qui id vult abesse. Delent Z. *Bent.* *Bip.* Both. *Perl.*—70 *Lego, Faciam sedulo, Dabo operam, adjuvabo.* *Bent.* *Ac* delent *Bip.* Both. *Adjuvabo* dant Both. *Perl.*—71 *Numquid me aliud vis?* Ita ex Mss. quibusdam ediderunt Junt. Stephanus, alii. Sunt autem et Libri scripti et editi, omittentes  $\tau\delta$  *vis.* Hos *Fa.* sequitur. Videturque  $\epsilon\lambda\lambda\epsilon\upsilon\sigma\iota\varsigma$  apta festinanti. Ms. Lips. [et Guelf. 2.] CH. *Quid nunc is domum?* West. *Vis* non est in Bembini contextu, nec in aliis antiquis: itaque delevimus. *Fa.* Dno tantum ex nostris *vis* habent. *Bent.* Festinanti aptior est ellipsis. Sic et melius omittitur *ac* autè ‘Dabo operam.’ *Bip.* Ex litura post ‘Numquid’ verisimile fit a pr. m. in contextu *vis* affuisse. *Bruns.* Delent Z. *Bent.* *Bip.* Both. *Perl.* *Numquid vis* Guelf. 1. et *Numquid me vis* 3. legere notat *Perl.*—72 *Bem.* et aliquot alii ex antiquis habent *ducam*: quod probo: et versus constabit, si vel in *ita ut* non facias synalæpham: vel legas *ita uti.* *Fa.* *Ita ut* in nostris est. Recte

CH. O fortunatum istum eunuchum, qui quidem in hanc detur domum!

PA. Quid ita? CH. Rogitas? summa forma semper conservam domi

Videbit; colloquetur; aderit una in unis aedibus: 75  
Cibum nonnunquam capiet cum ea; interdum propter dormiet.

PA. Quid si nunc tute fortunatus fias? CH. Qua re, Parmeno?

Responde. PA. Capias tu illius vestem. CH. Vestem? quid tum postea?

PA. Pro illo te ducam. CH. Audio. PA. Te esse illum dicam. CH. Intellego.

PA. Tu illis fruare commodis, quibus tu illum dicebas modo; 80

Cibum una capias, adsis, tangas, ludas, propter dormias; Quandoquidem illarum neque te quisquam novit, neque scit qui sis.

CH. O felicem istum Eunuchum, qui quidem datur, ut sit e familia ejus domus!  
PA. Quid ita? CH. Querisne hoc? Excellenti specie conservam semper spectabit domi, colloquia cum illa habebit, versabitur una in unis aedibus, comedet aliquando cum ea, interdum prope eam somnum capiet. PA. Quid si tu ipse eodem modo beatus fias? CH. Qua ratione, Parmeno? Responde. PA. Si tu vestimentum istius Eunuchi capias. CH. Vestimentum? Quid inde postea continget? PA. Pro illo te introducam in aedes Thaidis. CH. Audio. PA. Te esse illum dicam. CH. Intellego. PA. Tu illis potiaris felicitatibus, quibus tu illum aiebas modo potiturum; ei convictor sis, astes, tangas, colludas, in eodem lecto cubes: quandoquidem ex illis, qui in hac domo sunt, nullus te cognoscit, neque scit qui sis. Præterea ea forma

\*\*\*\*\*

illud alterum Faëri ita uti: quod vir doctus ascivisse debnit. *Ducam* nostri, duobus exceptis, omnes, non *deducam*. Bent. *Ita uti* Br. Bip. Both. *Ducam* Z. Bent. Both. Perl. *Ita* Br. *deducam*. CH. *Quo?* PAR. *Ad Th.*—74 *Quid?* rogitas Both. *Ita* Br. *forma*. *Semper*, &c.—77 T. Faber, 'Elegantiores homines,' inquit, 'quantum est, mihi favebunt, legenti, *Quid si nunc tute is fortunatus fias?*' Persuasit Dacieriæ. D. Hoogstratanus non dubitavit *rd is* in contextum recipere. Mirum autem, non legisse et scripsisse elegantiores homines, *Quid si nunc tu iste fortunatus fias?* quomodo in vetustissimo Codice manu scriptum reperi. *West*. *Tute is* Both.—78 *Quid postea* Ms. Lips. *West*. *Vestem, quid postea* Br.—79 Vir doctus malit *deducam*, si per codices liceret. Sane licet; nam omnes nostri, demtis duobus, *deducam*: quibus etiam nolentibus sic corrigi necesse est. Porro omnes nostri cum Edd. vett. *Te illum esse*. Sed *illum* in Arsi esse debet. Bent. *Deducam* Br. Both. Bip. Perl. qui monet *ducam* legeie Guelf. 2. 3.—80 *Quibus tu illum*. Melius absque *tu* cum Pet. Bent. *Illud tu delent* Both. Perl. *Quibus frui* Guelf. 2.—81 *Capias* id. Ms. *Prope* Pall.—82 *Neque quisquam te*. In l. o. est, *neque*

Præterea forma et ætas ipsa 'st, facile ut pro eunucho probes.

CH. Dixisti pulchre: nunquam vidi melius consilium dari.

Age, eamus intro: nunc jam orna me; abduc, duc, quantum potes. 85

PA. Quid agis? jocabar equidem. CH. Garris. PA. Perrii: quid ego egi miser?

Quo trudis? perculeris jam tu me: tibi equidem dico, Mane.

CH. Eamus. PA. Pergin'? CH. Certum est. PA. Vide ne nimium calidum hoc sit modo.

CH. Non est profecto: sine. PA. At enim isthæc in me cudetur faba. CH. Ah!

*vultus in te est, ea ætas, ut Eunuchum te esse facile persuadeas.* CH. Belle dixisti: nunquam animadverti utilius consilium dari. Age intro domum nostram eamus; nunc jam me adorna, abduc, duc quo voles, quam cito potes. PA. Quid agis? per jocum hæc quidem dicebam. CH. Vana loqueris. PA. Perii: quid ego miser feci? quo me propulsas tam violenter? prope est, ut me prosternas; tibi equidem dico, abstine ab incepto. CH. Propera, eamus. PA. Pergisne me tradere? CH. Stat sententia tuo uti consilio. PA. Vide ne hoc inceptum sit nunc praeproperum. CH. Non est sane; sine, nec me retrahere. PA. At ista faba super caput meum conteretur, hujus facti culpa mihi imputabitur. Ah flagitium, facinus. CH. Ah

*te quisquam.* Fa. Sic et omnes nostri; accentu id postulante. Bent. Sciet vet. cod. Lind. Neque quisq. te Bip. Thaidis et pucllarum GM. quod glossam esse censet Perl.—83 Guy. versum hunc insititium vocat, et abesse jubet. Elegantior autem est, quam qui locum non tueatur. West. *Forma, ætus*] O. fere libri, et in iis antiqui, et Do. *forma et ætas.* Fa. CCC. *forma et ætas ipse es; es, inquam, non est.* Vide, an ex vestigio tam tenui verum subodoratus sim: *forma et ætate ipse es.* Bent. Nihil mutandum. R. D. Frigide et inepte Bent. corrigit. Bip. quæ et omittit.—84 Disti Par. ex uno cod. Perl. Dixisti Bip.—85 Potest alii. Jam, oro, orna M. West. Lege et distingue: Age eamus intro nunc iam: orna me, abduc, duc, quantum potest. Potest, veteres G. Fabricii, et Bem. Bembo ipso teste. Ita Noster passim. Bent. Potest Vet. Cod. Lind. Bentleium sequitur Both. Potest Perl. Duc me Guelf. 2.—86 M. Quid ais? Ita et in quibusdam impressis veteribus. Ms. Lips. jocabar, omisso equidem. West. Quod ego Z.—87 Trudis me Guelf. 3. Post 'tu me' interrogat Bip. Jam perculeris tu me! Both.—88 Male Interpres putat *callidum* scribendum. Gov. M. G. ET. EM. *callidum.* Quod et in EP. et aliis quibusdam impressis est. In Ms. Lips. scriptum fuerat *calidum*, sed alterum l. suprascriptum. West. Donatus et *callidum* et *calidum* legi affirmat: sed *callidum* videtur magis probare, nulla quidem ratione. Mihi libros scriptos Donati consideranti, videtur omnis expositio hujus loci esse corrupta; omninoque legendum *calidum*, ut et aliqui l. s. habent, et Stephanus impressit. Fa. *Calidum*, quod et versus et sensus postulant, unus tantum ex nostris. Bent. *Calidum*: J. et Venetus cod. addunt *consilium*, male. Perl. *Callidum* Br.—89 Incidit suspicio, laborare locum minus literulæ permutatione, potuisseque feri, ut dixerit Parmeno: *ludetur faba.* Westerhovius. PA. At enim isthæc in me cudetur faba. Ah flagitium facimus] In Bem. et Vi. 'Ah' Chæreæ ascri-

PA. Flagitium facimus. CH. An id flagitium est, si in  
 domum meretriciam 90  
 Deducar; et illis crucibus, quæ nos nostramque adolescen-  
 tiam  
 Habent despiciatam, et quæ nos semper omnibus cruciant  
 modis,  
 Nunc referam gratiam; et quæ eas itidem fallam, ut ab illis  
 fallimur?  
 An potius hæc pati? æquum est fieri, ut a me ludatur  
 dolis:  
 Quod qui rescierint, culpent: illud merito factum omnes  
 putent. 95

*id flagitium vocas, si in ædes meretricias ingrediar et inducar, cum nulla lex id prohibeat? si illis crucibus, (meretricibus,) quæ nos adollescentes simplices et incautos despiciunt, et omnibus cruciant modis, nunc vicem reddam? atque eas similiter deducam, sicut ab illis deludimur? An potius flagitium est, hæc ab illis meretricibus pati? Æquum est fieri ut Thais a me ludatur: at, qui illud audierint, culpabunt; immo, illud merito factum esse omnes existimabunt. PA. Quid istud est*

//////////

bitur, reliqua Parmenoni. Fa. 'Ah' æque ac 'Flag. fac.' tribuunt Parmenoni Br. et Bip.—90 Præstat hæc lect. præ illa, *Flagitium, facinus*, quam tuetur G. F. et præfert Ms. Lips. sed ita, *facin9*, unde apparet, initium τὸν m fuisse erasum. West. G. ET. EM. *Flagitium, facinus*. Id. in Add. *Facis* Both. *Facinus* pro var. lect. in glossis τὸν Br.—92 Si legas *despectam*, constabit versus. Er. *Despectam* est in Bem. aliisque. West. *Despiciatam* Do. et omnes antiqui libri præter Bem. Omnes alii libri recentes, *despectam* habent, ut Bem. Fa. Correctores, non Librarii, *despectam* primi dederunt. Præstabo tibi veram Poëtæ manum, *Habent despiciatam*. Bent. Sæpe 'habere' cum participio ponitur. R. D. *Despectam* recte Bem. Vulgo male *despiciatam* vel *despiciatam*. Both.—93 *Gratius, atque it. eas fallam ut ab eis dat* Both.—94. 95 Bem. et omnes alii antiqui habent *patri*: ac Donatus quoque, licet aliqua ex parte corruptus: nam, quamvis citando hæc verba dicat *pati*: tamen in expositionis progressu legit *patri*: et sane *pati* nullum habet sensum. Fa. Fa. ex Bem. tuetur, quod plusculæ edd. sequuntur, *An potius hæc patri æquum est fieri, ut a me ludatur dolis?* Et in Ms. Lips. est *pat i*: unde licet suspicari, τὸ r esse erasum. Neque probis Mss. neque impressis vetustissimis Libris caret lectio, quam exhibeo; firmaturque Donati auctoritate. Eug. tamen *patri* legit. M. cum editis quibusdam antiquis: [Arg. 1496. nominatim memorat Bip.] *Quod qui rescierint, culpent nulli, sed illud factum merito omnes putent*. Postrema etiam in duobus Pall. reperiri, testis

#### NOTÆ

89 *Isthæc in me cudetur faba*] Id tibus.  
 est, tundetur. Nam cadere est ferrere. Cudi pecunia dicitur, cum signum Principis vel Reip. ei imprimatur. Cadere fabam est proverbium a rusticis fabas in area fuste tunden-

95 *Quod qui rescierint, culpent*] *Hyphora* sive *objectio*.

*Illud merito factum omnes putent*] *Anthypophora*, sive replicatio ad objectionem.

PA. Quid istuc? si certum est facere, facias: verum, ne post conferas Culpam in me. CH. Non faciam. PA. Jubesue? CH. Jubeo, cogo, atque impero. Nunquam defugiam auctoritatem: sequere. PA. Di vortant bene.

quod aggredieris? Si tibi constitutum est id facere, facias; verum, si quid tibi mali ex ea re contigerit, ne mihi causam tribuas. CH. Non faciam. PA. Idne mihi imperas? CH. Jubeo, cogo, atque impero: non inficiabor hoc factum esse me auctore. PA. Sequere. Dii hunc conatum prosperum reddant.

\*\*\*\*\*

est Par. Quæ lect. planissimum reddit sensum, omnemque de patre lectionem excludit. *West.* Hæc *pati* nostri omnes; nisi quod unus vetustus a manu prima *patri*: et postea *pati* factum. Unde istud *pati* processit? suberat aliquod mendum. Si enim a principio *patri* ibi fuisset, vix unquam in *pati* degenerasset. Præterea, quænam ista sunt hæc? nempe, in domum meretriciam deduci, crucibus illis gratiam referre. An hæc *patri fieri* possunt? Hæret hic aqua: et sapuit T. Faber, qui hoc corrigebat; et ad sequentia retulit, 'ut a me ludatur dolis:' quem frustra ob id sugillat vir eruditus. Sed, ut dixi, altius aliquod latet nlcus, unde illud *pati* profluxit. Vide an recte sanaverim: absit modo ut infundas succum loliginis: An potius par atque æquum est, pater ut a me ludatur dolis? Bent. Legendum An potius hoc *patri æquum est fieri*. R. D. Totum hunc vs. a Bent. emendatum recepi. Vulg. mancus satis est atque obscurus. *Perl.* Bent. alia non pulchre audet. Feratur vulgata. *Bip.* *Pati* omnes nostri. *Both.* qui An potius æquum est, *patri hæc fieri, ut, &c.* exhibet. An potius hæc *patri æquum est fieri, ut, &c.* Z. *Bip.* Resciverint Br.—96 Istic Br. Z. Bent. *Both.* *Perl.*—97 Cogo. M. immo cogo. Ita et Ms. Lips. et EP. *West.* Jubesne? Jubeo, cogo, atque impero dedit Færnus: sic et Nonius citat v. Cogere; non editus modo, sed in codice nostro veterrimo. Nostri omnes hic cum vett. Edd. Jubeo immo cogo. Unde facile fuit refingere: Juben? CH. Jubeo? immo cogo atque impero. Nisi post 'Jubeo' interrogationem ponas, putidum est immo: sed vel sic, longe melius abest. Vir vero eruditus, qui libentius, ut ait, sic legat: Juben? Immo jubeo, cogo, atque impero, ut Juben, quod præcipuam emphasis habere debuit, in Thesi supprimatur, alio mentem alio aurem diviserat. Bent. Jubeo, immo cogo [Br. et] R. Lind. Immo Par. *Perl.* Pro Non faciam *Both.* habet Non. Fac jam.—98 Ms. Lips. PA. Nunquam defugiam auctoritatem: sequere. CH. Di vortant bene. Mss. alii: PAR. Nunquam defugiam auctoritatem. CH. Sequere. Quomodo et Do. videtur legisse. Atque ita est in EP. Rectius autem ntrumque Chæreæ tribuitur. *West.* PA. Nunquam defugiam auctoritatem: sequere. CH. Di vortant bene. Accedo eorum sententiæ, qui putant has personas male esse inscriptas; et priora quidem in persona Chæreæ continuanda, posteriora Parmenoni tribnenda. Fa. Recte hoc: et aberrarunt omnes librarii, præeunte Donato. Bent. 'Sequere' Bentleius [ut et Both.] Parmenoni, qui loquitur 'Di vortant bene,' tribuit. Quod præferend. videtur. *Zenn.* Nunq. def. auct. al. edd. inepte tribuunt Parmenoni. *Bip.* Tuam Guelf. 2. *Perl.* Sic Br. dat: PAR. Nunq. diffugiam a. s. PAR. Di r. b. Notat Bruns in Corrigendis: 'Edit. tribuit Nunq. d. a. seq. Chæreæ: minus apte. Alterum PAR. in cod. est in litura. Scribend. est CH.'

## ACTUS III. SCENA I.

THRASO. GNATHO. PARMENO.

TH. MAGNAS vero agere gratias Thais mihi?

GN. Ingenteis. TH. Ain' tu? læta 'st? GN. Non tam ipso quidem

Dono, quam abs te datum esse: id vero serio

Triumphat. PA. Huc proviso, ut, ubi tempus siet,

Deducam: sed eccum militem! TH. Est istuc datum 5  
Profecto, ut grata mihi sint, quæ facio, omnia.GN. Advorti hercle animum. TH. Vel rex semper maxu-  
mas

Mihi agebat, quicquid feceram; aliis non item.

GN. Labore alieno magnam partam gloriam

Verbis sæpe in se transmovet, qui habet salem, 10

Quod in te est. TH. Habes. GN. Rex te ergo in oculis.

TH. Scilicet.

TH. *Magnas vero gratias Thais agit mihi?* GN. *Ingentes.* TH. *Itane, ut ais? Lætane illa est?* GN. *Non tam ipso quidem dono lætatur, quam quod abs te accipit: ob id vero exultans vere triumphat.* PA. *Huc provisum venio temporis opportunitatem, ut deducam mancipia ad Thaidem. Sed ecce militem Thrasonem.* TH. *Est istud profecto mihi a Diis concessum, ut omnia, quæ facio, apud alios me in gratia ponant.* GN. *Per Herculem, istud perspexi.* TH. *Etiam Rex semper ingentes mihi agebat gratias pro eo, quodcumque gesseram; aliis non similiter.* GN. *Sæpe gloriam aliorum labore quæsitam verbis in se transfert is qui habet leporem atque urbanitatem, qualis in te est.* TH. *Intelligis.* GN. *Rex ergo te in oculis.*

//////////

2 Var. scriptura *Ingenteis, Ingentis.* Perl. qui dat *Ingentes*, cum aliis.—3 *Quam quod abs te datum est* Pal. 2. Perl.—4 *Fiet* Br.—5 *Istuc.* J. et Venetus cod. *mihi.* Perl.—6 Bodl. [et Br.] *Ut grata sint, quæ mihi facio omnia.* M. *Profecto ab fato mihi.* Eleganter autem 'datum' simpliciter dicitur, quod a natura concessum est. West. *Profecto mihi ut grata sint quæ facio omnia*] Alia verborum collocatio in o. l. s. et Donato invenitur, hoc modo, *Profecto ut grata mihi sint quæ facio omnia.* Fa. Eodem ordine nostri. Bent. Male alii vocem 'mihi' retrahunt ad 'datum.' Bip. *Profecto mihi, ut sint grata quæ ed. Delph.*—7 *Rex vel semper* Both. S. *mihi maximas Agebat* Br.—8 M. *Mihi gratias agebat.* Guy. delet τὸ *Mihi.* West. *Mihi*] GC. *gratias.* GM. *grates.* Perl.—10. 11 *Quod in te est* elidi, motus auctoritate Donati, Servii, Festi, Acronis, Prisciani, Nonii Marcelli, sed et plusculorum Mss. et Edd. veterum post an. 1469. Alii, *Qui in te est.* Quos refellit G. F. West. *Qui*

## NOTÆ

11 *Rex te ergo in oculis*] Id est, ingenti amore prosequabatur.

GN. Gestire. TH. Vero : credere omnem exercitum,  
 Consilia. GN. Mirum. TH. Tum sicubi eum satias  
 Hominum, aut negotiū siquando odium ceperat,  
 Requiescere ubi volebat; quasi : nostin' ? GN. Scio : 15  
 Quasi ubi illam expueret miseriam ex animo. TH. Te-  
 nes.

Tum me convivam solum abducebat sibi. GN. Hui!  
 Regem elegantem narras. TH. Immo sic homo est

TH. Scilicet. GN. Gestabat, adeo vehementer te amabat. TH. Ita est. Totum  
 exercitum meae fidei committebat, consilia meae prudentia. GN. Id admirandum.  
 TH. Tum, sicubi fastidio hominum aut tædio negotiorum tenebatur, si quietis desi-  
 derio capiebatur, quasi : scisne ? GN. Quasi quando evomeret illam molestiam ex  
 animo. TH. Nosti : tunc me solum abductum mensæ comitem adhibebat. GN.  
 Hui ! Regem lepidum memoras. TH. Immo, sic homo comparatus est ; perpaucos



in te est G. EM. Id. in Add. Qui legi debere et versus et ipsa Latinitas  
 ostendunt. Gov. Veterrimi quique codices et veteres Grammatici Quod :  
 bene factum, et hoc veram nobis lectionem conservavit, quam a multis jam  
 sæculis discipulorum gratia corrumperant Magistri. Ego enim, qui sal habet  
 Quod in te est. 'Sal' olim genere neutro erat. Pr. p. 644. salem gen-  
 masc. ex hoc loco citat, Qui habet salem, quod in te est : et addit : 'Inveni-  
 untur tamen quidam vetustissimi, etiam neutro genere hoc protulisse.' Cur  
 autem vetustissimi ? qui Terentio posteriores multo sunt. 'Sal' syllabam  
 productam esse testis Beda de Metris p. 2359. Bent. qui dat magno in  
 vs. 9. ubi legit Bothius : magnam alieno. 'Male alii Qui in te est.' Bip.  
 Qui Br. Sal habet Both. Pro transmoret dant transfert J. et Venetus cod. et  
 pro Scilicet dat Si licet unus Pal.—12 Gestire Mss. plurimi cum editorum  
 præstantissimis. Subaudiendum autem, habere vel ferre. Vulgo cum Ms.  
 Lips. Librisque aliis, gestare, quando ellipsis nulla. Alii, Verum. West.  
 Omnes libri quotquot sunt, et antiqui et recentes, tum Terentii, tum Donati,  
 habent Gestire. Quam lect. admittentes, exponemus, latum esse, et gaudere  
 ex convictu, scilicet tuo. Fa. Codex tamen Bembinus, Bembo narrante,  
 Gestare : atque ita duo ex nostris veterrimi. Miror, qui Faërnus de hac lect.  
 dubitare potuerit. Bent. Pro Verum, Bem. habet, Vero : quæ vox est asse-  
 verantis, et in principio orationis ponitur ab respondente. Fa. Nostri  
 omnes Verum, et recte. Bent. Gestire Par. Perl. Al. Mss. et edd. Gestire,  
 male. Bip. Gestare ? et Verum dant Br. Both. Gestare et Verum Perl.  
 Exercitum suum Guelf. 2.—13 Satias est in Mss. et editis probatissimis, etiam  
 anni 1469. itaque flagitat metrum. Alii tamen cum Donato satietas legunt.  
 West. Satietas Br. Z. Bent. Bip. Both. Perl. Et consilia Br.—14 Si quod  
 otium EP. West. Si odium quando Both.—15. 16 Hos binos versus facessere  
 jubet Guyetus, ntpote Terentio indignos. Sed et apte coherent, et Latine  
 dicti sunt, et firmanur auctoritate Mss. et Donati. West. Interrogat Br.  
 post 'Tenes.'—17 Adhibebat G. ET. EM. West.—18 Lege et distingue,

#### NOTÆ

12 Gestire [Gestare] Pro, gestabat. 16 Quasi ubi illam expueret miseri-  
 Muretus ait : Male in nonnullis legi- am) 'Miseriam,' id est, fastidium.  
 tur Gestire.

Perpaucorum hominum. GN. Immo nullorum arbitror,  
 Si tecum vivit. TH. Invidere omnes mihi: 20  
 Mordere clanculum: ego non flocci pendere.  
 Illi invidere misere: verum unus tamen  
 Impense, elephantis quem Indicis præfecerat.  
 Is ubi molestus magis est, Quæso, inquam, Strato,  
 Eone es ferox, quia habes imperium in belluas? 25  
 GN. Pulchre mehercule dictum, et sapienter. Papæ!  
 Jugularas hominem. Quid ille? TH. Mutus illico.  
 GN. Quidni esset? PA. Di vestram fidem! hominem per-  
 ditum  
 Miserumque, et illum sacrilegum. TH. Quid illud, Gnatho,  
 Quo pacto Rhodium tetigerim in convivio, 30

*rum familiaritate utitur. GN. Immo, nullorum, si tecum vivit et versatur. TH. Omnes mihi invidere, occulte obtractabant; ego nihili aestimabam: verumtamen unus maxime omnium mihi invidebat, quem Rex Elephantis Indicis præfectum constituebat. Is cum importunus magis esset, Quæso, inquam, Strato, an idcirco ferculus et elatus es, quia belluis imperas? GN. Belle, mehercule, et sapienter dictum: Papæ! vocem homini præcluseras, quasi jugulum præcidisses. Quid ille respondit? TH. Obmutuit illico. GN. Quidni obmutuisset? PA. Dii vestram fidem! hominem perditum, miserumque; et illum sacrilegum! TH. Quid illud, Gnatho? Nonne memorabile est, quibus molis Rhodium salse taxaverim in convivio? numquid tibi*

*Immo sic homost: Perpaucorum hominumst. Bent. Immo sic homo Est: perpau-  
 corum hominum Bip. Bothius sequitur Bent.—19 Immo nullorum arbitror, Si  
 tecum vivit. Planiora omnia evadent, si Parmenoni hæc tribuas. Quod  
 facit EP. et Eug. Gudius ad Phæd. III. 6. conjiciebat scripsisse Terentium,  
 Immo mulorum, quod scilicet ex asinorum genere Thraso videretur esse Gna-  
 thoni; ut adeo τὸ mulorum opponatur τῷ hominum. Elegantius autem nullorum  
 opponitur Thrasonis Perpaucorum. West.—21 Ego non flocci pendere: Illi invi-  
 dere misere. Et hæc expuncta vult Guyetus. Scilicet quia illi invidere misere  
 repetita videntur ex, 'Invidere omnes mihi.' Sed hæc vindicavit Bæcl. raro  
 ceteroquin dissentiens a Guyeto. Et sane repetitio hæc infantiam insulsi  
 Thrasonis arguit. [Hæc repetit Bip. et censet Guyetum hic male expunxisse.]  
 Addo, τὰ ego non flocci pendere, sine dispendio abesse non posse. M. et EP.  
 ego flocci pendere. Quam lect. laudat G. F. Invidere misere Ms. Lips. omisso  
 Illi. Id. Floccipendere G. ET. EM. Id. in Add. Non omittit R. Lind. Edit.  
 add. non, quod respuit Eug. Bruns. Id omittit Br.—22 Verumtamen unus  
 Br.—23 M. et vetustissimæ edd. quædam, el. quem rex Ind. pr. Et Fabrini  
 in versione addit, Il Re. Leidensium unus: El. quem ind. pr. Rex. West.  
 Rex præfecerat Guelf. 2.—24 Mag. mol. id. Ms.—25 Ms. Lips. potestatem in  
 belluas. Proprie de Elephantis. Flor. I. 18. West.—29 Quid? illud Both.—  
 30 Quo R. p. id.—31 Numquid. An Nunquam, quod est in quibusdam Mss.*

## NOTÆ

21 *Mordere clanculum*] Non aperte, quia a me sibi timebant.



Numquid tibi dixi? GN. Nunquam: sed narra, obsecro.  
 Plus millies audiui. TH. Una in convivio  
 Erat hic, quem dico, Rhodius adolescentulus.  
 Forte habui scortum: cœpit ad id alludere,  
 Et me irridere. Quid agis, inquam, homo impudens? 35  
 Lepus tute es, et pulpamentum quæris? GN. Ha, ha, he!  
 TH. Quid est? GN. Facete, lapide, laute: nihil supra.  
 Tuumne, obsecro te, hoc dictum erat? vetus credidi.

narravi? GN. Nunquam: sed refer, quæso. Plus millic jam audiui. TH. Hic, quem dico, Rhodius una capiebat cibum in convivio. Forte adjunxeram mihi meretricem: cœpit ille Rhodius adolescentulus ei alludens blandiri et me risui habere: Quid ais, inquam, homo impudens? Tu, cum ipse præda sis, et cibus exquisitus, alienum tamen cibum sectaris; et in altero quæris, quod alius in te quærat. GN. Ha, ha, he. TH. Quid tibi videtur? GN. Urbane, venuste, magnifice, nihil supra est. Tunc hujus adagii auctor fuisti? Vetus esse credidi. TH. An prius id audie-



sed et editis. West. Bem. et omnes alii antiqui, Nunquam; quod magis videtur quadrare. Fa. Quin et nostri omnes, tribus exceptis, Nunquam. Bent. Nunquam postulat responsum. Bip. Sic Br. Bent. Z. Both. Perl.—32 Jam aud. G. ET. EM. West. Nec in Bem. nec in Do. est jam: itaque eam delevimus. Fa. Atqui nostri omnes cum Edd. vett. agnoscunt jam: quod cur unius Bembini causa ejiciatur, nullus video. Bent. Jam Guelf. 2. Miliens ed. Par. Perl. Jam habet Br.—34 Ad id ludere Ms. Lips. G. EP. ET. EM. West. Ludere, non alludere Guelf. 2. Perl. Sic Br.—35 Me irridere præter Codices Priscianus clare agnoscit p. 1187. et 1201. Do. quoque inridere legebat: 'Vide,' inquit, 'quemadmodum miles, dum multa ad dictum suum pervenire fateatur, interim quam contentus sit atque derisus.' Ubi legendum, dum vult ad dictum suum pervenire, fateatur interim. Pace tamen utriusque, dico a manu Terentii fuisse, Et me irritare. Bent. Irritare Bent. elegantia conjectura legit. R. D. Bent. reſingit irritare: sed et cetera turbat licentius pro more, quam quæ digna sint referri. Bip. Quid agis expressi ex quibusdam Mss. et impressis. Vulgatum Quid ais languet. West. Quid ais omnes antiqui libri: sed recentiores Quid agis: quod non displicet. Sane Bem. pro homo, homini, in contextu habet. Fa. Repone, Quid agis, homini inquam, impudens? Tres ex Nostris, Quid agis? Recte autem Bem. homini inquam: quo et nostri spectant, qui uno excepto omnes habent homo inquam, non inquam homo. Bent. Ais Br. Z.—36 Quæris? Nisi cum interrogationis nota exprimat, minus ἐμπατικὸν erit. Suadentque id verba proxime præcedentia, in quibus itidem interrogatio est. West. Repono, Lepus tute es: et pulmentum quæris? Ha ha hæ. Poteris etiam hoc modo, Lepus tute es: et pulpamentum quæris? Ha ha hæ: vel, Lepus tute, pulpamentum quæris? Ha ha hæ. Quocumque modo constitnas, omnino melius est, ut per interrogationem proferatur. Bent. Post 'quæris' non interrogant Br. Z. Bip. Hæ pro he Bip. Es et delet Both.—38 Tuum obsecro ne hoc dictum erat? O. l. s. et

#### NOTÆ

36 Lepus tute es, &c.] 'Pulpamentum' significat carnes delicatiores, et lautiora obsonia. Pulpa est pars carnosa in corpore animalis, ut lumbi

leporis. Hujus vero Proverbi hæc est sententia: Tu es id quod quæris in scorto; quod in te habes, hoc quæris in altero.

TH. Audieras? GN. Sæpe; et fertur in primis. TH. Meum est.

GN. Dolet, dictum imprudenti adolescenti et libero. 40

PA. At te Di perdant. GN. Quid ille, quæso? TH. Perditus.

Risu omnes, qui aderant, emoriri: denique

Metuebant omnes jam me. GN. Non injuria.

TH. Sed heus tu, purgon' ego me de istac Thaidi,

Quod eam me amare suspicata 'st? GN. Nihil minus. 45

Immo auge magis suspicionem. TH. Cur? GN. Rogas?

Scin'? siquando illa mentionem Phædriæ

Facit, aut si laudat, te ut male urat. TH. Sentio.

GN. Id ut ne fiat, hæc res sola est remedio.

Ubi nominabit Phædriam, tu Pamphilam

50

ras? GN. Sæpe; nam vulgo in primis jactatur. TH. A me inventum est. GN. Dolet mihi, quod hoc dixeris adolescenti imprudenti quidem, sed libero. PA. At te Di male perdant. GN. Quid ille quæso tunc fecit? TH. Attonitus fuit. Risu omnes fere emori cæperunt. Denique ex hoc omnes sibi a me timebant. GN. Non sine causa. TH. Sed et hodie, Gnatho, an expurgare me debeo apud Thaidem de amore istius virginis, quoniam amare eam me suspicatur? GN. Immo eam in majorem suspicionem injice. TH. Quamobrem? GN. Idne quæris? Scisne? Si aliquando illa mentionem facit de Phædria, aut si laudes ejus prædicat, ut te valde pungat. TH. Intellico. GN. Id ne fiat, hæc res sola remedii loco est. Ubi no-



Donatus, *tuumne obsecro*: et hoc amplius, antiqui libri habent, *te*: ut sit *obsecro te*. Fa. Tres ex nostris *te*, ceteri *Tuum ne obsecro*. Placet veterum Editio-  
num lectio, *Tuum obsecro ne hoc dictum erat?* id est per Tmesin, *Tuumne obsecro*. Bent. Credidi esse Guelf. 2. Perl. *Tuum, obsecro, ne hoc? vetus hoc dictum credidi*. Both.—39 *Et f.* Vet. cod. *effertur*. Lind.—40 Quare hunc versum volente Gnyeto expungamus, causa nulla est. Recte tribuitur Gnathoni a Donato. *Κόμματος* signum feci post 'Dolet.' In Ms. Lips. hic versus Thrasoni tribuitur. West. Hunc vs. G. Thrasoni tribuit, legitque *adolesc. ntulo*. Ita et ET. et EM. Et in EM. est *impudenti*. Id. in Add. Gnathonis verba sunt, ex intimo adulatoriæ artis penu petita. Egregie Donatus: 'Addidit parasitus, quo gravius sit Thrasonis dictum, commiserationem ejus in quem dictum est: scit enim homines stultos malos videri velle.' Quid igitur cum illo facias, qui melius putat, ut Thrasoni hic versus tribuatur? Idne ut Thrasoni doleat dictum, quod dictum esse hic gloriatur? At sic, ait, melius Thrasonem excipit Gnatho, 'Quid ille, quæso? Itane melius? at quemnam tum Parmeno excipiet, 'At te Di perdant?' Thrasonem scilicet perdant, non quem voluit Gnathonem. Bent. Thrasoni hunc vs. dat Br. Post 'Dictum' leviter pungunt et Both. et Perl.—42 G. *emori*. West.—44 Alius quam ineptus sermonis Miles dixisset *purgemne*; et sic M. Bip. *Purgen* Br.—45 *Suspicatur* G. EM. West. O. l. s. et Donatus, *suspicata est?* Fa. Ita et nostri plerique omnes. Bent. *Eam ut Guelf. 3. et suspicatur* 1.—46 *Magis auge*. O. l. s. *auge magis*. Fa. Sic et nostri universi.

Continuo : siquando illa dicet, Phædriam  
 Intromittamus commissatum : tu, Pamphilam  
 Cantatum provocemus. Si laudabit hæc  
 Illius formam, tu hujus contra. Denique  
 Par pari referto ; quod eam mordeat. 55  
 TH. Siquidem me amaret, tum istuc prodesset, Gnatho.  
 GN. Quando illud, quod tu das, expectat, atque amat :  
 Jamdudum te amat, jamdudum illi facile fit,

*minabit Phædriam, tu illico nomina Pamphilam : siquando illa dicet : Comissationi Phædriam adhibeamus ; tu dic vicissim : Pamphilam incitemus ad cantandum. Si hæc laudabit illius formam, tu hujus (Pamphilæ) formam lauda. Par pari referto, quod eam repungat. TH. Si quidem me Thais amaret, tum istud utile esset consilium, Gnatho. GN. Quando illa tui dona desiderat atque amat, jamdudum quæque amat te, jamdudum facile est facere aliquid ei, ex quo dolorem capiat. Timebit*

*Bent.—50 Nominaverit Mor.—52. 53 Comessatum int. scripsisse Terentium ratio indicat senarii. Gr. Comessatum. V. et Bas. commissatum habet : itemque Bembinus, sed is per duo s. Fa. Tu ultra metrum excurrit. Cui vitio ut occurrat, vir eruditus post alios In præcedenti versui apponit ; ut sic legatur, Phædriam in-Tromittamus commissatum : tu Pamphilam. Nonne belle cadunt accentus ? Quanti est, ex Horatii præcepto non digitis modo, sed et aure legitimum sonum callere ? Nostri fere omnes cum Edd. vett. non agnoscunt illud tu. Recte. Sic ergo locus constitnendus est, minima mutatione : comissatum : Pamphilam Cantum, tu, provocemus. Comissatum, non comissatum. Apud Cic. Ep. Fam. 1. 9. hi sex versus adducuntur, ubi editum est, Tu Pamphilam Cantatum provocemus. Excutiant, quibus copia est, veteres ibi codices. Bent. Comissatum] Origo et scribendi ratio varia, quam disquiri Vossius in Etymolog. West. Com. formatur a κωμῶδες, et rectius per simplex m scribitur. R. D. Abest tu a C. Both. Et a Br. qui cum Guelf. 3. comessatum habet, et solus Intromittam exhibet. Comissatum int. dat ed. Delph. Dat Bothius Intromittamus : comis est ; tu, &c.—55 Sanctius in Minerva iv. 6. pag. 684. ait, peritiores legere : Par pro pari. Et sane ita est in Ms. Lips. duobus Leidd. Eug. et EP. Tum post Lind. editiones nuperæ quædam ita exhibent. Junt. Ald. St. aliæque probatissimæ legunt, ut edidi. Mordeat. Alii, remordeat. Atque ita est in nno Leid. laudatque e Ms. et Servio Rivinus. Videturque non male inferri ad illud, 'referto.' West. Par pro pari est in antiquis libris : quod testatum relinquere volumus, ne quis amplius hanc lect. in dubium vocet. Fa. A quatuor nostris pro abest. Apud Ciceronem quoque in diversa abeunt Codices, quos Interpretes ibi consuluerunt ; ita tamen ut plures habeant Par pari referto ; quomodo et Servius citat ad Æn. 1. 265. Frustra quæritur aliud locutionis hujus exemplum, Par pro pari referre. Cur igitur in ipsorum codicum dissidio non liceat repone, Par tu pari referto, quod eam mordeat ? Bent. Par pro pari habent V. et D. Marci Flor. teste Victorio. Adsunt porro ad Cic. l. c. Cod. Medic. teste P. Manutio, sec. et tert. Pal. itemque membranæ Gruteri ; indeque rescripsit Curtius in Ep. Cic. Par pro pari, quod ibi Man. et Vict. voluere. Tandem metri ratio repugnat vulgatæ. Sensit id Lamb. eoque præter codd. illos fecit Par tu pari. Sed tu supervacuum foret. Vanus Bent. non inveniri exemplum locutionis similis nostro. Bip. Par pro pari Br. Z. Tu par pari Delph. Both. Remordeat Guelf. 1. et Delph.—56 Istud Delph.—57. 58 Pro Quando illud dat Both. Quam dudum, des pro das, et Tam dudum pro Jamdu-  
 Delph. et Var. Clas. Terent. 2 F*

Quod doceat; metuit semper, quem ipsa nunc capit  
Fructum, ne quando iratus tu alio conferas. 60

TH. Bene dixi: at mihi istuc non in mentem venerat.

GN. Ridiculum: non enim cogitaras: ceterum

Idem hoc tute melius quanto invenisses, Thraso!

*semper, ne lucrum, quod ei affers, aliquando iratus ad aliam transferas.* TH. *Sapienter locutus es, at istud non occurrerat animo.* GN. *Ridiculum; nec enim mentem ad hæc adverteras. Quanto vero illud ipsum melius invenisses, si cogitasses, Thraso?*

*dum in utroque loco. 'Jam dudum amat te] Ex o. l. s. ita colloca, Jamdudum te amat.' Fa. 'Recte hoc. Omnes nostri in hac lect. consentiunt.' Bent. —59 Metuet. Bem. et aliqui alii, metuit. Utrumque stare potest. Fa. Mss. et editi quidam vetustissimi, metuat. Quod prælaturum fuisse Faërnium credo, si invenisset. Tum autem distinctionem majorem ante τὸ metuat posnerim. Duo Leidd. Lips. et Tr. metuet. Ita et Fabrini edidit, aliique. EP. non capit. West. Nostri omnes metuet. Utrumvis se satis probat; tamen metuit malo; quia jamdiu locum in Textu obtinuit. Bent. Metuet melius quam metuit et metuat. Bip. Metuet Gneif. 3. Br. Both.—62 Non. Alias nec. Er. Vocem 'Ridiculum' Thrasoni tribuit Dac. Præter necessitatem, opinor. West.—63 Repono Idem hoc aut melius tute invenisses, T. Bent. Id tute melius quanto Both. Post 'Thraso' interrogat Bip. et sic Br. Notat Bruns: 'Deletum est signum interrog.'*

## ACTUS III. SCENA II.

THAIS. THRASO. PARMENO. GNATHO. PYTHIAS.

TH. AUDIRE VOCEM VISA SUM MODO MILITIS.

Atque eecum! Salve, mi Thraso. THR. O Thais mea,  
Meum suavium, quid agitur? ecquid nos amas

TH. *Visa sum mihi modo audire vocem Militis; sed ecce eum: salve, mi Thraso.*  
THR. *O Thais mea, mea suavitas, voluptas, quid agis? ecquantulum nos amas,*

1 *Militis.* GM. add. *Pythias.* Quod exaratum videtur manu posteriore. Sup. script. *o mea ancilla.* Perl. *Visa vocem modo sum* Both.—3 *Gifanuis* Ind. *Lucret. v. Suavis, tuctur saviu: atque ita est in G. West. Et quid*

### NOTÆ

3 *Meum suavium]* Suavium et saviu amantis. Ut apud Plautum: 'Spes mea, mel meum, suavitudo mea.'  
causa datum. Hic blandimentum est

De fidicina istac? PA. Quam venuste! quod dedit  
Principium adveniens! TH. Plurimum merito tuo. 5  
GN. Eamus ergo ad cenam: quid stas? PA. Hem alte-  
rum:

Ex homine hunc natum dicas. THR. Ubi vis, non moror.  
PA. Adibo, atque assimilabo, quasi nunc exeam.  
Ituran', Thais, quopiam es? TH. Ehem! Parmeno,  
Bene fecisti: hodie itura. PA. Quo? TH. Quid? hunc  
non vides? 10

PA. Vidco, et me tædet: ubi vis, dona adsunt tibi  
A Phædria. THR. Quid stamus? cur non imus hinc?  
PA. Quæso hercle ut liceat, pace quod fiat tua,  
Dare huic quæ volumus, convenire et colloqui.  
THR. Perpulchra credo dona, haud nostris similia. 15

*propter istam fidicinam Pamphilam? PA. Quam vtro eleganter (ironice): quale primo adventu fecit exordium, recessionem faciens beneficii. TH. Plurimum ut meritis es. GN. Eamus ergo ad cenam. Quid cessas? PA. Hem; ecce tibi alterum hominem Gnathonem, militis dictis et cogitatis ita congruentem, ut ex eo natum illum dicas. THR. Ubi vis, cenemus: nulla in me mora est. PA. Ad Thaidem accedam, et fingam me in præsentia ex ædibus nostris egredi. O Thais, an profectura es aliquo? TH. Hem, Parmeno, bene fecisti quod nunc me convenis; nam itura sum quopiam. PA. Quo? TH. Quid queris? An hunc non vides? (Thrasionem) PA. Video id, nec sine tædio: quandocumque velis, accipies dona quæ mitti Phædria. THR. Quid hic manemus? Cur non abimus? PA. Oro mehercle, ut liceat (quod cum venia tua fiat) Thaidi dare quæ volumus, cum adire, et cum ea loqui. THR. Egregia, credo, dona, haud nostris comparanda. PA. Reipsa cognos-*

-----

Br.—6 Verba 'Eamus . . . stas' non, sicut vulgo, Parasito, sed Thrasoni attribuunt B, Hel. recte. Both. Sic tribuit et Br.—7 Vel Terentii causa, melius quid suggeremus: *Abdomini hunc natum*. Bent. Admodum ingeniosa est Bent. conjectura. Zeun. Interpp. hæc per interrog. capiunt. Sed mire blanditur præclara et digna tali ingenio Bentleii emendatio. R. D. Verius Bent. rescripsit *Abdomini*. Bip. *Abdomini* Bent. ut solet, ingeniose. Ex nomine Schmeid. Perl. qui illud dat. Vulg. defendit Both. Nunc pro hunc Guelf. 3. Dat Br. *Ubi vis. Num moror?*—9 Al. *est mendose*. Perl. Sic dat Br. qui et *Hem*.—10 *Bene pol fecisti* G. ET. EM. West. *Quid hunc vides?*] Legitur in o. l. s. et apud Donatum, *Quid, hunc non vides?* itaque et Stephanns impressit. Stat autem versus eliso d, ex 'Quid.' Fa. Omnes omnino nostri cum Edd. vett. *Bene pol fecisti*. Fieri potest, ut vetuste dederit Noster, *Bene pol fecisti. Hunc non vides*, nostri universi. Bent. *Bene pol fecisti* R. Lind. Sic et editio Delph. quæ ultima ita dat: *Ecquid hunc vides? Botliius: itura... Quo? Quo? hunc non vides? Z. itura?*—11 Ms. Lips. non agnoscit *rd tibi*. West.—13 *Nobis* post 'liceat' Br.—15 *Haud*. Ita et Priscianus citat, Inst. Gramm. lib. XIV. et XVII. Aut Perizonio placebat. In libris antiquis, Mss. et editis utramque invenias. West. Aut melius mihi videtur. Fa. Aut recte dedit Faërnus; dum ejus, credo, Codices, ut nostri omnes, haberent *hau*; et plausores sibi multos reperit.

PA. Res indicabit. Heus, jubete istos foras

Exire, quos jussi, ocyus; procede tu huc.

Ex Æthiopia est usque hæc. THR. Hic sunt tres minæ.

GN. Vix. PA. Ubi tu es, Dore? accede huc. Hem eunuchum tibi!

Quam liberali facie, quam ætate integra! 20

TH. Ita me Di ament, honestus est. PA. Quid tu ais, Gnatho?

Numquid habes, quod contemnas? quid tu autem, Thraso?

Tacent; satis laudant. Fac periculum in literis,

Fac in palæstra, in musicis: quæ liberum

*ctur. Heus, jubete ista mancipia, quæ jussi, foras prodire statim. Tu, mulier! procede huc. Hæc ex Æthiopia usque advecta est. THR. Tres minæ pro hac fœmina expensæ sunt. GN. Vix. PA. Ubi tu es, Dore? accede huc. Hem Eunuchum tibi; quam vultu ingenuo, non servili, quam florenti ætate. TH. Ita me Di ament, elegans est et formosus. PA. Quid tibi videtur, Gnatho? Ecquid invenisti quod in eo possis reprehendere? Tacent; silentio satis laudent, et se probare confitentur. Fac experimentum in literis, fac in palæstra,*

Viro tamen docto frigidum videtur *aut*, et a magistro suo desciscens in textum ascivit *haut*. Atqui sua Thraso dona pulchra esse arbitratus est: hoc certum. Ergo ex ista sententia sic locutus est Miles: *Perpulchra credo dona, haut pulchris similia*. Satine placet? Nonne hoc percepisse, si ab ironia incipiat sententia, in eadem necesse esse ut desinat? Atqui Codices, ait, et Pr. p. 983. *haut*. Ita est, et id norat Faërnus: sed fragmenta ejusmodi mendosissime feruntur, præterquam in illo verbo, cuius gratia citantur. In isto Prisciani loco ut *haut* pro *aut*, ita *munera* pro *dona* etiam in scriptis exemplaribus. Num sic quoque hic legemus? At alibi p. 1041. eundem locum laudans *dona* habet; et ibi duo Codices Collegii Caiensis *aut* plane, non *haut*. Bent. *Aut* al. ironice. Notandum est antiquitatem *h* litera carere. *Perl. Aut* tuetur Fa. ut ironia continuetur. Tam sapiens, credimus, non fuit Miles. *Bip.*—17 Sunt, qui maximam *στυμὴν* post 'jussi' ponunt. Minus accurate. *West. Bip. jussi. Ocyus pr.* Glossa τοῦ Br. notat pro var. l. interrogationem post 'ocyus.'—23 *Tacent: laudant* Ms. Lips. *West.*—26 *Si sit opus.*

#### NOTE

18 *Hic sunt tres minæ*] Talentum Atticum habebat 60. minas. Valet sexcentos Coronatos nostros, id est, 1800. libras Turonenses: itaque mina valet 30. libras Turonenses.

24 *In palæstra*] Palæstra Græce lucta est: accipitur etiam pro decenti motu gestuque totius corporis, quem Galli vocant, *contenance*; cuius præceptores Palæstrici quoque dicti; et, qui hujus ignari erant, apalæstri;

itaque hanc ingenui pueri docebantur, et Oratori inprimis necessariam esse scribit Quintilianus.

*In Musicis*] In Græcia, qui musicam nesciebant, habebantur indoctiores: ut Themistocles habitus fuit, cum in convivio lyram recusasset. Sed Epaminondas, referente Cicero, fidibus præclare canebat. Musica illa prisca plurimis abhinc annis non corrupta tantum, sed ignorata et

Scire æquum est adolescentem, solertem dabo. 25  
 THR. Ego illum eunuchum, si opus sit, vel sobrius.  
 PA. Atque hæc qui misit, non sibi soli postulat  
 Te vivere, et sua causa excludi ceteros :  
 Neque pugnans narrat, neque cicatrices suas  
 Ostentat ; neque tibi obstat, quod quidam facit : 30  
 Verum, ubi molestum non erit, ubi tu voles,  
 Ubi tempus tibi erit, sat habet, si tum recipitur.  
 THR. Apparet servum hunc esse domini pauperis  
 Miserique. GN. Nam hercle nemo posset, sat scio,  
 Qui haberet, qui pararet alium, hunc perpeti. 35  
 PA. Tace tu, quem ego esse infra infimos omnes puto  
 Homines ; nam qui huic animum assentari induxeris,  
 E flamma petere te cibum posse arbitror.

*in musicis præceptis ; peritum et industrium adolescentem esse præstabo. THR. Ego illum Eunuchum, vel non potus et ebrius, si sit opus. PA. Atque, o Thais ! is, qui hæc munera tibi mittit, non pro his petit, te sibi soli vacare, et alios amatores tuos expellere : neque sua prælia iucundat, neque cicatrices : quod quidam facit (Thraso nempe) : neque impedit quominus lucrum ex ceteris facias ; verum satisfactum sibi esse arbitratur, si eum admittas, quando tibi non incommodum erit, quando voluntas tua feret et opportunitas. THR. Hic servus videtur habere pauperem dominum miserumque. GN. Ita mchercule ; nemo enim posset hunc diu tolerare, qui haberet pecuniam, qua alium emeret. PA. Sile tu, quem ego pono infra vilissimos omnes et abjectissimos homines ; nam, quod tibi persuadere potueris, ut huic semper assentando ad gratiam et voluntatem loquereris, ex igne te*



Bem. si opus sit ; sed hic non fiet synalæpha : quam licentiam vitaremus, si legeremus, si opus siet, ut omnes alii l. s. et Do. Fa. Ita et nostri. Bent. Siet Bent. Bip. Both. Perl. Sciet Br. in quo glossa est ad hoc verbum ' quod dicis : ' de qua ita Bruns : ' Nota favet lectioni Ms. ex aliis libb. non erutæ.'—27 J. et Venetus cod. hic pro hæc. Perl. Neque, hæc qui misit, postulat, soli sibi Both.—29 Suas abest a Guelf. 3.—32 Tum si dedit Auctor. Bent.—36 Quem ego esse puto infra omnes infimos. Hic quoque magna facta est transpositio, contra omnium librorum fidem sic habentium, Quem ego esse infra infimos omnes puto : et Donati quoque, nisi quod habet, infra esse. Fa. Et nostri etiam esse infra ; sed Donati lectio infra esse verissima est. Etsi Pr. p. 992. esse infra ; etiam Mstus. Bent. Infra esse et Both.—37 Lege cum duobus ex nostris, et Edd. vet. assentari animum. Bent. Sequuntur Both. Perl.—38 Te petere. Vi. et alii plerique, ac Do. petere te : qui melior est numerus. Fa. Recte : etsi ex nostris tres tantum sic habeant. Bent.

#### NOTÆ

extincta est : nihil enim jam prope-  
 modum habere videtur, præter le-  
 vem animum delectationem. Ceterum  
 Musica, Dialectica, Rhetorica, cum  
 neutro genere dicuntur in plurali,

præcepta illa Artium significant.

26 Si opus sit, vel sobrius] Orationis  
 defectus honestus obscænitatem dis-  
 simulans.

38 E flamma petere te cibum] Epu-

THR. Jamne imus? TH. Hos prius introducā, et, quæ volo,

Simul imperabo : post continuo exeo. 40

THR. Ego hinc abeo ; tu istam opperire. PA. Haud convenit

Una ire cum amica imperatorem in via.

THR. Quid tibi ego multa dicam ? domini similis es.

GN. Ha, ha, he. THR. Quid rides ? GN. Istuc quod dixti modo ;

Et illud de Rhodio dictum in mentem venit : 45

*victum tibi comparare posse puto.* THR. Tandemne eximus? TH. Hæc mancipia prius domum introducā, et, postquam jussero fieri ea, quæ volo, mox exitura sum. THR. Ego hinc proficiscor. Tu, Gnatho, Thaidem expecta. PA. Non decet imperatorem unu cum amica incedere in via. THR. Quid pluribus verbis opus est? Unum hoc sufficit : dignus domino servus est. GN. Ha, ha, he. THR. Quid rides? GN. Propter illud quod modo huic servo Phadriæ dixisti : etiam cogito de dicto in

\*\*\*\*\*

*Te cibum petere* Br.—40 *Simul* Ms. Lips. non agnoscit. G. et EM. *postea*. Et mox *Non convenit*. West. *Postea continuo*] *Alias post hoc*. Erasmus. Bem. *post* : sed et Do. ita etiam legi affirmat. *Fa.* Do. et *postea* et *post* legi dicit : prius recte habent nostri codices. *Bent.* *Postea* Br. Bip. Perl. *Post huc* Both. qui, ‘Ita,’ ait, ‘Gn. 1. et Do. *Postea* B, C, Hel. sed *huc* addi satius est.’—41 O. l. s. *istanc* ; sed, ut versus stet, prima hujus versus syllaba præcedenti attribuetur, vel ‘abeo’ in pyrrichium contrahetur. *Fa.* Tres ex nostris *istanc*. ‘Hinc,’ et similia, in versus initio corripit, frequentissimum. *Bent.* *Non convenit* R. *Lind.* Sic Br. *Istanc* Bent. Z. Perl. et sic Both. qui delet *Ego*.—42 *Amica cum.* *Cum amica* lege ex Do. et o. l. s. Bem. habet *in viam*. *Fa.* Nostri omnes eum Edd. vett. *cum amica*. *Bent.*—43 Pr. Inst. Gramm. lib. xviii. *Quid tibi ego plura dicam?* Mox eodem libro : *Quid multa tibi dicam?* West. Pr. agnoscit *similis*, p. 1125. et 1192. Scripsit fortasse Terentius : *Quid tibi ego multa dicam? domini calcita es.* Sed aliud succurrit castius honestiusque et receptæ lectioni propius ; *domini simia es.* Hoc est, domini es imitator et adulator. *Bent.* Sed Plautina illa vox, *simia*, minime Terentio uberiori convenit. *Perl.* At eam recepit Both.—44 *Hæ* pro *he* Bent. et *istud*. Hoc dat Perl.—45 Bem. et V. post ‘dictum’ habet *cum* : nec versus repugnat. *Fa.* Lege ergo, *dictum in mentem cum venit* ; non ut Færnus in textu, *dictum cum in mentem venit*. Nostri omnino nesciunt illud *cum*. Bent. quem sequitur Perl. *Dictum cum in mentem* Z. Sic Bothius : *modo, et De Rhodio*

#### NOTÆ

las pro inferiis (inferiæ sunt sacrificia quæ Diis inferis et manibus solvuntur) in rogam conjicere moris erat ; extremæ autem mendicitatis erat et impudentiæ inde cibum petere. Catullus explicat Proverbium : ‘Uxor Mene- ni, sæpe quam in sepulcretis Vidistis

ipso capere de rogo cœnam, Cum devolutum ex igne prosequens panem A semiraso tunderetur ustore.’

42 *Cum amica*] *Amica* est, quam quis amat inhoneste. Terent. in *Andria* : ‘Sive ista uxor, sive amica est, gravis e Pamphilo est.’



Sed Thais exit. THR. Abi præ, curre, ut sint domi Parata. GN. Fiat. TH. Diligenter, Pythias, Fac cures, si Chremes huc forte advenerit, Ut ores, primum ut maneat: si id non commodum est, Ut redeat: si id non poterit, ad me adducito. 50  
 PY. Ita faciam. TH. Quid? quid aliud volui dicere? Ehem, curate istam diligenter virginem. Domi adsitis, facite. THR. Eamus. TH. Vos me sequimini.

*adolescentem illum Rhodium. Sed Thais progreditur. THR. Abi, præcurre, fac ut domi omnia recte apparentur. GN. Fiat. TH. Pythias, cura sedulo, ut, si Chremes ad meas ædes venerit, hunc ores primum ut me expectare velit: quod si incommodum id ei est, ut revertatur; si non poterit reverti, illum, ubi ero, hunc adducito. PY. Sic fiet. TH. Quid? quid præterea volui dicere? Curam habete magnam hujus virginis. Manete domi. THR. Eamus. TH. Vos, ancillæ, me sequimini.*

//////////

*dictum mi illud in m. v.—46 In aliis est: Abi, præcurre. Exiguo discrimine, quod ad sensum attinet. Pro illis autem, ut sint domi Parata, Mss. plusculi, cum editis, ut sint domi Parata omnia. M. ut sint domi omnia parata. West. qui non satis accurate expressit qua voce, num omnia an parata, hunc vs. ordiatur M. 'Ut sint domi Parata omnia. Vox omnia nec in ullo l. s. legitur, nec in Donato; sine qua dictione versus optime stat.' Fa. 'Distingue et lege, Abi præ: cura ut sint domi Parata. Cura Palmerii correctio est, et quidem egregia. Omnia nusquam comparet in libris nostris.' Bent. 'Cura est Palmerii correctio egregia.' Perl. qui id accipit. Abi, præcurre Br. Bip. et sic Both. qui notat: 'Præcurre nostri unanimes. Palmerius abi præ, cura, quod mihi languet.'—48 Bem. hoc, pro huc, ut Virgilius: 'Hoc tunc ignipotens,' pro, Huc. Fa. Melius duo nostri cum Edd. vett. et Donato, si forte huc Chremes. Bent. cui accedit Perl. Fac ut cures Guelf. 1.—49. 50 Sic codices ubique omnes. Sed inverso ordine reponere: primum ut redeat, si id non commodum est, Ut maneat. Bent. Deducito Ms. Lips. West. Invert. Bent. vulg. lectionem recte. Hic enim ordo patet e Scena 5. vss. 27—31. ubi Pythias cod. ordine, quæ a Thaide jussa fuerant, est executata. Perl. qui cum Bothio dat Bent. lectionem. Adduc cito pro var. l. memoratur in glossis τὸν Br.—51 Quid? abest a G. et EM. West. Quicquid pro Quid? quid Br.—52 Hen ed. Delph.—53 Domi ut sitis Ms. Lips. West. Lege Domi ut sitis. Bent. Domi ut assistis R. Lind. D. ut sitis Br. Perl.*

## NOTE

53 Vos me sequimini] Thais alloquitur ancillas.

## ACTUS III. SCENA III.

CHREMES. PYTHIAS.

CH. PROFACTO quanto magis magisque cogito,  
 Nimirum dabit hæc Thais mihi magnum malum :  
 Ita me video ab ea astute labefactarier.  
 Jam tum, cum primum jussit me ad se arcessier ;  
 Roget quis, Quid tibi cum illa? ne noram quidem ; 5  
 Ubi veni, causam, ut ibi manerem, reperit.  
 Ait, rem divinam fecisse, et rem seriam  
 Velle agere mecum. Jam tum erat suspicio,  
 Dolo malo hæc fieri omnia : ipsa accumbere

CH. *Equidem, quo sæpius de hæc Thaide cogito, eo magis mihi timeo ab ea, et mirum ni mihi damnum ingens faciat : adeo mihi video animum ab ea versute tentari et concuti. Jam tum, cum primum jussit me ad se vocari, (querat aliquis: Quid negotii habes cum illa? Nihil quidem: nec enim ejus notitiam ullam habebam,) dixit mihi se Diis sacra fecisse, velle se mihi rem magni momenti communicare et mecum tractare: cum occasionem, ut ibi manerem, invenit. Jam tum suspicabar hanc dolo malo hæc omnia agere. Cæpit mecum sedere, familiariter agere quasi ex veteri usu*

//////////

3 Sollicitat hanc lect. Guy. Substituit *tractarier*. Scilicet quia in Pal. legitur, *tactarier*. Quod dicit Gayetus, *τὸ labefactarier* hic nullum locum habere, gratis quidem dicit. West. Quinque modis ordo horum verborum in codicibus variatur: qui omnes metro satisfaciunt, si ad digitos exigas. Sed, qui auri plus placet, hic est, qui et codicum est plurimum: *Ita me ab ea astute video labefactarier*. Bent. Quod dat Bent. dat Br. *Ita me astute ab ea video* Both. qui monet se sequi Hel. dum sic versum ordinat.—4 Nostris omnes *arcessier domum*, nec glossematis speciem habet *domum*. Eleganter abest *arcessi*. Both. qui scribit *jusserat me ad se domum*. *Jam hem cum et ad sese arcessivier Domum rog. q.* Br. *Sese* et Guelf. 3.—5 *Si roget R. Lind.* Omnes nostri, uno demito, *cum ea*. Anapæstus est, absque synalæpha. Bent. Sic habent Br. et Perl. qui notat *illa* esse in Guelf. 2.—7 Quidam Mss. et impressi, *fecisse se*. Alii: *fecisse sese*. West. *Fecisse se R. Lind.* Sic Br. —8 Erige hoc per accentus: *Jam erat tum suspicio*. Bent. Sequitur Perl.—

## NOTE

1 *Chremes*] Chremes adolescens rusticus, frater Pamphilæ, sibi a Thaide metuit, ne se ad eam amandam allicere conetur; deinde ne villam, quam Sunii habet, subducere tentet; aut ne velit intendere se ejus esse sororem quam olim parvulam amiserat; et cuncta, ut suspicax est, maligne interpretatur.

7 *Ait, rem divinam fecisse*] Sacrificasse. Veteres nihil aggrediebantur serium, nisi prius Diis sacra fecissent.

9 *Dolo malo*] Dolus malus est, cum aliud agitur, aliud simulatur: bonus, adversus hostem et latronem.

*Accumbere Mecum*] Solebant Veteres in cœnaculis lectulos ad recam-

Mecum, mihi sese dare, sermonem quærere. 10  
 Ubi friget, huc evasit; quam pridem pater  
 Mihi et mater mortui essent: dico, jam diu.  
 Rus Sunii ecquod haberem, et quam longe a mari?  
 Credo ei placere hoc: sperat se a me avellere.  
 Postremo, ecqua inde parva perisset soror? 15  
 Ecquis cum ea una? quid habuisset, cum perit?  
 Ecquis eam posset noscere? Hæc cur quæritet?  
 Nisi si illa forte, quæ olim periit parvula  
 Soror, hanc se intendit esse, ut est audacia.  
 Verum ea si vivit, annos nata 'st sedecim, 20

*et consuetudine, loquendi materiam captare. Ubi sermo defecit, huc illa devenit, ut interrogaret quamdudum pater et mater e vita decessissent: respondeo jam diu eos decessisse. Ecquod Sunii prædium mihi sit, et quam longe distans a mari. Suspicio rus illud delectabile et amœnum ei videri: spem habet, id a me in se translaturam. Postremo rogat, ecquam postea parvulam sororem perdidissem; num aliquis simul cum ea periisset; quænam habebat secum, quando amissa est; ecquis cum posset interrogare. Hæc cur sciscitetur tanto studio, ignoro: nisi fortasse intendere in jure velit sese esse sororem illam meam quæ olim parvula periit, ut est audacia meretricum. Atqui, si adhuc in vivis est soror, sedecim annorum est, non amplius: Thais ætate*

~~~~~

9 *Accumbebat* Ms. Lips. West.—10 *Mihique* Br.—12 *Diu rursus* Guelf. 3.—13 Ms. Lips. *habeam*. Idem et in aliis Libris est. West. *Ecquod habeam*] Libri antiqui fere omnes, et quod *haberem*: quod magis consequens et præcedentibus et sequentibus verbis est. Fa. Atqui illud *haberem* a Correctoribus est: nostri universi *habeam*; et recte. Porro *Sunio*, non *Sunii*; non enim oppidum hic sed regionem notat. Bent. *Ecquod* Br. sed secundum lectionem edit. *ecquid* interrogat Thais. Bruns. Bothius omnino sequitur Bent. *Habeam* Br. Perl. *Ecquid* Z.—14 *Se posse a me* M. West. *Sperat se postea a me* Vet. Cod. Lind. *Se posse* Guelf. 1. 3. Pungit Br. post 'placere,' non post 'hoc.'—15 M. et ET. *hæc qua in die*, corrupte, ut videtur. West. *Periisset* Br. Z. Bent. Both. Perl.—16 *Lege, ut cetera, ecquid habuisset*. Bent. Sequuntur Bip. Both. Perl. qui dat *periit*: de qua mutatione et talibus fere silemus. Quod *habuisset comperit* J.—17 Non interrogat Br. ad finem: et ad vocem 'quæritet' glossa in eo cod. habet 'nescio.' 'Vi hujus glossæ,' ait Bruns, 'signum interrog. in Ms. deest.'—18 *Nisi illa* G. et EM. West. *Nisi illa forte*. Bent. *Nisi si illa forte*. Fa. Sic et nostri fere omnes. Bent. *Nisi sit* Z. quod esse in edit. notat Bruns. *Nisi illa si* ed. Delph.—19 Eug. hunc versum sic citat: *Eam sese intendit esse, &c.* Egregie: et dele *Soror*, quod putide hic repetitur. Bent. *Eam sese* Eug. legit et recepit Bent. quem sequimur, rejecto vulg. *Soror*. Bip. Sequuntur et Both. et Perl. qui notat *Eam*

NOTÆ

bendam et meridiandum accommodatos habere, in quibus confabulantur.

13 *Sunii*] Sunium Promontorium est Atticæ. Hodie nominatur, *Capo*

delle colonne.

16 *Quid habuisset, cum perit*] Quæ insignia gestabat puella Pamphila, quibus tandem agnita est.

Non major. Thais, quam ego sum, majuscula 'st.
 Misit porro orare, ut venirem, serio.
 Aut dicat quod volt; aut molesta ne siet:
 Non hercle veniam tertio. Heus, heus. PY. Ecquis hic?
 CH. Ego sum Chremes. PY. O capitalum lepidissimum! 25
 CH. Dico ego mihi insidias fieri. PY. Thais maxumo
 Te orabat opere, ut cras redires. CH. Rus eo.
 PY. Fac amabo. CH. Non possum, inquam. PY. At tu
 apud nos hic mane,
 Dam redeat ipsa. CH. Nihil minus. PY. Cur, mi Chre-
 mes?

paulo major me est. Misit autem illa me rogatum serio, ut ad se venirem. Aut dicat illa, quid velit, aut mihi importuna non sit; non profecto eam adibo tertio. Heus, heus. PY. Hic quis est? CH. Ego sum Chremes. PY. O lepidum hominem! CH. Aio mihi his blandis verbis insidias fieri. PY. Thais te valde rogabat, ut cras hic redires. CH. Ad villam eodem die iturus sum. PY. Cras redeas, quæso. CH. Non possum, inquam. PY. At in hac nostra domo tantisper expecta, dum illa redeat. CH. Minime id faciam. PY. Cur, mi Chremes? CH. Quid me attrec-



se Bent. ex Pr. sumsisse.—21 *Ego quam sum.* O. l. s. *quam ego sum:* et sustentatur versus, non facta collisione in *quam ego.* Fa. Ita nostri quoque universi; et Pr. p. 609. 'Id est, parvo major quam ego.' Bent. *Ego quam sum* Fa. et Bent. ex codd. Bip. Fa. tamen certe vindicat *quam ego sum*, et id in textum recipit Bent.—22 Ita distinguo. Do. dubitat, an hic sensus sit, an ille, *Misit porro orare, ut serio venirem.* Sed quid est *serio venire?* West. Non distinguit Br. ante 'serio.'—23 *Quid velit* EP. *Ne molesta* M. ET. West. Quatuor nostri cum edd. vett. *quid volt.* Recte. Bent. *Quid placet.* Perl. qui id dat cum Br. Both. et R. D.—24 *Heus...Chremes.* Sic cum Do. legendum et distinguendum monet Guy. At Donatum hæc omnia uni Chremeti tribuere, recte observat Faërnus. Tr. *Et quis hic est?* Quatuor Leidd. [et Br.] *Ecquis hic est?* Unus, *Ecquis hic?* EP. *Quis est hic?* Ut dicam, quod sentio; poterat adolescens commode dicere, *Ego sum Chremes*, licet non interrogatus, *Ecquis hic?* Sed et commode Chremes clamat de via: *Ecquis hic?* Quæ verba si Pythiæ tribuas, vix audiri potuit in ipsis ædibus loquens. Sed nec aperturi ostium loquebantur fere, nisi jam aperto ostio. Demum, nisi parturientium, non audita in ædibus loquentis vox. West. *Heus heus.* PY. *Hic quid est?* CH. E. s. C.] Apparet Donatum omnia hæc uni Chremetis personæ attribuire: præterea o. l. s. recentes habent, *Quis hic est?* vetusti vero et Donatus, *Ecquis hic est?* in Bem. tamen adjectum fuit alia manu verbum, *est:* quo nos propter versusum detracto eam lectionem tenemus. Faërnus. Recte hæc omnia. Bent. *Ecquid hic est* R. Lind. *Ecquis hic* Fa. ac Bent. Chremetis esse mire existimant. Perl. *Hic quis est* ed. Delph.—26 Interrogant post 'fieri' Bent. Bip. Both.—28 *At apud nos hic mane.* O. l. s. post 'At' habent pronomen *tu.* Versus autem stat, si, ex *upud*, *d* elidas. Fa. Sic nostri omnes. Bent.—29 *Cur abest*

NOTE

21 *Majuscula 'st]* Ratiocinatur suam sororem Pamphilam ex ætate; Chremes non posse Thaidem esse Thais enim ipso major erat.

CH. Malam rem! hinc abis? PY. Si istuc ita certum est
tibi, 30

Amabo, ut illuc transeas, ubi illa est. CH. Eo.

PY. Abi, Dorias, cito hunc deduce ad Militem.

tas? Abi hinc in malam rem. PY. Si ita stat sententia, rogo ut illuc transeas
ubi illa est. CH. Fiat. Eo. PY. Abi, Dorias, cito; hunc ad Thrasonis domum
deducito.

//////////

a Guelf. 2. *Chreme* Both.—30 Bem. et omnes fere libri recentes, *hinc abis*:
ita et Donatus, nisi quod non habet vocem *hinc*. Fa. *Malam in rem hinc
abis?* Ita vulgo editur. Ms. Lips. et G. [et Br.] *Malam in rem hinc ibis*. Ita et
Leidd. quatuor. De Donati lectione non convenit inter Guy. et Fa. Ille
scribere se ait cum Donato: *Malam rem hinc ibis?* Hic Donato tribuit: *Ma-
lam rem abis?* Non nna igitur Donati lectio. EV. 1. et in contextu, et in No-
tis Donati exhibet: *Malam in rem hinc abi!* In aliis edd. *Malam rem abis
hinc?* Utrumque ἐμφατικώτερον, maxime si posterius distinguas, *Malam rem!
abis hinc?* Quomodo non dubitavi edere. West. *Malam in rem hinc abis* ET.
Malam in rem hinc abi EM. *Id. in Add. Malam rem hinc abis* dedit Fa. dum
codici Bem. in servitutum se addicit. Nostri plerique omnes *ibis*; nec aliter
versus sustentatur. Bent. West. male dispungit, *Malam rem! hinc abis?* Bip.
Nostri omnes *Malam in rem hinc*, et minus eleganter, et male eliso utroque
nomine. Both. qui dat cum Bent. et Z. *Malam rem hinc ibis?* Sic legunt
R. D. *Malam in rem hinc abi* Bip. *Malam in rem hinc ibis* Perl. qui *abis*
legere Guelf. 1. testatur.—31 *Ubi illa est*. Malim hæc magis distinguere a
superioribus, et legere: *Ibi illa est*. West.—32 *Deduc* EP. ET. EV. 1. *Id.
Deduc* nostri omnes cum edd. vett. ut alibi *abduc*. Bent. *Deduc* R. Lind. Al.
abduc. Perl. quem ita notantem male intellexisse Bentleium videtur, *Deduc*
dant Br. Bent. Both. Perl.

=====

ACTUS III. SCENA IV.

ANTIPHO.

HERI aliquot adolescentuli coimus in Piræeo,

Hesterno die aliquot adolescentuli in Piræo convenimus, in hunc hodiernum

//////////

1 Guy. et Bœcl. contendunt legendum esse, *Piræo*. Sed et Malaspina ad
Cic. Att. VII. 3. ita legit. Itaque est in plerisque veteribus impressis, præ-
terquam ET. Variant Mss. Ego vero standum censeo J. Fr. Gronovio,
Observ. I. 3. evincenti, omnes Græcos ita locutos, ut Πειραιέα vel Πειραιά vo-
carint oppidum ac portum Athenarum; nunquam Πειραιών oppidum, nun-
quam Πειραιέα hominem ex portu. Idem gravis Scriptor nec in metri leges
peccari, si *Piræo* legatur, ostendit. Sed et ita exhibent in Cicerone loc.
cit. J. G. Grævius, et Jac. Gronovius. Consentit editio Ascensiana, anni
1511. nisi quod bis *Piræum* legit, vitio, ut videtur, operarum. Ceterum
præstat legere, *Piræo*, quam cum Cicerone, *Piræum*. Fortasse distinguen-

In hunc diem ut de symbolis essemus. Chæream ei rei Præfecimus; dati annuli; locus, tempus constitutum est. Præterit tempus; quo in loco dictum est, parati nihil est. Homo ipse nusquam est; neque scio quid dicam, aut quid conjectem. 5
Nunc mihi hoc negoti ceteri dedere, ut illum quæram;
Idque adeo visam, si domi est. Quisnam hic a Thaide exit?

diem ut cenaremus de stipibus collatis ab unoquoque convivarum: Chæream huic officio præposuimus: annuli dati pro arrha: locus, tempus definitum est: transiit tempus: nihil præparatum reperitur. Chærea ipse nusquam apparet. Nescio quid debeam dicere, aut cogitare. Nunc mihi a ceteris sodalibus hoc mandatum est, ut illum quæram: ideoque visum ibo, si domi est. Quisnam ex adibus Thaidis egre-

//////////

dum c. in *Piræo* In hunc diem, ut. West. Tres ex nostris meliores coimus. Omnes autem *Piræo*, non ut nunc legitur apud Cic. ad Att. vii. 3. *Piræum*. Recte: non enim ex urbe in *Piræum*, sed in *Piræo* ubi custodes erant publice. Bent. *Piræo*] Alii scriptores hunc portum semper dicunt *Piræum*. R. D. Cic. ad Att. errorem grammaticum a se admissum excusaturus, provocat ad hunc versum, legendo in *Piræum*. Sed is et in defensione memoria lapsus videtur hodie omnibus. Omnes enim Mss. habent casum sextum, et sine e superaddito *Piræo*, et metro adversum quadrisyllabum. Bip. Coimus Br. Bent. Perl. Both. et *Piræo*. Hoc dant et Z. et Bip. *Piræo* Guelf. 1. 2.—2 Ut delet Perl. et notat id legi in Guelf. 2. 3.—4 Est post 'dictum' abest a Br.—6 *Illum ut*. O. l. s. numero meliore sic habent, ut *illum*. Fa. Sic nostri omnes et Edd. vett. Bent.—7 *Ibo ad eum*. *Visam si domi est* G. ET. EM. West. *Idque adeo visam, si domi dedit* Faërnus; sed nihil ad locum annotavit. Nostri omnes cum Edd. vett. *Ibo ad eum*; quod in contextum recepit vir eruditus, *Idque adeo* ejecto. Temere factum; et nolim imitari. Codex enim Bembinus, ipso Bembo teste, *Idque adeo*. Equidem, si *Ibo ad eum* asciscerem, post *Ibo* subdistingnerem, hoc modo: *Ibo, ad eum visam si domi est*. Certe, si *Ibo ad eum*, et mox, *visam si domi est* dicas; bis idem dixeris. *Idque adeo visam*, perinde ac *Idque adeo*, satis se vetustate sua et elegantia commendat. Heant. i. 1. 122. 'Ibo adeo hinc intro: set quid crepuerunt fores?' Ubi illud 'set' in memoriam mihi redigit, alterum quoque hujus versus colon mendose ferri: *Idque adeo visam si domi est: quisnam hinc ab Thaide exit?* Omnes nostri enim vett. Edd. set *quisnam*: syllaba supervacua. Faërnus set ejecit: ego cum codice in Bibliotheca publica hinc ejicio: Set enim huic loco aptissimum. Bent. qui dat cum Both. et Perl. *Idque adeo visam, si domi est*. Set *quisnam* a Th. ex. Dat *Ibo ad eum, visam, si domi est: quisnam a Th. exit* Bip. *Quisnam hinc Th. exit* exhibet Z. Notat Perl. legere Guelf. 2. 3. *Ibo ad eum pro Idque adeo*, et Guelf. 3. dare hinc post 'Quisnam.' Dat Br. *Ibo ad eum, visam si domi est. Sed quisnam hinc a Th. ex*. Testatur

NOTE

3 *Dati annuli*] Nobiliores annulos aureos in sinistra manus digito penultimo gestabant: eos in pignora commissationis dabant: ut adesse ad diem constitutum convivii, quod communi sumtu celebrabant, cogentur.

Is est, annon est? ipsus est. Quid hoc hominis! qui hic ornatu' est?

Quid illud mali est? nequeo satis mirari, neque conjicere.

Nisi quicquid est, procul hinc lubet prius, quid sit, sciscitari. 10

ditur? Isne ipse est, an alius? Is ipse est. Quenam hæc species est hominis? Quis hic habitus? Quid illi mali potest accidisse? Nequeo satis mirari, neque conjicere, quid hoc rei sit: sed quicquid est, longe hinc a publica via illud clam volo cognoscere.

Lind. legere R. *Ibo ad eum, visam, et Sed quisnam.*—8 Aliquot ex nostris quid hoc ornatist? Recte. Bent. Vulg. non æque aptum. Bip. qui Bent. sequitur cum Both. et Perl. qui monet dare Guelf. 3. *hic orn.* Quid hoc hominis est? qui hic ornatus Br.—9 Quid illi Guelf. 3.—10 *Libet G. EM. West.* Sic Br. et ed. Delph.

NOTÆ

8 *Quid hoc hominis*] Hæc sunt 10 *Procul hinc*] A publica via, se-
verba habitum et formam Eunuchi motis arbitris.
mirantis in Chærea.

ACTUS III. SCENA V.

CHÆREA. ANTIPHO.

CH. NUMQUIS hic est? nemo est: numquis hinc me sequitur? nemo homo 'st.

Jamne erumpere hoc licet mihi gaudium? pro Jupiter!

Nunc est profecto, interfici cum perpeti me possum,

CH. *Quis hic est? Nemo est. Num ex domo Thaidis aliquis exiit, ad me sequendum? Nemo quisquam est. Jamne retentum in animo gaudium quod sentio mihi proferre licet? O Jupiter! nunc tempus est, cum mihi mortem inferri permit-*

1 *Numquis hic? Nescio. Num me quis hinc? Nemo h. est Both.*—2 *Repono, Jamne rumpere hoc mihi licet? Pro supreme Jupiter! 'Hoc' secretum, quod premo. Ceterum Nonius v. Rumpere, sic locum hunc legit, Jamne rumpere hoc mihi licet gaudium? Ita tam editus, quam scriptus manu veterima. Porro mihi licet etiam Bem. teste Bembo, et CCC. et ex Meadianis alter. Præstat certe, ut 'mihi' sit in Arsi. Cum autem inter lineas super 'hoc' scripsisset aliquis gaudium; id postea in textum receperunt, et deinde ejecerunt supreme. Bent. Hæc Bent. vexavit. Veremur ut verum docuerit Nonius, aut potius ipse erumpere legerit. Gaudium rumpere foret contra sensum. Bip. Bent. omitt. gaudium: quod esse ait ex vs. 4. repetitum. Sed nescio cur tantopere ille habeat repetitiones suspectas. Perl. qui legit rumpere. Mihi licet Bip. Jamne rumpere hocne mihi licet? Proh Jupiter Both.*—3 *M. Nunc est tempus profecto. Ita et editi quidam. Alii, Nunc tempus pro-*

Ne hoc gaudium contaminet vita ægritudine aliqua.
 Sed neminemne curiosum intervenire nunc mihi, 5
 Qui me sequatur; quoquo eam, rogitando obtundat, enecet;
 Quid gestiam, aut quid lætus sim; quo pergam, unde emer-
 gam; ubi siem
 Vestitum hunc nactus; quid mihi quæram; sanus sim, anne
 insaniam?
 AN. Adibo, atque ab eo gratiam hanc, quam video velle,
 inibo.
 Chærea, quid est, quod sic gestis? quid sibi hic vestitus
 quærit? 10

tere possim, ne tantum gaudium vita longior corrumpat dolore aliquo: sed vereor ne obvius mihi fiat curiosus aliquis, qui quæsitis obtundat mihi aures, cur gestiam, quid lætus sim, quo vadam, unde egrediar, unde mihi vestem hanc comparaverim, quid mihi quæram, sanasne mente sim, an insaniam? AN. Ad eum accedam et hanc gratiam ejus (ut desiderat) demerebor. Quamobrem sic exultas? Quidre

fecto est. Editio Veneta in Donati Notis legit *possim*, quod haud scio, an sit elegantius. *West.* Dac. et alii insererunt *tempus* post ‘*perfecto.*’ Sed haud dubie est glossema. *Zem.* *Nunc tempus perfecto est, cum perpeti me possum interfici* ed. Delph.—4 *M. vitam:* quomodo et impressi quidam veteres. *West.* —5 Ita plusculæ edd. In aliis est, *Sed neminem curiosum int. nunc mihi video.* Quatuor Leidd. cum Tr. et Ms. Lips. *Neminem hic curiosum int. nunc mihi.* Quæ varietas facit lect. dubiam. Si *neminemne* retineas, videtur *rd Sed* abesse debere; eritque sententia magis abrupta, qualis convenit in alacrem et gestientem Chæream. Sin retineas *Sed*, multum decedet admirationi. *Id. Sed neminem curiosum G. ET. EM. Id. in Add. Sed neminemne curiosum]* Testatum relinquimus ita esse in Bem. ne quis nunquam revocet in dubium. *Fa.* Sic et G. Fabricii codex, et ex nostris vetustissimus: ceteri male, *Neminem hic eur. Bent. Mihi] GM. video.* Nisi forte glossa confunditur et textus. *Cur. hic Guef. 1. Perl. Neminem hic eur. Br.*—6 Ita ediderunt Junt. Aldus, St. Fa. Heinsius, alii. Guyetus veram lect. et genuinam esse ait, quam etiam præfert Ms. Lips. [et Br.] *Qui me sequatur, quique jam rogitando obtundat.* Atque ita nunc vulgo editur. Cum autem continuo præcesserit ‘*nunc,*’ *rd jam* vix locum tenebitur. Si conjecturæ locus est, crediderim eas literas, unde effecerunt illa, *quique jam,* et *quoquo eam,* parum perspicue lectas esse. Unde mallet, modo liceret per Codd. *Qui me sequatur, quique me rogitando obtundat.* Sic sensus planus, Latinitas salva, metrum etiam servatum. Itaque exhibet Leid. unus, et Tr. uterque tamen omisso altero *me.* *West. Qui me sequatur quoquo eam; rogitando obtundat, enicet]* Illud *quoquo eam* ex Bem. codice est, Bembo teste; et ex Eng. *Nostri quique jam;* sed veterimus, paulo propius *quoque eam.* Hoc scilicet voluit, *Rogitandoque quo eam:* sed minus recte. *Bent.* qui dat *Qui me sequatur quoquo eam; rogitando:* et sic Bip. et Perl. nisi quod leviter pungunt post ‘*sequatur.*’ *Leviter pungit Both. et post ‘sequatur’ et post ‘eam.’ Pro quoque eam* habet Guef. 1. *quique,* et 2. *quique jam. Enicet Bent. Both. Perl.*—7 *Aut unde Guef. 2.*—10 *Quidre]* Disjunct-

NOTE

8 *Quid mihi quæram]* Superabundat illud ‘*mihi,*’ phrasi Attica.

Quid est, quod lætus sis? quid tibi vis? satin' sanus? quid me aspectas?

Quid taces? CH. O festus dies hominis! amice, salve.

Nemo 'st hominum, quem ego nunc magis cuperem videre quam te.

hic habitus denotat? Quid est quod tantum lætitiã exprimis? Quid tibi vis? Satisne sapias? Quid me intueris? Quid siles? CH. *O lætus et faustus mihi dies! amice, salvas sis. Nemo est omnium, quem ego nunc magis cuperem videre quam*

tionem aliqui libri nullam habent; aliqui vero hoc modo, *aut quid sibi*: in nullo est, *quidre*: ut in impressis. *Fa.* Etiam nostri plerique disjunctione *re* vel *aut* carent; neque aliter stat versus. *Bent.* *Aut quid sibi* Vet. Cod. *Lind.* Ita Br. et Guef. 3. *Sic delet Both.* Dat *Perl. quid est? quod sic gestis?*—11 *Lætus es lege.* *Bent.* Vulgo *l. sis.* Sed nostrum [sc. *l. es*] rectius. *Bip.* quæ 'aspectas' trudit cum ed. Delph. in versum 12. Sic dat Bothius: *Quid lætus es? quid vis tibi, &c. Sanus es* Guef. 2. 3.—12 *Guy.* Eugraphium secutus, expungit *rd hominis.* Neque ferenda videtur constructio verborum, *festus dies hominis.* Conjeciebam, dixisse fortassis Chæream: *O festus dies! homo mi! amice salve!* vel, *O festus dies! o mi amice salve!* Nisi forte per hypallagen dixit, *festus dies hominis*, pro, homo festi diei. Quales Græci vocantur *καλήμεροι.* Turnebus *Advers.* III. 11. *festus dies hominis* dictum putat mira quadam et nova dicendi ratione, pro fausto homine, auspicato et optato; translatione ducta a diebus festis. Ex *Ampl. Viri Corn.* van Bynkershoek doctissimis literis duplicem conjecturam didici; scilicet, *O festus dies homini.* Et, *O festus dies omnis.* Quarum utraq; se et minima mutatione, et optimo sensu approbat. *West.* Quid cum hoc versu faciemus? ex fine constat, Tetrametrum esse Catalecticum: sed initio claudicat illud *taces.* Donatus: 'Quid me aspectas? quid taces? His duabus interrogatiunculis descripsit vultum dicturi.' Quicumque hoc annotavit, profecto non legebat *taces.* Quomodo enim *Quid taces* describit vultum locuturi? Sed et aliud hic majus est, *Festus dies hominis!* quam magno emerim hodie, ut sensum aliquem hinc aliquis extundat! Donatus: 'Festus dies hominis, pro, Homo festi diei.' Quanto melius fuerat tacuisse, quam hoc dixisse! Bene igitur Eugraphius, 'Quid est,' inquit, 'Festus dies hominis?' Ignorantiam hic suam candide profitetur. Vide an ego veterriam et teterrimam labem feliciter hinc sustulerim: *Quid dices! o festus dies! o meus amicus! salve.* *Festus dies* est blandientis dictum; et in his formulis nominativo utebantur, æque ac vocativo. *O meus* degeneravit in *omnis* sive *hominis.* Ceterum vir eruditus memorabile hic facinus fecit, verba, ut versui consuleret, sic in ipso textu trajiciens: *Quid est quod lætus sis? quid tibi vis? quid me aspectas? quid taces? Satin' sanus? O festus dies hominis: amice salve!* nescius interea, se ordine sic immutato sententiam totam corrumpere. *Bent.* Ex vulg. editione nullus idoneus sensus elicitor. *Bent.* conjicit *O festus dies! O meus amicus.* 'Festus dies' blandientis dictum esse planum est. Gesner. in *Thes. Lat.* v. *Festus*, et cl. *Ondendorp.* putabant *O festus dies!* *O meus amicus*, sc. *dies.* Poëta diem meum diem faustum vocant. *R. D.* Vix ferendum est *festus dies hominis*, nisi forte est pro, homo festi diei. *Perl.* *Bent.* frigide *quid dices!* rescribit. *O festus dies hominis:* sic appellat amicum, qui ipsi hilaritatem (qualem festus dies) afferat. Instar festi diei advenis mihi, hodie primum homini. Hominem se sensit felicem amore, et amore nihil est humanius. Nihil igitur sensisse nobis videntur Critici, qui parum venuste hæc tentant. *Bip.* quæ 'salve' collocat cum ed. Delph. in vs. sequenti. *Taces quid?* dat Both. qui. 'Neque hominis friget,' ait, 'sed recte additur.'—13 *Hominum* ex Mss. quibusdam edidit Faërus.

AN. Narra istuc quæso quid siet. CH. Immo ego te obsecro hercle ut audias.

Nostin' hanc, quam amat frater? AN. Novi, nempe, opinor Thaidem. 15

CH. Istam ipsam. AN. Sic commemineram. CH. Quædam hodie est ei dono data

Virgo. Quid ego ejus tibi nunc faciem prædicem, aut laudem, Antipho,

Cum ipsum me noris, quam elegans formarum spectator siem?

In hac commotus sum. AN. Ain' tu? CH. Primam dicēs, scio, si videris.

te. AN. *Recense, amabo, quid istud sit, quod tam feliciter accidit.* CH. *Immo ego te oro per Herulem, ut audire libeat tibi. Notane tibi est illa, cujus frater amator est?* AN. *Nota est; nempe mihi videtur, illam dicis Thaidem.* CH. *Istam ipsam.* AN. *Sic in memoriu habebun.* CH. *Quædam puella hodie ei dono missa est. Quid opus est, ut ejus tibi pulchritudinem verbis aut laudibus exprimam, Antipho! cum scias probe, quam scitus sim formarum explorator et æstimator: ejus amore captus fui.* AN. *Itane?* CH. *Si eam videris, venustarum principem esse fateberis, certo scio. Quid plura dicam? ejus forma*



Ms. Lips. aliique, *omnium*. Editio Junt. Aldina, St. aliæ omiserunt. *West.* *Nemo est quem.* Post vocem 'est' aliqui l. s. et Do. habent, *omnium*; sed multo plures, *hominum*: quod et versui magis servit, et Terentianum est. Collocatio vero verborum in omnibus est, *nunc magis*. Sane in Bem. et compluribus aliis scriptis, hic versus et duo præcedentes ita ordinantur: *Quid est quod lætus sis? quid tibi vis? satin' sanus? quid me aspectus? Quid taces? o festus dies hominis. amice salve. Nemo est hominum quem ego nunc magis cuperem videre quam te.* Fa. Præter Donatum septem ex nostris Codices *Nemost omnium*; unde sic versum constituo: *Nemo omniumst, quem ego nunc magis videre cuperem quam te.* Nam quod vir doctus hic malit *hominum*, quia infra habemus iv. 6. 19. 'Egon formidulosus? nemost hominum qui vivat, minus?' quantum interesset, parum animadvertit. *Bent.* *Nemo'st omnium* R. *Lind.* *Nemo omnium est, quem ego nunc magis videre quam te cupiam* Both. *Nemo est omnium* Br. qui in vs. 11. dedit *sanus es.* *Nemo est omnium, quem ego magis nunc cuperem quam te* ed. Delph. an. 1731. *Videre cuperem* Perl.—14 *Ut aul. istuc* M. *West.* Vett. Edd. et codex ex nostris unus, *quid sit.* Recte. *Bent.* Sequitur Both.—15 *Ut opinor* M. *West.* *Nostin hanc*] *Lege Nostine hanc. Nostin secundam corripit. Bent.* *Nori nempe*] Alii et ipse Do. male intercidunt, *Nori; nempe.* Bip. *Nori; nempe* Bent. Both. *Nori: nempe* Perl. *Nostine* Both. *Nostin* Br. in quo superscript. *ut ante 'opinor,' forte a pr. manu, censente Bruns.* Dat et Br. plenum punctum post 'Novi.' *Ut opinor* Gneff. 2. 3.—16 Codices omnes nostri et Edd. Vett. melioribus numeris: *Hodie quædam.* Sensit hoc et vir eruditus. *Bent.* Sic Br. Both. Perl.—17 Msti nostri, præter unum omnes, *Quid ejus.* *Lego, Ejus quid ego.* Bent. *Quid ego tibi ejus* Both. *Quid ejus nunc tibi* Br. omisso *ego.*—18 Nostris omnes cum Edd. Vett. *Cum me ipsum noris.* Scripsit Auctor, *Cum me ipse noris.* Bent. *Cum me ipsum noris* Br. Perl. *Cum ipsus me noris* Both.—19 Alii, *In hanc.* Solent autem verba amorem significantia ablativo fere jungi cum præ-

Quid multa verba? amare cœpi. Forte fortuna domi 20
 Erat quidam Eunuchus, quem mercatus fuerat frater Thaidi:
 Neque is deductus etiamdum ad eam. Summonuit me

Parmeno

Ibi servus, quod ego arripui. AN. Quid id est? CH.
 Tacitus citius audies.

Ut vestem cum eo mutem, et pro illo jubeam me illuc de-
 ducier.

AN. Pro Eunuchon'? CH. Sic est. AN. Quid ex ea re
 tandem ut caperes commodi? 25

CH. Rogas? viderem, audirem, essem una, quacum cupie-
 bam, Antipho.

Num parva causa, aut parva ratio 'st? traditus sum mu-
 lieri.

inspecta, statim amore inflammatus sum. Forte in ædibus nostris erat quidam Eunuchus quem frater emerat Thaidi, necdum ad eam tunc deductus erat. Parmeno ibi servus mihi consilium dedit quod ego avide cepi. AN. Quid id est? CH. Si silentium præbueris, citius percipies: suavit ut habitum cum eo mutem, et pro illo me tradi jubeam Thaidi. AN. Pro Eunuchone? CH. Pro Eunuchone. AN. Ecquænam tandem fuit utilitas, quam ex hoc facto perciperes? CH. Quærisne? Ea fuit, Antipho, ut virginem spectarem, audirem, conversarer cum ea, cum qua cupiebam. An levis causa aut ratio hæc tibi videtur? Datus sum Thaidi. Illa, ut



positione. *West.* Poëtæ Latini, cum de amore loquuntur, ablativo potius utuntur quam accensat. *R. D.* Scio non habet *Gnelf. 2.* Additum supra sum post 'commotus' in *Br.*—21 Ex nostris plures, atque ii meliores, frater fuerat. Magis ex more Terentii, quem adolescententes notabant. *Bent.* Sic dant *Br. Both. Perl.* Quidam erat *Bip.* Quidem *Both.* putamus, per errorem typo.—22 Etiam tum *M. West.* Etiamdum ex *Bem.* dedit *Fa.* Non accedo. *Bent.* Nec accedunt *Br. Bip. Perl. Both.* Hic dat tum etiam. Ad eam erat *Gnelf. 1.*—23 Tacitus varie legitur in *Mss.* et impressis. Quidam, Tace tu. Alii, Tacitus sis. Rursus alii, Tace sis. Malim, Tacedum. *West.* Tacitus sis, citus *Vet. Cod. Lind.* *West.* mavult Tacedum: sed nostrum [*Tacitus*] melius videtur. *Bip.* Tace sis ed. *Delph.*—24 Me ducier] Omnes præter *Bem.* libri scripti, et *Donatus,* me illoc deducier: quod et versui quadrat. *Fa.* Immo versui non quadrat: etsi, ut ad digitos sic satis quadraret, suspicio est illud cum eo a *Faërno* interpolatum. Omnes enim nostri et *vett. Edd. cum illo.* Recte: et lege ducier. *Bent.* Cum illo *R. Lind.* Illoc] *G. F.* ex *Pal. illo.* *Perl.* Cum illo *Br. Both. Bip. Perl.* Ut pro illo *Both.* quod dicit legere *edd. vett.* et vulgato censet fortius. Illoc ducier *Bent. Both. Perl.* Illoc ded. *Br. Z.*—25 A *vett. Edd.* et novem ex codicibus nostris abest ut: ergo aliam sedem olim habuit, Quid ut ex ea re tandem c. c. *Bent.* Ut ferri potest. *Bip.* *Lect. Bent.* dant *Both. Perl.* Quid tandem ex ea re ut ed. *Delph.* Capies, omissio ut, *Gnelf. 2.*—26 Lege quicum. *Bent.* Id dat *Both.* Essemque *Gnelf. 1.*—27 Lege, ut recte olim *Palmerius,* aut prava. *Bent.* Aut prava verissime *Bent.* legit. *R. D.* Aut prava placeret, si re-

Delph. et Var. Clas.

Terent.

2 G

Illa illico ubi me accepit, læta vero ad se abducit domum :
Commendat virginem. AN. Cui ? tibine ? CH. Mihi. AN.
Satis tuo tamen.

CH. Edicit, ne vir quisquam ad eam adeat : et mihi ne abscedam, imperat : 30

In interiore parte ut maneam solus cum sola : annuo,
Terram intuens modeste. AN. Miser ! CH. Ego, inquit,
ad cœnam hinc eo.

Abducit secum ancillas : pauca, quæ circum illam essent,
manent,

Noviciæ puellæ : continuo hæc adornant, ut lavet.

Adhortor, properent : dum apparatus, virgo in conclavi
sedet, 35

Suspectans tabulam quandam pictam, ubi inerat pictura
hæc : Jovem

Quo pacto Danaæ misisse aiunt quondam in gremium im-
brem aureum.

primum me accepit, libens vero et hilaris illa me introduxit domum, commendat custodiam virginis. AN. Cui ? tibine ? CH. Mihi. AN. Satis vero tutori fido scilicet. CH. Imperat ne vir quisquam accedat, et mihi ne ab ea discedam imperat, ut in interiore ædium parte remaneam solus cum sola. Nutu promitto modeste, defixis in terram oculis. AN. Miser, qui pro libidine explenda tam indigna tuleris. CH. Ego, inquit Thais, ad cœnam Militis hinc eo. Abducit secum ancillas quæ se comitentur : pauca, quæ virgini adsint, domi restant, omnes recens emtæ, et ad servitium parum aptæ : confestim apparant balnea, ut virgo lavet. Dum adornantur necessaria ad lotionem, virgo in conclavi sedet suspiciens attente tabulam pictam, parieti appensam ; cujus pictura repræsentabatur Jupiter, quo modo dicitur infudisse



ferre liceat ad illud ' quid...ut.' Bip. Hoc dant Both. Perl.—28 *Deducit M. West. Accipit, vero, læta Both.*—29 *Satis tuto tamen.* Si per Codd. liceret, tribuerem hæc Chæreæ. Certe optime coherent cum proxime sequentibus. *West.*—32 *Miser !* Qui Chæreæ hanc vocem tribuunt, multum gratiæ ei adimunt. *Id.*—34 *Hæ Pall. 1. 2. Lavent Par. Mss. Perl. Hæ Br. Noviciæ, puellæ Z. Bip.*—35 *Adh. ut Br. GM.*—36 *Bæcl. eumque secuti plures, ibi inerat.* Quomodo est in uno *Leid.* Ast τὸ ubi vincit numero *Mss.* et editorum probatissimorum, videturque omnino elegantius. *West. Vett. Edd.* et ex nostris libris octo, ubi *inerat.* Quod melius. *Beut.*—37 Non necesse

NOTE

34 *Hæc adornant, ut lavet*] 'Hæc,' separatio in ædibus ; sic dictus, pro, hæ, ἀρχαῖκῶς. Antiquis moris quod intra eum multa cubicula clauderentur, ut singulis diebus lavarent : hinc 8^r sint.

35 *In conclavi*] Conclave est locus de imbre aureo Danaës in hoc com-

Egomet quoque id spectare cœpi, et, quia consimilem
 luserat
 Jam olim ille ludum, impendio magis animus gaudebat
 mihi;
 Deum sese in hominem convertisse, atque in alienas tegu-
 las 40
 Venisse clanculum per impluvium, fucum factum mulieri.
 At quem Deum? qui templa cœli summa sonitu concutit.

auream pluviam in sinum Danaës. Egomet quoque id contemplatus sum. Et, quia consimili ludo se oblectaverat, multo magis animo gaudebam, videns Deum se in hominem transformasse, atque in tecta aliena furtim per impluvium descendisse, ut mulierem falleret. At quem Deum? Eum nempe, qui cælum tonitru commovet et

cum G. F. *ninxisse* tueri, vel cum Palmerio *nisisse* aut *ninsisse*. West. *Danem iniisse* Hel. i. e. ni fallor, *Danaë immisse*, vetuste. *Danaës* dedi ex B, C, cum vulgo pessime legatur *Danaë*, vel secundum Bentleium *Danaæ*, quod ferri potest. C etiam se præbet post *misisse*. Bothius. Q. p. *Danaæ* [nam, quod est in Z. *Danaë*, videtur esse error typos.] *misisse*] Ita omnes scripti ac vulgati libb. nec aliter ab Augustino adducitur hic locus, VII. 2. De Civ. Dei. Lind. *Danaë* Br. Z. Dat Both. Quo *Danaës* pacto in grem. quond. *immissis imb. aiunt aur.*—39 Theod. Marcellinus ad Catull. Epigr. LIX. in Nostro legit, *impedio magis magisque*. West.—40. 41 Ms. Lips. *et per alienas tegulas*. Guy. *placebat, et per ahenas tegulas*. Omnis vero vis est in τῶ *alienas*. Durior Guyeto videtur repetitio τῶ *per*, si legas, *per tegulas, per impluvium*. Legit igitur, in *impluvium*, citatque Plautum. Ego vero Plautum Plauto oppono. *Item. Per alienas tegulas* G. ET. EM. *Id. in Add. Venisse clanculum*] Nisi legas *clam*, metrum non constat. Er. Ex Bem. et Vi. lego, *atque in alias*. Fa. Scripsit, opinor, Auctor vel *Deum sese in aurum, vel in metallum, vel, ut Flaccus, in pretium*. Porro duo libri Faërii cum Donato, *atque in alienas tegulas*: Nostri vero *et per alienas tegulas*. Omnino melius. Locum totum sic constituo: *Deum sese in pretium convertisse, et per alienas tegulas Venisse clanculum: per pluviam fucum factum mulieri*. Bent. *Et in alienas* R. Lind. *In hominem*] Atqui Jupiter non se in hominem convertit, sed in aurum. Bent. igitur audaci conjectura legit: *in pretium*. Sed Oudendorp. ad Suet. Cæs. c. 1. vulgatam lect. sic defendit, ut hominem capiat pro, affectum humanum. Hoc sensu Jupiter humanum ingenium sibi induit. Sic 'pater' dicitur pro animo paterno, 'mater' pro materno. R. D. Bent. licentius, ut solet, hæc mutat. *Per al. teg.* minus aptum videtur, nisi pro tecto s. domo accipias. Bip. *Et per al.* Br. Both. qui dat se pro *sese*.—42 *Summo EP. West.* Non

NOTÆ

posita est, ut monstraretur nihil esse, quod auro et pecunia expugnari non possit. Meminit ejusdem Ovidius lib. IV. Metamorphoseon, et Horatius Ode 16. libri tertii.

41 *Venisse clanculum per impluvium*] Impluvium fuit area sine tecto, quo impluere imber in domum posset.

Fucum factum mulieri] Fucus est genus herbæ tingendis lanis utile: unde pro artificioso et adulterino colore sumitur. Fucum facere, est artificiosa dissimulatione deludere et fallere.

42 *Qui templa cæli*] Versus sunt Ennii.

Ego homuncio hoc non facerem? ego illud vero ita feci, ac lubens.

Dum hæc mecum reputo, arcessitur lavatum interea virgo: It, lavit, redit: deinde eam in lectum illæ collocant. 45 Sto expectans, si quid mihi imperent. Venit una: Heus tu, inquit, Dore,

trimesfacit. Si ille hæc fecit, quomodo ego homunculus non eadem facerem? Ego vero illum in hoc et libenter imitatus sum. Dum hæc ego quod me cogito, vocatur virgo ad balneum interim; it, lavit, redit: deinde illam ancillæ in lecto posuerunt. Sto expectans, si quod mihi dent negotium: venit una ex eis: Heus tu, inquit,



muto. Tamen vide annon elegantius sic dedisset, *nutu concutit*. Bent. Bentleio magis placet *nutu*. Sed *sonitus* capiendum pro tonitru. R. D. —43 Pace eruditorum dixerim, τὸ ita mihi videri otiose παρέλκειν, neque habere, quo referatur. Neque aliter ediderunt Aldus et Heinsius. Mss. variant. West. Testatur P. Victorius ad Cic. Fam. iv. 7. Angelum Politianum ex Bem. legisse *homuncio*. Sed et ipse legit ibi ex cod. Mediceo *homunculi*. Id. in Add. Illud *feci* ineptum est, ut et T. Faber vidit. Faber ita *faciam*: vir eruditus, ita *fecerim*: nenter tamen alia hic menda snodoratus est. Illud ita *fecerim*: Quo quæso pertinet ita? an, ut per tegulas deflueret Jovis exemplo? Nimirum, ubi primum *feci* in textum irrepit, ita in versus subsidium addiderunt; quod tamen a Pet. abest. Sex ex nostris codices *ego vero illud*, non *ego illud vero*. Repono: *Ego homuncio hoc non fecerim? ego vero illud fecerim ac lubens*. Bent. Hic versus est verissima Bentleii emendatione legendus. R. D. Arg. vetus legit *ego vero id ita*; unde suspicamur *id ita* ortum esse ex *illud*: sic scribebant 'illud.' Vulneri mala imponit nova Bentleius. Nos illud *facerem* non tentamus: sed *pro feci ac legimus faxim*. Bip. quæ dat *ego vero illud faxim lubens*. Dat Bothius *hoc non faxim? ego illud vero item feci, ac lubens*. Ed. Delph. *ego vero illud feci*. Non mutat Perl. nisi quod dat *fecerim pro facerem*; monet Gneff. I. 3. legere *facerem*, et 2. *istud*.—44 *Interea it* Gneff. I. Accersitur Br. Bent.—45 *Deinde*, &c. ita edidi ob metrum, accedente auctoritate Donati, et quorundam Mss. et EP. Quanquam mira in his verbis varietas Librorum. Sunt qui *in lecto* habent; sunt item, qui *in lectulo*. In quibusdam est *collocarunt*. West. Gifanius in Ind. Lucret. v. In, tuetur *in lecto collocant*. Et in G. et ET. est *Deinde eam in lecto ille collocant*. Id. in Add. O. l. s. et Do. pro *illam, eam* habent: libri vero antiqui omnes fere, et cum iis Do. *collocarunt*. Sunt et aliquot libri, inter quos V. et duo alii antiqui, qui *in lectum* habent, et cum iis Donatus; Bem. pro *lecto illæ, lectulo* habet: quo tamen modo non potest versus procedere. Nos omnibus consideratis neque *in lecto*, neque *in lectum*, sed *in lectu*, antiqua declinatione legi posse arbitramur. Tamen legemus *in lectum*, ne ab antiqua lectione discedamus: *It, lavit, redit, deinde eam in lectum illæ collocarunt*. Fa. Recte hæc: nisi quod versum male disponat, notante etiam viro docto: *virgo: it, Lavit, redit, deinde eam*. Lege, ut nostri qui vetustiores sunt scribunt, *It, una tamen syllaba: Iit, lavit, rediit; deinde eam in lectum illæ collocarunt*. Bent. *Iit, lavit R. Lind. Eam* melius quam *illam*. Bip. *Iit et rediit* Br. Both. qui dat *in lectum eam*. *Collocarunt Z. Bip. Both.*—46 *Spectans M.*

NOTÆ

45 *In lectum collocant*] A balneis in se reficerent a lassitudine et sudore. lectum se recipere moris erat, ut

Cape hoc flabellum, et ventulum huic sic facito, dum lavamus :

Ubi nos laverimus, si voles, lavato. Accipio tristis.

AN. Tum equidem istuc os tuum impudens videre nimium vellem ;

Qui esset status, flabellum tenere te asinum tantum. 50

CH. Vix elocuta 'st hoc, foras simul omnes proruunt se :

Abeunt lavatum : perstrepunt, ita ut fit, domini ubi absunt.

Interea somnus virginem opprimit : ego limis specto,

Sic per flabellum clanculum ; simul alia circumspecto,

Satin' explorata sint. Video esse : pessulum ostio obdo. 55

AN. Quid tum ? CH. Quid ? quid tum ? fatue. AN. Fa-

teor. CH. An ego occasionem

Dore, sume hoc flabellum, et sic ventulum huic excitato, dum lavamus : ubi a balneo redierimus, si voles, lavato. Accipio in manus flabellum, simulans me tristem esse. AN. Tunc profecto istam faciem tuam impudentem cupevem me vidisse, quis esset habitus tui corporis, quando flatum virgini tu tam magnus asinus flabello faciebas. CH. Vix ancilla hæc mihi dixerat, cum omnes foras prorumpunt, abeunt lavatum, ingentem strepitum edunt, ut solent servi facere, absentibus dominis. Interea somno virgo sopitur ; ego transversis et obliquis oculis per flabellum studiose intueor, et simul omnia circumspicio, satisne tuta sint : video tuta esse. Pessulum ostio oppono. AN. Quid tum factum est ? CH. Quid tum factum quæris, stulte ? AN. Fateor me stultum esse qui hæc quæsierim. CH. An ego amator occasionem mihi oblatam

//////////

West.—47 Donatum legisse lavamur, discas ex ejus verbis. Et ita St. edidit. Variant Mss. In Ms. Lips. τδ s mutatum in r. In M. absunt voces, sic, et, lavamus. Idem. Et non est in Bem. et Vi. quæ et majore gratia abest. Dum lavamur Do. et iidem libri. Fa. Immo retine et cum nostris omnibus et Edd. vett. Bent. Et omittit Z. Lavamur Both. Perl.—49 Tum quidem heue Hel. Vulgo equidem, male eliso adverbio. Both.—50 Guy. jubet flabellulum nos legere. Sed et ita legit Antesignanus. West. Quis esset status, flabellum] Hic versus nulla ratione stare potest, nisi legas flabellulum. Sane Bem. et Bas. habent, Qui esset. Fa. Flabellum dedit Faërnus, credo, typographi incuria : etsi codices nostri, flabellum. Guy. in scripto invenit flabellulum, ut exigit versus. Bent. Flabellulum poscit metrum. Bip. Nostri scripti Quis, minus bene. Both. qui dat Qui status erat, et flabellulum, quod dant Perl. Both. Delph.—51 M. hæc. Ms. Lips. proruunt, ita ut fit, ubi domini absunt, omissis intermediis. West.—53 Aspecto M. G. ET. EM. Id. Ex Bem. et aliis antiquis, ac ratione versus, specto legendum. Fa. Media fere pars nostrorum, specto. Bent. Aspecto Br. L. s. oculis Guelf. 1.—54 Et simul] Et non est in Bem. nec Bas. quæ adeo non necessaria est, ut et cum gratia absit. Fa. Vix unus et alter ex nostris et habent. Bent. Alia loca Guelf. 2.—56 Quid ? quid tum ? fatue] Ita Junt. Fa. alii. Melanchthon edidit, Quid tum ? fatue. Sed et Aldus cum St. Et sunt plusculi Mss. et editi vetustissimi, in quibus τδ quid non geni-

NOTÆ

55 Pessulum ostio obdo] Pessulus est obex, aut sera ferrea, qua clauditur ostium.

Mihi ostentatam, tantam, tam brevem, tam optatam, tam
insperatam,

Amitterem? tum pol ego is essem vere, qui simulabar.

AN. Sane hercle ut dicis: sed interim de symbolis quid
actum est?

CH. Paratum est. AN. Frugi es. Ubi? domin'? CH.
Immo apud libertum Discum. 60

AN. Perlonge 'st: sed tanto ocyus properemus: muta ves-
tem.

*et propositam, tam celeriter fugientem, tam desideratam, tam in expectatam elabi
sinerem? Tum per Pollucem talis ego vere fuisset, qualis est Eunuchus, quem simu-
labam.* AN. *Certe per Herculem ita est, ut dicis: sed interea de symbolis, quibus
colligendis praefectus es, quid egisti?* CH. *Parata est caena.* AN. *Officiosus et
bonae frugi es. Ubi? domine?* CH. *Immo apud libertum Discum.* AN. *Procul
hinc distat.* CH. *Sed tanto magis idcirco acceleremus.* AN. *Muta vestem.* CH.

natur. West. *Quid tum fatue*] Antiqui libri bis habent *quid*; quæ particula
geminata necessaria et versui videtur et sensui. Lege ergo hoc modo: *Quid,
quid tum? fatue.* Fa. Et nostri plerique omnes, *Quid, quid tum?* sed corri-
gendum, *Quid tum? quid?* Repetitio hoc postulat. Bcnt. Bent. pro lubitu
quid tum? quid. Bip. Medium *quid* abest B, H&I. Both. qui dat AN. *Quid
tum? quid tum?* CH. *Quid, fatue?* Benteium sequitur Perl. *Egon' pro
An ego* ed. Delph.—57 *Tantum*] In præstantissimis edd. Junt. St. Frobenii,
aliis, hæc vox ommissa. Nec adeo metrum videtur admittere, ni legas, *osten-
tam.* Ms. Lips. agnoscit. West. *Mihi ostentatam, tam brevem*] Post *ostentatam*
Donatus et omnes l. s. præter Bem. habent *tantum.* Versus autem stat, si
legas *ostentam*, ut et in aliquibus libris est. Legendum ergo est, *Mihi os-
tentam, tantam, tam brevem.* Fa. Melior pars nostrorum *tantum*: quæ vera
lectio est. Servius ad Georg. I. 248. 'Ab Ostendor veteres participium
Ostentus, non Ostensus dicebant. Terentius in Eun. 'An ego occasionem
Mihî ostentatam tam brevem.' Similiter et illud in Phorm. (v. 4. 7.) 'Ne-
que me domum nunc reciperem, nisi mi esset spes ostentata Hujusce habenda.'
Sic hodie fertur: sed ex re ipsa apparet Servium ipsum legisse *osten-
tam*] et *ostenta.* Bent. Omittimus *Mihî s. Mi*, quo metrum impeditur: et
præferimus *ostentam*, quod et Serv. voluisse videtur. Bip. *Ostentam* Bent.
Both. Perl.—58 *Assimulabar* Ms. Lips. et EP. West. *Vere*] Non mihi dis-
plicet hæc lectio; ea tamen videtur antiquior, quæ est in Bem. *vero.* Aliqui
libri, qui *simulabar*: Bem. et Vi. *simulabar.* Fa. Ex duobus illis Faërnus
edidit qui *simulabar.* Unus tantum ex nostris sic habet: tres *cui assimu-
labar*: ceteri qui *assimulabar.* Hoc placet. Bent. *Vero* Bent. Perl. *Assimu-
labar* Br. Bent. Both. Perl.—61 Mss. quidam et editi vetustissimi: AN.
Perlonge est. CH. *Sed tanto ocyus properemus.* AN. *Muta vestem.* Tr. AN.
Perlonge est; AN. *sed tanto ocyus muta vestem.* West. Benteius verba 'sed
tanto ocyus properemus' Chærea tribuit, cetera Antiphoni. Nou male.

NOTE

60 *Apud libertum Discum*] Athenis servis quidem licebat, ut refert Iso-
crates.
peregriinis et iter facientibus, ne

CH. Ubi mutem? perii: nam domo exulo nunc: metuo fratrem,

Ne intus sit; porro autem, pater ne rure redierit jam.

AN. Eamus ad me: ibi proximum est, ubi mutes. CH. Recte dicis.

Eamus; et de istac simul, quo pacto porro possim 65
Potiri, consilium volo capere una tecum. AN. Fiat.

Ubi mutem? perii: nam domo exclusus sum nunc, similis exuli: metuo ne frater sit in adibus, tum etiam ne pater e villa jam reversus sit. AN. Eamus in domum meam; ibi est, ubi commode aliam vestem sumere possis. CH. Recte dicis, eamus: quin etiam deliberare tecum volo de ista puella, quomodo ea postea frui possim. AN. Fiat ut tibi videtur.

~~~~~

Zeun. Ita faciunt et Bip. et Perl. *Immuta* Guelf. 3.—62. 63 *A rure* G. EM. *West.* Repone: *Ubi mutem? perii: nam exulo domo nunc: metuo fratrem, Ne intus sit: porro autem patrem, ne rure redierit jam.* Bent. *Exulo domo* Both. Perl. *Dat Br. n. d. exulo. Nunc m. f.—64 Ubi . . . ibi* Guelf. 1.

#### NOTÆ

64 *Ibi proximum est*] Id est, proximum mutare possis.  
mus locus domus nostra est, ubi ves-

=====

### ACTUS IV. SCENA I.

DORIAS.

ITA me Di bene ament, quantum ego illum vidi, nonnihil timeo misera,

Ne quam ille hodie insanus turbam faciat, aut vim Thaidi.  
Nam, postquam iste advenit Chremes adolescens, frater virginis,

*Do. Ita mihi Dii sint propitii, quantum ex vultu Militis perspicere potui, metuo nonnihil misera ego, ne furiosus ille rixam aliquam aut vim faciat Thaidi. Nam, postquam iste adolescens Chremes, frater virginis Pamphile, advenit, Thais Militem*

~~~~~

1 Bem. M. ET. EM. *Di ament.* Nec metri ratio videtur admittere τὸ bene; quanquam est in Libris plerisque omnibus. *West.* In contextu Bembini et in aliis plerisque l. s. Terentii, et Donati, non est bene. Fa. Tres ex nostris cum Edd. vett. non habent bene. Bent. Contra metrum et bonos codd. al. inserunt bene. Bip. Id rejiciunt Bent. Both. Perl. 'Misera' tradit ed. Delph. in versum 2.—3 Codex Academicus et ex Mcadianis alter non habent

Militem rogat, ut illum admitti jubeat: ille continuo irasci;
Neque negare audere: Thais porro instare, ut hominem
invitet. 5

Id faciebat retinendi illius causa: quia illa, quæ cupiebat
De sorore ejus indicare, ad eam rem tempus non erat.

Invitat tristis: mansit: ibi illa cum illo sermonem occipit.

Miles vero sibi putare adductum ante oculos æmulum:

Voluit facere contra huic ægre. Heus! inquit, puer, Pam-
philam 10

Arcesse, ut delectet hic nos. Illa exclamat, Minime gen-
tium:

In convivium illam? Miles tendere: inde ad jurgium.

rogat, ut illum in domum recipi jubeat; ille statim ira commotus est, neque tamen recusare ausus fuit. Thais præterea instat, ut hominem invitet ad cenam. Id faciebat Thais, ut Chremetem apud se retineret, quominus abiret; quia res illas, quas vehementer ei de sorore ipsius detegere volebat, indicandi tunc locus non erat. Miles illum invitat invitus, et tristi vultu: mansit adolescens retentus. Thais colloquium cum illo incipit. Miles vero, cum opinaretur a Thaide rivalem sibi ante oculos propositum esse, voluit vicissim facere aliquid, quod molestum esset Thaidi. Heus, inquit, puer, Pamphilam voca, ut lyra canens nos oblectet. Thais exclamabat: Minime omnium hoc licet: in convivium tu illam adduci jubeas? Miles vero id ut fieret contendere; inde ad jurgium ventum est. Interea aurum, annulos, torques,

//////////

Chremes. Et sane in textum ex interpretatione irrepsit. Repone, Nam postquam iste advenerat adulæscens frater virginis. Bent. Versus 3. 4. 5. 6. 7. 8. sic legit et diminutos in tres redigit Bothius: N. p. i. a. C. rogat Militem, illum admitti Ut jubeat; is continuo irasci, neque negare audere; Hæc porro instare; invitat tristis; mansit; sermonem occipit. 'Istis laciniis excussis,' ait audaci voce, 'vide quam tersus atque elegans sit locus.'—4 Illum adm. ut j. et irasci, neque Negare ed. Delph. Alteram variationem exhibet Bip. Eum pro illum Guelf. 2. 3.—6 'Id' rejiciunt Both. Delph. ad vs. 5.—7 Erat] Pal. 3. aptum. Perl.—8 Ms. Lips. mansit ibi. M. sermonem illico occipit. Junt. illico, omisso occipit. Ms. Lips. incipit: quod et est in tribus Leidd. totidem Pall. teste Pareo, V. C. Lindenbruchii, et EP. West. Sermonem illico incipit G. EM. Illico occipit ET. Id. in Add. Invitat tristis mansit ibi: illa cum illo sermonem illico] Omnes libri præter Bem. habent sermonem incipit. Do. vero, sermonem occipit. Itaque Stephanus impressit. Ego ita legendum, itaque distinguendum puto, Invitat tristis: mansit: ibi illa cum illo sermonem occipit. Fa. Unus tantum ex nostris cum Donato et Edd. vett. occipit; ceteri incipit. Utrumvis probe, nec hilum interest. Spondeo me tibi veram Terentii manum restitutum: 'Invitatust: mansit: ibi illa cum illo sermonem occipit. Bent. Non pungunt post 'mansit,' sed post 'ibi' Br. Guelf. 1. 2. Incipit Br. Guelf. 3. Sermonem incipit illico 1.—9. 10 Utrumque versum sic refinge: Miles vero, sibi putans adductum ante oculos æmulum, Voluit facere contra huic ægre: Heus, inquit, puer, i, Pamphilam Accerse. Bent. Legi Bent. vult puer, i, Pamph. non male. Zeun. Nisi legas puere non constat versus. Er. Both. legit M. v. add. sibi putans an. oc. æm. Huic con. vol. ag. facere: Heus, inquit, puere, Pamph.—11 Hic delectet nos! Hæc clamat Both. Accerse Br. Bent. ut solet.—12 Tun' in convivium alii, Westerhovius. Tendere]

Interea aurum sibi clam mulier demit; dat mihi ut aufe-
ram.

Hoc est signi; ubi primum poterit, se illinc subducet, scio.

*armillas, ceteraque ornamenta aurea sibi Thais occulte demit; dat mihi ut ex-
portem: hoc est indicium unde scio, illam, ubi primum poterit, clanculum inde
discessuram.*

GM. sup. script. 'contendit ut adduceretur.' Si quis est, qui hæc nitatur
explicatione, ille post 'tendere' distinguere debet; id quod faciunt non
pauci. Sed præstat conjungere. *Perl.* Conjungunt Bent. Z. Bip. Both.
Inde adjurgium Br.—13 *Clam sibi* Both.—14 Unus Leid. *signum*, quod post
mutatum in *signi*. Gnyeto in Scholiis Mss. τὸ *signi* 'lic nullius pretii est.'
Substituit igitur *scin'*. Sed, præterquam quod auctoritate Codicum destituitur,
perperam eidem personæ tribuitur *scin'* et *scio*. EP. *potuerit*. Non-
nius v. Subducere, legit *illi*. Et forte eo respexit Thraso, infra iv. 7. 25.
'Et cum eo clam te subduxi mihi.' In aliis est *illico*. West. *Signum* ET.
EM. *Id. in Add.* Sese ed. Delph.

NOTÆ

12 *In convivium illam*] In Græcia aures Veneris vocabulis imbui nolue-
non admittebantur ingenuæ mulieres rant.'
ad convivia, nisi propinquorum et 13 *Interea aurum sibi clam mulier de-*
cognatorum, ut Cornelius Nepos re- mit] Id agebat Thais, ne pro puella
fert. Varro apud Nonium sic refert: data ipsam spoliaret Miles, si ei repe-
'Virgo de convivio abdicatur, ideo tenti virginem negasset.

quod majores nostri virginis acerbas

ACTUS IV. SCENA II.

PHÆDRIA.

DUM rus eo, cœpi egomet mecum inter vias,
Ita ut fit, ubi quid in animo est molestiæ,
Aliam rem ex alia cogitare, et ea omnia in
Pejorem partem. Quid opus est verbis? dum hæc puto,

PH. *Dum in villam eo, cœpi egomet (ut solent qui aliqua ægritudine animi agi-
tantur) inter eundem de alia re super alia cogitare, et ea omnia in deteriorem
partem interpretari. Quid plura dicam? dum hæc cogito, aliud agens, locum*

2 *Ubi quid in animo est molestiæ* magis Terentiana phrasis, quam altera
illa Pareo landata, *ubi quid animum est molestia*: i. e. edit. West. Par. ed.
ex lib. Stanæi *ubi quid animum est molestiæ*. *Perl.*—3 *Ex alia re* in quibusd.
codd. est. West. Magis ex consuetudine Terentii est, si sic refingis: *et ea
omnia Pejorem in partem*. Bent. Obsequitur Both.—4 Ms. Lips. *reputo*. Ita

Præterii imprudens villam : longe jam abieram, 5
 Cum sensi : redeo rursum, male vero me habens.
 Ubi ad ipsum veni diverticulum, constiti.
 Occepi mecum cogitare : Hem ! biduum hic
 Manendum est soli sine illa ? quid tum postea ?
 Nihil est : quid ? nihil ? si non tangendi copia 'st, 10
 Eho, ne videndi quidem erit ? si illud non licet,
 Saltem hoc licebit. Certe extrema linea
 Amare haud nihil est. Villam prætereo sciens.
 Sed quid hoc, quod timida subito egreditur Pythias ?

prædii transivi. Longe jam ab eo processeram, cum errorem animadverti. Isthuc regressus sum, male quidem me habens. Ubi veni ad semitam diverticulum, qua a via publica deflectitur ad villam, ibi restiti. Tunc cæpi mecum cogitare : Hem, num per duos dies commorandum est mihi hic ruri, soli, sine Thaide ? Quid tum inde mihi erit ? nihil. Quid ? nihil ? Si non tangendi est potestas, eho, anne saltem videndi erit ? Si tangere non licet, videre eam quidem licebit. Certe postremum amoris beneficium quippiam est. Villam prætereo sciens ad urbem rediturus, ut imprudens eam antea præterieram ; verum quid causæ est, cur subito huc exit Pythias turbata metu ?



et EP. et Mss. omnes Bæcleri ; tum Ms. Lindenbruchii, Pal. unus, G. et EM. West. Pej. p.] Vetus interpret vertere : quæ lect. est Msti Pal. 3. Perl. Est delet Both. Reputo Br. Guelf. 1. 3.—5 Ita præstantissimæ editiones, Junt. St. Aldi, et his multis partibus vetustiores ET. Venetæ, Argentinæ, aliæ exhibent ; itaque recensuerunt Antesignanus, Heinsius cum reliquo eruditorum choro. Neque aliter in Mss. Unus tamen D. Hoogstratanus seorsim sentiens, *Longe hinc abieram*, edidit. In uno Leid. est *abieram*, sed erasa litera *i*. West.—6 *Male quidem me* EP. Id. *Male vero me*] Melius ex Regiis unus, *male me vero*. Bent. Sequitur Both. *Sursum* ed. Delph. 1731.—7 *Devert.* in codd. vetustis : quod Burm. ad Petron. cap. 10. tuetur. West. Tres antiquissimi libri, *deverti*. Fa. Codex Academicus *venio*, ut prius 'redeo.' Et versus fit suavior. Bent. *Devert.* Bent. Perl. *Deverticulum* Both. *Venio* Both. et Perl. qui monet *veni* legere Guelf. 1.—8 *Hoc cæpi* Guelf. 1.—9 *Quid tum ? Postea Nihil* Br.—10 Non interrogant post 'quid' Br. Bip. *Fangendi* Pal. 2. *Tangendi si non* Both.—11 *Potest* al. Perl. *Potest* A et Hel. Vulgo *licet*, minus eloquenter. Both.—13 EP. *Amoris* : quod et in duobus Mss. Bæcleri erat. West. Sic Br.—14 *Sed quid hoc est quod*] Deleto verbo *est*, quod non est in Bem. senarius procedit. Fa. *Quid hoc est* et *timida* Br. *Sed q. h. est qui tim.* Guelf. 1. Est post 'hoë,' et quid pro quod 2.

NOTÆ

7 *Ad ipsum diverticulum*] Diverticulum est semita deflectens a via publica ad villam alienjns. Diverticula sunt transversæ viæ.

12 *Extrema linea Amare*] Metaphora ducta a Circo, vel a Stadio ; nam initium, et locus, unde ii, qui cursu certant, emittuntur, signabantur li-

nea, ex creta in solo ducta. Hinc illæ loquendi formulæ ; ad lineam stare, lineæ insistere, et ultra lineam vagari. Extrema linea amare est tantum videre amicam, et longe abesse a meta, id est, ab ejus possessione.

ACTUS IV. SCENA III.

PYTHIAS. PHÆDRIA. DORIAS.

PY. UBI ego illum scelerosum, misera, atque impium inveniam? aut ubi quæram?

Hocine tam audax facinus facere esse ausum? PH. Perii! hoc quid sit vereor.

PY. Quin etiam insuper scelus, postquam ludificatus est virginem,

Vestem omnem miseræ discidit; tum ipsam capillo conscidit.

PH. Hem! PY. Qui nunc si detur mihi, 5
Ut ego unguibus facile illi in oculos involem venefico!

PH. Nescio, quid profecto absente nobis turbatum 'st domi.

Adibo. Quid istuc? quid festinas? aut quem quæris, Pythias?

PY. Ubinam ego infelix illum flagitiosum et sacrilegum Eunuchum deprehendam? Aut ubi investigabo? Hocine tam temerarium facinus committere ausus est? PH. Perii! quid hoc sit, quod Pythias queritur, metuo. PY. Quin etiam amplius sceleratus, postquam per ludum et jocum virginem fecellit, omnem vestitum miseræ discerpit, atque ipsi comas dirulsit. PH. Hem! PY. Quem ego si nunc tenerem, quam cito unguibus illi venefico in oculos irruerem? PH. Equidem nescio quid turburum, me absente, excitatum est domi. Accedam ad Pythiam. Quid istud est? Quid celeras? Aut post quem curris, Pythias? PY. Eheu, Phædria, ro-

//////////

1 Abest ego a GM. 'Quæram' trudent Bip. Delph. in versum 2.—2 Perii] Hæc vox in Leidd. omnibus, Tr. Lips. G. sed et editis quibusdam vetustissimis etiam Pythiæ tribuitur. Quam lect. ex Mss. suis laudant G. F. et Gov. non male. West. PH. Perii] Immo cum libb. fere omnibus et edd. vett. 'Perii' Pythiæ donandum est. Bent. 'Perii' Pythiæ donand. est. Itid. in GC. invenio. Perl. Sic donant Br. Bip. Both.—3 Scelus insuper Both. qui est omittit. Insuper etiam ed. Delph.—4 Lect. mendosam et non ferendam pronuntiat Guyetus, substituens, ipsom capillom. Ms. Lips. capillo discidit. Tum ipsam capillo conscidit, pro, tum ipsi capillum conse. Donatus etiam lect. vulg. laudat. West. Bent. edidit miseræ, quod minus plaret. Zcun. Misere Guelf. 1. Capillos Both.—6 Unguibus] Edit. add. facile, superscriptum recenti ut videtur manu. Bruns. Unguibus ut in oculos facile ego Both. deleto illi. In oculis J. et Venetus cod. Abest ego a Guelf. 3.—7 Profecto nescio

NOTÆ

4 Vestem omnem miseræ discidit] luctatam esse.
Ex his apparet virginem multum re-

PY. Ehem, Phædria, egon' ? quem quæram ? abi hinc, quo dignus, cum donis tuis

Tam lepidis. PH. Quid istuc est rei ? 10

PY. Rogas me ? Eunuchum quem dedisti nobis quas turbas dedit !

Virginem, quam heræ dono dederat Miles, vitiavit. PH. Quid ais !

PY. Perii. PH. Temulenta es. PY. Utinam sic sient, qui mihi male volunt !

Do. Au, obsecro, mea Pythias, quid istucnam monstri fuit ?

gasne post quem curram ? Apage hinc te, quo meritus es, cum donis tuis tam venustis. PH. Quid istud est rei ? PY. Quid a me quæris ? O quos tumultus Eunuchus, quem nobis donasti, quos motus edidit ! Virgini, quam Miles Thaidi heræ munus dederat, stuprum intulit. PH. Quid dicis ? PY. Perii. PH. Ebria es. PY. Utinam sic ebrii sint, qui mihi male cupiunt. Do. Hau ; anabo, mea Pythias,

//////////

quid ed. Delph.—9 Egon quem quæram ? abi hinc quo dignus es] In Bem. hæc antiqua est lectio, ut, pro *egon*, *ego* legatur, ut et in aliquot aliis libris : pro *abi hinc*, *in hinc* : quam lect. liber quoque Vaticanus, licet abraza *n*, ex *in*, confirmat : item Vi. in quo est, *ii nunc* : in aliquibus aliis est *i hinc*. Est autem hic hæc particula *in*, ex duabus concreta, 'is,' et 'ne,' ut 'abin,' ex 'abis' et 'ne.' Sane in Bem. non est verbum *es*, quo demito versus hos sic ordinamus : *Hem Phædria ego quem quæram ? in hinc quo dignus cum donis tuis Tam lepidis ?* Fa. Meliores nostri *i hinc* ; unus *ii hinc* ; ceteri cum Edd. vett. *abi hinc*. Et pro *lepidis* perperam *inlepidis*. Bent. qui legit *ego q. quæram ? in' h. q. dignus cum d. t.* Perl. dat *ego q. quæram ? abi hinc quo dignus cum d. t.* et monet rogas legere Guelf. 3. ante 'quem,' et 1. *dignus es*. Z. *ego q. q. i hinc, quo dignus, c. d. t.* Bip. *egon' q. q. abi hinc, quo dignu' es c. d. t.* Both. *egon' q. q. in' hinc, quo dignus, c. d. t.* Br. *egon, q. q. Ihinc, quo dignus es, c. d. t.*—10 Ms. Lips. G. EP. ET. aliæque *illepidis*. West. Sic Br. Guelf. 1.—11 Pet. *Rogasne ?* Repone *Rogan ?* Bent. *Rogan' Both.* Perl.—12 *Dederat dono*] *Dono dederat* est in Bem. et Bas. Fa. Atqui, quod Edd. vett. et ex nostris unus et, ut videtur, plerique Faëni habent *dederat dono*, magis placet. Bent. *Heræ donavit miles Both.*—13 *Sic sint, qui mihi male*] Rectius legas : *sic sint, mihi qui male*. Bent. Sequuntur Both. Perl. *Sint* Z. Bip.—14 Hunc versusum Gny. nothum vocat, ob lectionis varietatem scilicet. Quasi vero non varient lectiones in sexcentis aliis, quæ tamen nemo temere suspecta habuerit, ne ipse Gnyetus quidem. West. Antiquissima lectio ex Bem. *quod istuc nam monstrum fuit ?* Habet et Bas. *quod istuc*. Fa. Duo quoque ex nostris veterimi *quod*. Ceteri *quid monstri*. Bent. *Quod istuc nam monstrum* Bent.

NOTE

11 *Eunuchum quem dedisti nobis, quas turbas dedit*] Antecedens etiam a Poëtis præmittitur relativo, ut in hoc loco. Sic Virgilius in 1. Æneidos :

'Urbem quam statuo, vestra est.' Quod in prosa sic efferas : Quam statuo urbem. Sic Orator dicat : Quas ad me dedisti literas, placuerunt.

PH. Insanis : qui istuc facere Eunuchus potuit? PY. Ego illum nescio 15

Qui fuerit : hoc, quod fecit, res ipsa indicat.

Virgo ipsa lacrymat, neque, cum rogites quid sit, audet dicere.

Ille autem bonus vir nusquam apparet : etiam hoc misera suspicor,

Aliquid domo abeuntem abstulisse. PH. Nequeo mirari satis,

Quo ille abire ignavus possit longius ; nisi si domum 20

Forte ad nos rediit. PY. Vise amabo, num sit. PH. Jam faxo scies.

Do. Perii ! obsecro tam infandum facinus, mea tu, ne audivi quidem.

PY. At pol ego amatores mulierum esse audieram eos maximos ;

ecquid istud monstri fuit? PH. Desipis ; quomodo istud facere Eunuchus potuit? PY. Ego nescio quis ille fuerit, an vir, aut Eunuchus? hoc, quod commisit, res ista manifestum facit. Virgo lacrymis conficitur, neque, cum interrogatur, audet dicere quid ei factum sit. Ille autem bonus vir disparuit, neque usquam invenitur. Insuper hoc ego misera suspicor, aliquid eum domo furto sustulisse. PH. Mirum admodum mihi videtur, quo ille enervis et debilis viribus tam longe fugere potuerit ; nisi forte domum sese receperit. PY. Vise, precor, num sit in vestris aedibus. PH. Mox faciam te certiorcm. Do. Perii. Oro, tu mea Pythias, tam horrendum facinus ne audivi quidem. PY. At pol ego audieram Eunuchos vehementer ardere

Perl. Pythia Guelf. 1.—15. 16 Sic editi ac scripti. Sic tamen repono : nescio : hoc, Quod fecit, res ipsa indicat. Bent. Qui f.] Lind. ed. Quid : non placet. Perl. *Ista Both. pro istuc.*—17 Post ‘lacrymat’ lacuna est in Br. usque ad Sc. 6. vs. 21.—18 Abest hoc a Guelf. 2. et misera a Bip.—20 Tres Leidd. nisi domum : quod si olim scriptum fuit, nisi domum, valebit, nisi si domum. G. ET. EM. posset. West. Lege, versus causa, Quo hinc ille abire. Bent. Hinc infert Bent. bene : quo ipsi quidem versus, mihi vero sensus expressior sit. Posset GM. Domi Guelf. 3. Perl. Quo ignavus ille abire Both. Abire ignavus ille et nisi domum ed. Delph.—21 Scias edd. omnes vetustiss. West. Redierit. Vise amabo, num ibi sit] In omnibus quotquot sunt libris, pro redierit est rediit : et pro num ibi sit, num sit : solus Bem. recenti manu superadditum habet, ibi : quae dictio nec necessaria est, nec a Donato ponitur. Fa. Nostri, uno excepto, omnes rediit. Redierit versus corruptit. Bent. Rediit] Sic Fa. ac Fabricio probatur ex Veneto. Perl. Vise] Al. vide, minus usitatum. Id. Scias Guelf. 2. 3.—22 Audisti M. West. Audisti vet. cod. Lind. Audieisti Guelf. 3. Post ‘obsecro’ maximum punctum dat Bip. Alii leve, aut admirationis signum.—23 At pol amatores audieram esse mulierum] Varie collocantur haec verba in libris scriptis : sed elegantius in Bem. At pol ego amatores mulierum esse audieram. Fa. Repono ex vet. Edd. et nostris omnibus : At pol ego amatores audieram mulierum esse. Bent. Sequitur

Sed nihil potesse : verum miseræ non in mentem venerat ;
 Nam illum aliquo conclusissem, neque illi commissem
 virginem. 25

amore mulierum, sed imbelles esse et impotentes; verum de hoc non cogitaveram; nam illum in aliquo loco conclusissem, si amatorem eum tantummodo esse meminisssem; neque illi virginem custodiendum dedissem.



Perl. *At mulierum pol ego amatores aud. esse Both.*—24 *Potesse legend. arbitrator. Er. Posse G. ET. West. Pr. legit potesse, ut et in plerisque antiquis libris est. In omnibus vero l. s. Donati est potuisse; corrupte quidem, sed tamen unde appareat, eum non posse legisse, sed potesse: quo quidem modo melius procedit octonarius. Fa. Nostri omnes potesse. Bent.*—25 *Conclusissem]* In omnibus libris legitur *conclusissem: nec sane hic necessaria est syncope. Fa. Recte hoc: et nostri quoque omnes conclusissem. Bent.*

ACTUS IV. SCENA IV.

PHÆDRIA. DORUS. PYTHIAS. DORIAS.

PH. EXI foras, sceleste! at etiam restitas,
 Fugitive? prodi, male conciliate. DO. Obsecro. PH. Oh!
 Illud vide; os ut sibi distorsit carnufex!
 Quid huc reditio 'st? quid vestis mutatio?

PH. *Egredere foras, scelerate! At etiam cessus, fugitive? huc procede, in damnum heri emte. DO. Obsecro. PH. Oh, vide ut turpiter os torsit scelestus. Quid huc rediisti? Quid vestem mutasti? Quid dicis? Pythias, si paulum tardassem,*



2 Par. 3. plenius *obsecro te ne savius, eho. Quod glossema olet. Perl. Vulgo Oh legitur pro Eho, quod est in A, B, reique convenit. C quoque Ehohe, Hel. Ah. Both. qui dat Eho, et id trudit in versum 3.—3 Lege ex uno nostro Illuc. Bent. Sequuntur Both. Perl. Vide, o Pythias Gvelf. 3.—4 Quid huc reditio]* Interponendum post 'huc' pronomen tibi, ut in Donato et Bem. est: *Quid huc tibi reditio'st.* Quod vero sequitur, *quid vestis mutatio est,* ab omnibus antiquis exemplaribus, præter Bembinum, abest verbum *est:* quod nec necessarium est. *Fa. Sic et codices nostri: sed lego, Quid, huc tibi reditios? vestis quid mutatiost? Bent. Quid red. est tibi? v. q. mutatio? Both. Quid huc tibi red. 'st? q. v. mutatio 'st? Perl. qui notat tibi abesse a*

NOTÆ

2 *Male conciliate]* Id est, in perniciem meam emte, magno emte, care comparate. Vetus Terentii Interpretatur. pres nundinas pro concilio exponit: unde 'conciliare' pro, emere, sumitur.

Quid narras? paulum si cessassem, Pythias, 5
Domi non offendissem: ita jam adornabat fugam.

Py. Habesne hominem, amabo? Ph. Quidni habeam?

Py. O factum bene!

Do. Istuc pol vero bene. Py. Ubi est? Ph. Rogitas?
non vides?

Py. Videam? obsecro quem? Ph. Hunc scilicet. Py.
Quis hic est homo?

Ph. Qui ad vos deductus hodie est. Py. Hunc oculis
suis 10

Nostrarum nunquam quisquam vidit, Phædria.

Ph. Non vidit? Py. An tu hunc credidisti esse, obsecro,
Ad nos deductum? Ph. Nam quem? alium habui nemi-
nem. Py. Au!

*domi illum non reperissem, ita jam paraverat fugam. Py. Quæso, habesne homi-
nem? Ph. Cur non habeam? Py. O factum bene. Do. Istud vero per Pollu-
cem factum bene. Py. Ubi est? Ph. Quid sapius quæris? Numquid eum vides?
Py. An videam? Obsecro, quis est ille, quem video? Ph. Vides Eunuchum quem
accusas. Py. Quis hic est homo? Ph. Quem hodie Parmeno ad vestras aedes
deduxit. Py. Hunc oculis suis nulla ex nostris ancillis unquam vidit, Phædria.
Ph. Nulla eum vidit? Py. An tu, obsecro, hunc esse credidisti Eunuchum, qui
ad nos deductus est? Ph. Credidi: nam nullum habui alium. Py. Au! hic qui-*



Guelf. 2.—5 *Paululum Z. Cessissem* Guelf. 2. *Pythia Bip.*—6 Ita *Plantus* passim. Itaque expressi ex Mss. quamplurimis et editis antiquissimis. *Juntæ, Aldus, St. aliique, ornabat.* Ms. Lips. *adornarat.* Editi quidam, *ornarat.* EP. *pararat.* West. *Ornabat*] Omnes alii libri et Do. *adornabat.* Solus Bem. quem ut antiquissimum sequimur, *ornarat.* Bas. *adornarat.* Præterea in Bem. legitur, *factum bene,* sine O. Fa. Lego tamen, ut nostri plerique, *adornarat.* Bent. *Adornabat* vet. cod. Lind. *Ornarat Z. Adornarat* Perl. et sic Both. qui dat *ne pro non.*—7 *Factum bene*] Ms. Lips. *O factum bene.* West. *Habesne hominem amabo? Quidni habeam? Factum bene*] Sic dedit Faërnus: sed ex metri ratione legendum est, *Haben'*: et, quod omnes nostri cum vett. Edd. habent, *O factum bene,* suavius est. Utrumque vidit vir eruditus. Bent. O omittit Z. *Haben'* dat Both. *Habeam* delet Bip.—8 *Nonne* Guelf. 3.—9 *Obsecro* ante 'homo' id.—11 Apud Pr. p. 960. *Nostrarum quisquam:* deest nunquam etiam in Scriptis. At Cledonius p. 1907. '*Nemo,*' inquit, 'fæminino genere lectum est apud Terentium; ut, *Illum nemo nostrarum quisquam vidit.*' Apparet, quosdam olim legisse *nemo quisquam:* at hodie Codices omnes, *nunquam quisquam.* Utrumvis probe. Bent. *Nost. nunq. q.] Pr. Nost. q. Cle-* donius *Nemo nost. q.* quod æque bonum. Nostrum Mss. et edd. vett. habent. *Bip. Nunquam]* Par. 2. *nusq. Al. non.* Perl. qui monet abesse *vidit* a J.—12 *Esse* abest a plusculis Mss. West.—13 *Nam quem?*] Ita Gifan. in Ind. *Lucret. v. Vietus.* Ms. Lips. *Nam quem alium? habui neminem.* Alii, *Namque alium habui neminem.* Id. *Namque alium habui neminem]* Solus Bem. habet *namque;* omnes alii quotquot sunt, item Donatus, *nam quem:* quam et veram lectionem puto ita ut interrogative distinguatur post, *Nam quem?* et affir-

Ne comparandus hic quidem ad illum est: ille erat
 Honesta facie et liberali. PH. Ita visus est 15
 Dudum, quia varia veste exornatus fuit:
 Nunc eo tibi videtur fœdus, quia illam non habet.
 PY. Tace, obsecro; quasi vero paulum intersiet.
 Ad nos deductus hodie est adolescentulus,
 Quem tu vero videre velles, Phœdria. 20
 Hic est vetus, vietus, veterosus senex,

dem nullomodo illi, quem ad nos misisti, est comparandus. Ille erat eleganti forma, et facie ingenio homine digna. PH. Talis vobis diu apparuit, quia veste versicolori exornatus fuit: nunc tibi videtur turpis et deformis, quia illa non indutus est. PY. Tace, precor, quasi paulo inter se differant. Ad nos hodie deductus est adolescentulus, visu pulcherrimus et gratissimus, quem semper spectare velles. Phœdria: hic est rugosus senex, incurvus et flucidus, vetero laborans, colore sublivido et subrufo, sicut

//////////

mative subdatur, *alium habui neminem*. Fa. Præter Bem. etiam ex nostris veterrimus *Namque*. Recte, ut et vidit vir doctus. *Bent. Namque alium Both. Nam alium quem Both. Perl. Quem mitterem Guelf. 3. Ah Both.—14* Defendit hanc lect. ad Flor. II. 5. 3. Dukerus. In aliis est *Nec quidem*. West. Aliqui libri, inter quos Bembinus, *Nec* habent: quod magis videtur negare. Fa. Male Fa. *Nec* edidit: nostri omnes *Ne*. Ne etiam Nonius et Pr. hic habent. Ceterum Pr. p. 1012. falsus memoria est, cum, 'An' explicans, hinc citat, *Ne conferendus hic quidem cum illo est*; sic enim ibi Scripti quoque. Sed Nonius ipso verbo, Comparare, ut nulla fraus a librariis esse possit, *Ne comparandus* habet. Vir doctus negat 'comparare' hoc sensu apud Nostrum alibi inveniri. Quid itaque illud supra? II. 3. 'Immo si scias quod donum dono, huic contra comparet.' *Bent.* Edd. quædam vitiose habent *Nec quidem*. R. D. *Nec Z. Bip. Conferendus* Guelf. 1.—17 *Eo* Mss. et editi quidam non agnoscunt. *West.* Non potest hic versus stare, nisi demta particula *eo*, quæ nec in Bem. est. Fa. *Eo tibi* Codices plerique omnes. *Eo* eiecit Faërnus, fide Bemini, atque ita citat Nonius v. Fœdus; et sic ibi codex veterrimus. Contra Servius ad Æn. III. 216. *Nunc heu videtur fœdus*: ubi legendum est *eo* pro *heu*. Sic et duo Terentii codices ex nostris vetustissimi, *Nunc eo videtur*, ejecto illo *tibi*. Placet hoc. *Bent.* qui *tibi* delet. *Eo* delent Z. Bip. et Perl. qui notat id habere Guelf. 2. Totum versum delet Both.—19 *Est* omittit Z.—20. 21 *Quem tu vero videre*] Muta verborum ordinem, ut est in o. l. s. et Donato, *Quem tu videre vero*, ut et in sequenti versu, *vietus, vetus*. Fa. Ita nostri omnes; *videre vero*; et *vietus, vetus*. *Bent. Videre vero Z. Bip. Bent. Perl. Videre velles vero Both. Vietus, vetus Z. Bent.*

NOTÆ

21 *Vietus*] Id est, languidus, sine vi. Vel inflexus, incurvus; nam viere, inquit Varro, est vincire; unde vimina.

Veterosus] *Veternus*, quem *λήθαργον* Græci dicunt, est apostema ex

phlegmate, vel atra bile, natum in posteriore parte cerebri, inexpugnabilem pæne dormiendi necessitatem inducens, magnamque oblivionem.

Colore mustellino. PH. Hem, quæ hæc est fabula?
Eo redigis me, ut, quid egerim, egomet nesciam.

mustela. PH. Hem! quæ hæc est fabula? Eo me redigis, ut egomet nesciam, emerinne

~~~~~

Both. Perl.—22 In R. est desideratur. Lind. A Donato discimus Menandrum hic dixisse *stellionem*: Terentium vero sive errantem sive prudentem scientem dixisse *mustelam*: hanc Græce γαλήν dici, illum γαλεώτην. Bene sit illi quidem, quod Menandrum illud nobis servavit; cuius ductu et indicio Terentianos codices a gravissimo errato jam liberabimus. Nego enim Nostrum dixisse *Colore mustelino*: nego illum alium sic dixisse aut dicere potuisse; non magis quam ‘Colore equino,’ ‘Colore canino.’ Cur hoc? quia, ut Equo aut Cani non unus et proprius est color, ita neque *Mustelæ*. *Mustela*, testibus Gesnero et Agricola, plerumque est in dorso et lateribus rutila, raro subfulva: in gutture semper candida; quin nonnunquam tota candida reperitur, quanquam rarius. Quid igitur? si color quisquam *mustelinus* dictus est, a qua corporis parte dictus est; dorso, an gutture? Si ab hoc, candidus est, si ab illo, rutilus. Quis igitur tale nomen indiderit, tam incerti et ambigui sensus? si *Ædesionem* audis, sublividus color est; si *Engraphium*, niger; si me audis, nullus unquam eo nomine signatus est. Aliud ergo investigemus. Menander, cum Eunuchum hunc γαλεώτην, *stellionem*, vocavit, id voluit, facie enim fuisse maculosa, lentiginosa; talis enim *stellioni* color est. Ergo, et rem ipsam et auctorem secutus, Terentius sic dederat: *Hic est vietus, vetus, veterosus, senex, Colore stellionino.* PH. Hem, quæ hæc est fabula? Ceterum, quæ vir eruditus multis verbis ad hunc locum contexuit, piget exentere. In Menandro scribit γαλεώτης γέρον, hoc est, γαλεοειδής, a pisce γαλεῶ, *mustela*: et hoc pacto se putat Terentium ab omni errore liberare. Immo et Terentium et Menandrum ipsum errore emulat; si eunuchum hunc pisci comparaverint: quanquam obsecro similitudine? Pisce mutior esse mallet, quam talia loqui. Bent. Mirum, Bentleium Donati incertam correctionem, quam Terentii scripturam in contextum recipere præoptasse. West. Bent. erudite legit *stellionino*. R. D. Bentleius ex Menandro et Donati mente reponit *stellionino*: et Do. arguit Terentium, qui a Menandro aberravit, γαλεώτην senem dicente; sed alii defendunt. Putamus γαλεώτης scriptum fuisse. Bip. Donatum sequi debuit Bent. nec committere ut in fraudem ipse illiceretur ab istis grammaticis, qui, Latina ad Græca obscura diligentia exigentes, non poetam cupiebant Nostrum, sed verbum de verbo convertentem interpretem. Quis enim audiat illum *stellionino* reponentem, quasi color *mustelarum* æque incertus sit atque equorum et canum? Immo *mustelæ* pleræque omnes, testibus quos Anglus laudat, in dorso et lateribus rutilæ sunt, raro subfulvæ, rarius etiam totæ candidæ, et frequentissimas hic intelligi, consentaneum est. Both. qui dat *mustelino*.—23 Quod in antiquis quibusdam libris est, *emerim*, pervetustum videtur, et jam a Ciceronis ævo; qui hand scio, an huc respexerit, scribens Att. 1. 19. ‘Ille alter ita nihil est, ut plane, quid emerit, nesciat.’ Sed et *emerim* legisse videtur Donatus. An locus expressus e Plauto? Vid. Epid. III. 4. 40. Prætulerim tamen *egerim*. Ms.

#### NOTÆ

22 *Colore mustellino*] Hic erravit Terentius: nam, cum legisset apud Menandrum: γαλεώτης γέρον, quod lentiginosum senem significat, ejusmodi fere sunt Eunuchi, ad similitu-

dinem *stellionis* qui pelle est maculosa, ut Eunuchus ille erat ore sparso; *stellio* autem est γαλεώτης, *mustela* vero est γαλή; hæc perperam Terentius confundit.

*Delph. et Var. Clas.*

*Terent.*

2 H

Eho tu! emin' ego te? DO. Emisti. PY. Jube, mihi denuo

Respondeat. PH. Roga. PY. Venistin' hodie ad nos? negat. 25

At ille alter venit, annos natus sedecim,

Quem secum adduxit Parmeno. PH. Agedum, hoc mihi expedi

Primum: istam quam habes, unde habes, vestem? taces?

Monstrum hominis! non dicturus? DO. Venit Chærea.

PH. Fraterne? DO. Ita. PH. Quando? DO. Hodie.

PH. Quamdudum? DO. Modo. 30

PH. Quicum? DO. Cum Parmenone. PH. Norasne eum prius?

DO. Non; nec, quis esset, unquam audieram dicier.

*istum, necne. Eho tu, num ego emi te? DO. Emisti. PY. Impera, ut rursus mihi respondeat. PH. Interroga. PY. Venistine hodie in domum nostram? Negat. At ille alter venit, quem deduxit secum Parmeno, natus annos sedecim. PH. Agedum, Dore, hoc mihi explica primum: unde sumsisti hanc vestem, qua indutus es? taces? monstruose homo, an non dicturus es? DO. Venit Chærea. PH. Fraterne meus? DO. Ita. PH. Quando? DO. Hodie. PH. Quampridem? DO. Modo. PH. Cum quo? DO. Cum Parmenone. PH. An fratrem meum antea cognoveras? DO. Minime, nec unquam ab ullo, quis esset, dici inaudiveram. PH. Undenam*

~~~~~

Lips. et EP, quod egerim, ego nesciam, West. In Bem. est rediges: at in Do. pro egerim, est emerim. Fa. Retinuit vulgatum Faërnus. Sed recte habet tam rediges, quam emerim: scribe autem per interrogationem, et distingue, Eo rediges me, ut, quid emerim egomet, nesciam? Bent. Ego R. Lind. Nihil verius lectione, quam Bent. revocavit, emerim. R. D. Emerim est in Arg. 1496. Vulg. egerim, quod non aptum seqq. Bip. Rediges Bip. Both. Perl. Emerim Perl. Rediges me, ut, quid egerim egomet, nesciam Delph.—25 Hic Guy. glossema agnoscit, rescribens, Venisti ad nos? Mihi nihil mutandum videtur. Mitto enim de metro dicere, quod satis commodum in hoc versu invenit Antesignanus. West. Lege, ut tres ex nostris habent, Venisti. Bent. Cur ipsum Dorum non audimus negantem? Sed nil ausimus, quamvis nec metrum satis in sq. procedat. Putavimus sic rescribi posse; sed nobis non satisfacimus: DO. Non. PY. Negat, &c. Bip. Venisti Both.—26 Guy. τὸ alter expungit, magis volens Terentium metro, quam metrum Terentio alligare. Certe ille alter satis eleganter dicitur. West. Tres nostri melioribus numeris, natus annos. Bent. Accedit Perl. Sexdecim GM.—27 Hoc nunc mihi Ms. Lips. West.—28 Unde habes istam, quam habes Delph.—29 Dicturus Z. Bent. Perl.—30 Ita citat et Pr. p. 1184. Lego, Mens fraterne? ita. Bent. Addit nec quis esset, unquam audieram dicier Guelf. 2. Perl. Ita est Bip. Delph.—32 DO. Non. PH. Unde igitur fratrem meum esse sciebas? DO. Parmeno] Loco hujus unici versus, omnes alii, præter Bem. et Bas. binos habent, hoc modo: DO. Non: nec quis esset, unquam audieram dicier. | PH. Unde igitur fratrem meum esse sciebas? DO. Parmeno. Et sane unicus ille versus est impeditus. Sed rursus non videntur hæc mihi Doro, homini minime verboso, utpote novicio, convenire. Quare, utcumque se habeat versus, lectionem vulgatam, quæ eadem antiquissima est, prætulerim.

PH. Unde igitur fratrem meum esse sciebas? DO. Parmeno

Dicebat eum esse: is dedit mihi hanc vestem. PH. Occidi.

DO. Meam ipse induit: post una ambo abierunt foras. 35

PY. Jam satis credis sobriam esse me, et nihil mentitam tibi?

Jam satis certum est, virginem vitiatam esse? PH. Age nunc, bellua,

Credis huic quod dicit? PY. Quid isti credam? res ipsa indicat.

igitur fratrem meum Chæream esse sciebas? DO. Parmeno cum fratrem tuum esse dicebat; Chærea hanc mihi dedit vestem. PH. Perii. DO. Meam ipse sumsit: postea Chærea et Parmeno ædibus egressi sunt. PY. Jam satis, Phædræ, credis me non esse temulentam, nec quicquam mendacii finxisse. Jam satis exploratum est et compertum, virginem stupro pollutam esse? PH. Age nunc, stolidæ, credisne huic id, quod dicat? Nimirum servo, Eunuchæ, et fugitivo? PY. Cur isti non credam? Nam, etsi non crediderim, res satis ipsa declarat. PH.

~~~~~

*Fa. Nec quis esset, unquam audieram dicier]* Hæc verba Rivinus adultæina pronuntiat. Credo, quia Aldina ed. non legit. At legunt aliæ antiquæ, et EP. neque adeo videntur repudianda, quod in iis est omnimoda Dori ignorantia, qualem manifestari oportebat, ne quid culpæ in ipso Doro residere crederetur. Et agnoscunt Mss. Leidd. tres, totidem Pall. sed et Tr. et Lips. Færnus dubitanter tnetur vulgatam, scilicet quod ita verbosior videtur Dorus, quam pro novicio. Sed non pauciora verba sunt ista: 'Parmeno . . . foras.' Tunn Gellius XII. 6. laudat, *audivi dicier. Tr. Unde igitur meum esse sciebas?* West. Unus ex nostris Academicus cum Bemmino consentit; ceteri omnes duos versus constituunt. Utrum ex his versus sit, hodie nescias. Nam, quod aiunt Doro, homini minime verboso, hæc non convenire; ludunt nos: cum ei, per ipsos qui verba hæc ejeciunt, verboso esse non licet. Ceterum vir doctus 'Non' extra versum posuit, hoc est, ex monosyllabo versum integrum fecit, sive clausulam. Quo tamen exemplo? Quanto facilius erat illud *igitur* cum CCC. ejecisse? *Non. Unde fratrem meum esse sciebas? Parmeno. Bent. Sciebas Par. 2. verbo esse omisso. Perl. Nec quis . . . dicier recte omisit Bent. Both. qui cum Perl. Bentleim omnino sequitur, nisi quod dat meum esse fratrem. Sciebas et Bip. quæ exhibet cum Delph. meum fratrem esse.—34 Is dedit hanc mihi vestem]* Vestem aliqui l. s. non habent, inter quos Bembinus. Hanc vero collocationem verborum in nullo invenio, sed in plerisque eam quæ sequitur, *is dedit mihi hanc. Fa. Unus tantum ex nostris, qui in Bibliotheca publica est, cum Bem. facit; ceteri universi, is dedit mihi hanc vestem. Recte, opinor. Repone, Dicebat eum esse; is mi hunc dedit vestem. Occidi. Bent. quem sequuntur Both. Perl. Vestem omittunt Z. Bip.—36 In Ms. Lips. non est τὸ tibi? West. Me sobriam esse]* Ratio versus hanc collocationem verborum, quæ est in omnibus fere l. s. et Donato, exigit, *sobriam esse me. Fa. Sic et nostri sobriam esse me; nisi quod Pet. sobriam esse: quod et ipsum bene habet. Bent. Esse et nil me Both. Et n. m. tibi absunt a Guelf. 3.—37 Vit. esse virginem Both. Huic, non isti Guelf. 3.—38 Dicat Z. Bent. Bip. Perl. Quidni pro Quid isti Both.—39 Etiam nunc pauhu-*

PH. Concede istuc paululum : audin' ? etiamnunc paululum : sat est.

Dicdum hoc rursus : Chærea tuam vestem detraxit tibi ? 40

Do. Factum. PH. Et ea est indutus ? Do. Factum. PH.

Et pro te huc deductus est ? Do. Ita.

PH. Jupiter magne ! o scelestum atque audacem hominem !

PY. Væ mihi !

Etiamnunc non credis, indignis nos esse irrisas modis ?

PH. Mirum ni tu credis, quod iste dicit : quid agam nescio.

Heus ! negato rursus. Possumne ego hodie ex te exscul-

pere

45

*Dore, secede huc paululum. Audisne? Nunc etiam paululum. Satis est. Responde mihi iterum. Chæreane tuam vestem detraxit tibi? Do. Factum est ita. PH. Et eam induit? Do. Factum, inquam. PA. Et pro te ad Thaidem deductus est? Do. Etiam. PH. Proh maxime Deorum Jupiter! O nefarium et impudentem hominem! PY. Væ mihi miseræ. Quid? etiamne nunc credere non vis indignis nos esse delusas dolis? PH. Mirandum esset, si non tu serva servo fidem haberes. Quid agam incertus sum. An non possum hodie ex te verum exprimere? Heus tu,*



lum] Fa. et Codd. omnes *paululum* : sed versui syllaba superest. Vir doctus in textum recepit *paulum*. Hoc probe. Bent. *Paulum* Both. *Etiam* Bip. Delph.—40 *Chærean*] Et in Bem. et in aliis antiquis est *Chærea*. Fa. Nostri quoque omnes *Chærea*. Bent. *Dic dum*] *Dic tu C. I.* [i. e. cod. Jenensis, ut videtur.] *Perl. Rursus* Both. et *Chærean*.—41 Mss. plinuli et edd. *eam est indutus?* Leid. unus, *eam est inductus?* West. *Et pro te huc deductus est*] Exagitat omnes, qui ita legunt, tanquam amentes, Palmerius. Scilicet existimat hæc in ædibus suis dixisse Phædriam; unde non fuerit dicendum, *huc*, sed *hinc*. Legit igitur, *pro te ductus est?* Verum illud de ædibus gratis dicitur. *Et ea*] Pr. p. 1185. 'Indutus vestem et veste:' accusativi exempla ex Virgilio petit; ablativi ex hoc loco, *Et ea est indutus*. Lego tamen cum nostris, uno dento, omnibus, et cum Edd. vett. *Et eam*. Bent. quem sequitur Both. qui testatur ita habere suos codd. et sic monet: 'Recte hic legitur *deductust*, i. e. deductus est, ipso versu id flagitante. Neque ego tales contractiones omnino improbo: sed rariores esse dico: scripturas autem has et similes, *meritu's*, *forti's*, pro, meritus es, fortis es, quas Bent. induxit, auctoritate carere censeo. Both. *Deductust* Bent. *Deductu' est* Bip. Delph. *Deductus't* Z.—43 Cave facias cum viro erudito primam in 'indignis' brevem. In duobus nostris deest *nunc*, in uno *non*. Repone, *Etiam nunc credes indignis*. Bent. *Etiam non indignis credis nos* Both. *Esse* omittit Bip.—44 Ita dedi, secutus auctoritatem Guyeti. Nec fere 'mirum ni' dicitur, nisi sequente indicativo. EP. *Mirum si*. West. *Mirum ni tu credas quod iste dicat*] Bem. in contextu non habet pronomen *tu*, nec hic nec in sequenti versu, in quo quidem versu nec ulli alii scripti eam vocem habent, sed post 'possumne' sequitur in omnibus *ego*. Fa. Lege ex duobus nostris et uno G. Fabricii, *Mirum ni tu credis*. Ita Noster cum Indicativo semper. Bent. *Credas Z. Dicat* Z. Bent. Bip. *Si pro ni* Guelf. 2. *Quid agamus scio* RC.—45 In duobus nostris, et Edd. vett. deest *ego*. Lege tamen, *Possumne hodie ego*: et *rursus* malo, quam *rursus*. Bent. Omnino sequitur Both. *Heus tu* Bip. *Heus, negato; rursus: possumne* Perl. qui notat *tu neg. habere* Guelf. 2.—46

Verum ? Vidistin' fratrem Chæream ? Do. Non. PH.

Non potest sine

Malo fateri, video : sequere hac : modo ait, modo negat.

Ora me. Do. Obsecro te vero, Phædria. PH. I intro  
nunc jam. Do. Oi, ei.

PH. Alio pacto honeste quomodo hinc abeam nescio.

Actum est, siquidem tu me hic etiam, nebulo, ludificabere. 50

PY. Parmenonis tam scio esse hanc technam, quam me  
vivere.

DOR. Sic est. PY. Inveniam pol hodie, parem ubi refe-  
ram gratiam.

Sed nunc, quid faciendum censes, Dorias ? DOR. De  
istac rogas

*negato rursus : jubeo. Vidistine fratrem Chæream? Do. Non vidi. PH. Non potest sine tormentis veritatem fateri. Sequere hac. Modo asseverat ; modo negat. Ora me, et pœnam deprecare. Do. Per Deos vero tibi supplico, Phædria. PH. Introito. Do. Hoi, hei. PH. Alio modo, nisi per hanc fallaciam, non possum ex hac difficultate honeste evadere : etenim actum est ; vitata est virgo a fratre. Tu me hic etiam, tenebrio, ludos facies? PY. Hanc fraudem factam esse a Parmenone tam certo scio, quam me nunc vivere. DOR. Sic est. PY. Per Pollucem inveniam hodie rationem, qua Parmenoni vicem reddam. Sed nunc, Dorias, quid facere suades? DOR. De ista virgine nempe, consilium quæris? PY. Ita:*

In Bem. est *Vidistine*, et 'sine' sequenti versui ascribitur : quod placet mihi. *Fa.* Sic et nostri plerique. *Bent.* 'Sine' ascribunt versui 47. *Bent.* Both. *Perl.*—47 *Seq. me Mur. ed. Perl.* Sic *Bip.* *Delph.*—48. 49 *Alio, &c.]* Deest syllaba : forte *nunc.* *Er.* I intro] *Ms. Lips. intra. West.* I intro. *Hoi, hei]* Bem. *In intro nunc jam? Oi, ei:* quæ, ut antiquissima, ita vera est lectio et versui congruens. In autem, pro, isne. *Fa.* Soli Bem. debetur illud *nunc jam* ; ceteri omnes abnegant. Nimirum a Correctore est, metri aliquantum perito. Nos absque illo emblemate sic locum constitimus : *Ora me. Obsecro te vero, Phædria. I intro. Eoi ei. Alio pacto honeste quomodo hinc abscedam, nescio. I intro cum Edd. vett. nostri omnes. Oi ei* plerique habent : unus notæ optimæ, nunc Academicus, *Eoiei* ; unus ex Regiis *Eooi hei.* *Pr. p. 1012.* de Interjectionibus agens, 'Terentius in Eunucho, Hoi hei.' Sic edidit Putschius ; sed codex veterrimus *Oi ei.* Porro in versu altero pro *abeam* repono *abscedam* ; quod apprimè convenit. *Bent. In' intro? et quomodo abierim hinc ego, nescio* Both. *In intro nunc jam?* *Bip. I intro. Oi, &c. Perl. In' intro nunc jam? Z. Hoi, hei et quomodo hinc nunc Delph.*—50 *Varie hæc distinguuntur. Nulla interrogatio esse in verbis videtur. West. Actum est, siquidem. tu, &c.]* Nil sapiant, qui aliter interponunt—*nescio. Actum est, siquidem tu me.* Putamus dicere voluisse *Actum est, siquidem . . . int. hic vera dixit.* Sed, abrupto sermone, inelamat miserum Eun. *Bip. Actum est siquidem: tu* *Bent. Z. Delph.*—52 *Inveniam hodie parem ubi pol ref. gratiam]* In Bem. et omnibus fere l. s. 'pol' ante 'hodie' collocatum est : qua collocatione trochaicus, alioqui claudicans, sustentatur. *Fa.* Nostri quoque omnes *pol hodie.* *Bent.*—53 *Ms. Lips. et EP. faciendum suades.* Idem Pareus citat ex duobus *Pall. et Paris. West. Censes vett.*

Virgine? PY. Ita: utrum taceamne, an prædicem? DOR.

Tu pol, si sapis,

Quod scis, nescis, neque de Eunucho, neque de vitio vir-  
ginis: 55

Hac re, et te omni turba evolves, et illi gratum feceris.

Id modo dic, abisse Dorum. PY. Ita faciam. DOR. Sed  
videon' Chremem?

Thais jam aderit. PY. Quid ita? DOR. Quia, cum inde  
abeo, jam tum inceperat

*utrum sileam quod factum est, an dicam?* DOR. *Tu pol, si prudens es, dissimula te id scire, quasi nescieris; neque de Eunucho, neque de stupro virgini illato quicquam offeras; hoc modo te omni tumultu liberabis, et virgini gratum facies. Dic solum discessisse et crasisse Dorum Eunuchum.* PY. *Ita faciam.* DOR. *Sed hicne est Chremes quem video? Thais mox ad nos veniet.* PY. *Quid ita?* DOR. *Quia, cum inde ex domo Militis exibat, jam tum cæperat jurgium inter illos.* PY. *Aufer*

//////////

Edd. et ex nostris unus. Cæteri omnes *suades*. Utrumvis probe. *Bent. Suades* Vet. Cod. *Lind.* Sic Gu. 1. *Me rogas* Delph.—54 *Tu pol, si sapis, Quod scis, nescis]* Constans lectio. Guy. tamen expungit *Tu*, sed et *nescis* inepte et sine sensu dicit legi, substituens *nesci*, vel *ne sci*. Sensum expressit Fabriui. Locus expressus e Plauto, *Mil.* II. 6. 88. Possit autem *nescis* dictum videri pro, *nesciveris*. *West.* Omnis difficultas est in verbo *prædicem*: nam, si id deducimus a, *prædico* *prædicas*, versus non stat: si a, *prædico* *prædicis*, ut sit *prædicem* pro, *prædicam*, (antiqui enim 'dicem' efferebant in futuro, pro eo quod nos 'dicam') stat quidem versus, sed verbum 'prædicere' videndum est ut sensui congruat. V. qui aliqua sæpe meliora habet, quam Bem. et quam omnes alii, hic non *prædicem*, sed *prædicam* habet: quamvis deinde addito e, et dispuncto a, mutatum fuerit in *prædicem*. At Decurtatus, qui et ipse quoque ex eadem bibliotheca est, sanam et integram habet vocem *prædicam*. Sed sensum requiro in *prædicam*, vel *prædicem*, penultima producta. *Fa.* Vides, quæ vir honestus Færnus hic contulerit: si *prædicem*, versus laborat; si *prædicam*, sententia. Quam in promptu erat suam Terentio manum reddidisse? *Itu utrum prædicemne an taceam?* Mutatur tantum ordo, et bona causa est. *Bent.* Invertit *Bent.* sic iudicans, in consideratione consilium melius h. l. tacendi poni solere posteriori. Sed hæc non tam poetæ ingenio quam suometipsius, ut sæpe alias, indulsisse videtur. *Perl. Pol]* Al. *Tu pol*, præter metrum. Quare Guy. et Heins. delent *Tu*. *Bip.* *Bentleium* sequitur *Both.* *Utrumne* *Guelf.* 2.—55 *Quod scias* Vet. Cod. *Lind.* GC. *scias* perperam. *Perl.*—56 *Hac re et omni te]* O. fere l. s. et Do. ita collocant, *et te omni*: ita stat trochaicus. *Fa.* Sic et nostri omnes. *Bent.* Turnebus malebat *evolvis*, pro, *evolveris*: credo quod continuo sequatur, 'feceris.' Sic *Lucilius*: 'Cui nil demsit nix, et sacculus abstulerit nil.' Ubi 'demsit' manifesto pro, *demserit*, positum. *West.* Prætulit *evolveris*. *Perl.*—57 *Chremem* *Bent.*—58 *Jam tunc cæperat* Delph. *Cæperat* et *Bip.* *Cum abeo*, omisso *inde*, J. et Venetus cod.—59 Ms.

#### NOTÆ

56 *Et illi gratum feceris]* Virgo 58 *Jam tum inceperat* Turba inter  
enim sic dolet ob injuriam sibi illa- eos] Thrasonem et Thaidem.  
tam, ut ipsamet eam celet.



Turba inter eos. PY. Aufer aurum hoc: ego scibo ex hoc quid siet.

*istud aurum tibi a Thaide traditum. Ego sciam ex Chremete quid factum sit.*

Lips. *Tu aufer.* Quod ex antiquis laudat G. F. West. *Tu aufer* R. et Vet. Cod. Lind. *Aufer]* GC. *Tu.* Al. *Tu fer.* Perl. *Tu aufer* Both. Bip. Delph.

---



---

## ACTUS IV. SCENA V.

CHREMES. PYTHIAS.

CH. AT at! data hercle verba mihi sunt: vicit vinum quod bibi:

Ac, dum accubabam, quam videbar mihi esse pulchre sobrius!

Postquam surrexi, neque pes, neque mens satis suum officium facit.

PY. Chremes! CH. Quis est? ehem Pythias. Vah! quanto nunc formosior

Videre mihi, quam dudum! PY. Certe tu quidem pol et multo hilarior. 5

CH. Verbum hercle hoc verum est; Sine Cerere et Libero friget Venus.

CH. *At, at, verbis Thaidis circumventus sum; vinum, quod bibi, me superavit; dum mensæ accumbebam, quam videbar mihi esse belle sobrius, et sapere! postquam de mensa surrexi, neque pes, neque mens in suo officio fuit.* PY. *Chreme.* CH. *Quis est? Ehem Pythias.* Vah quanto pulchrior mihi videris, quam pridem? PY. *Sane, tu quidem, per Pollucem, multo lætior appares.* CH. *Vulgare, mehercule, verum est dictum: Sine Cerere et Baccho languet Venus, torpetque. Sed an*

1 Mss. plusculi, et ET. EM. *vicit me.* West. *Atat* Bent. Both. *Atat* Z. *Bibit* Guelf. 3.—2 Libri quidam scripti et editi: *accumbebam.* West. *Ac dum]* *Ad dum:* nisi *At dum* Guelf. 3. Perl. qui dat *esse mihi*, et notat *accumbebam* dare GM.—4 *Quam tu nunc* Mss. quidam. West. Codd. plerique *Chreme.* Bent. qui id dat cum Bip. Both. Perl.—5 Mur. Donatum secutus *alacrior* legit, quod et libri quidam exhibent. West. Bem. *Certo*, quod antiquius videtur. Fa. Omnes nostri *Certe*; quod rectum est. Bent. *Hilarior* omnes l. s. Do. tamen *alacrior* legisse videtur. Lind. *Videre quamdudum?* *Certe quidem tu pol n. alacrior* Delph. Et omittunt et Bent. Bip. Both. Perl.—6 Versum hunc scriptum etiam hoc modo reperio, *Verum hercle verbum hoc est, Sine C. et Baccho f. V. Gov.* Idem liber, itemque Decurtatus, pro *est* habent *erit*, quo-

Sed Thais multo ante venit? PY. Anne abiit jam a Milite?

CH. Jamdudum; ætatem: lites sunt inter eos factæ maxumæ.

PY. Nihil dixit tum, ut sequerere sese? CH. Nihil, nisi abiens mihi innuit.

PY. Eho, nonne id sat erat? CH. At nesciebam id dicere illam; nisi quia 10

Correxit Miles, quod intellexi minus: nam me extrusit foras.

*multo ante tempore, quam venissem, Thais hic fuit? PY. Anne abiit illa jam ex domo Militis? CH. Jam atas est, ex quo egressa ab illo: rixæ inter illos gravissimæ ortæ sunt. PY. Nonne tunc illa dixit tibi ut se sequeris? CH. Nihil, nisi quod abiens mihi nutu capitis signum fecit. PY. Eho, nonne id sufficiebat? CH. At nesciebam illum mihi nutu significare, ut ipsam sequerem; sed id quod minus intellexi, id apertius significavit Miles, cum me violenter exturbavit foras*



modo et prius habebat Vi, ut adhuc litura demonstrat. Hoc autem verbo 'erit,' antiqui etiam præsentia et præterita asseverabant. Fa. Nostri omnes est, ut And. II. 5. 15. 'Vernm illud verbum est.' Si est placet, pro sine lege absque. Poteris etiam erat. Sed erit non est sollicitandum. Bent. Bent. bene edidit erit. R. D. Id. dant Bip. Both. Perl.—7 An G. ET. EM. West. Particula ne non est in Bembino. In alio quoque libro vetusto deletam eam inveni: et certe non est necessaria. Fa. Anne scripti plerique. 'Abiit' hic disyllabon est. Porro lege, multo me antevenit. Bent. Anne Vet. Cod. Lind. An Z. Bip. Both. Me anteverit Both.—8 Ita colloca hæc verba ex o. l. s. factæ sunt inter eos. Fa. Sic vett. Edd. et major nostrorum pars. Bent. Et sic dant Bent. Bip. Both. Perl. Delph. Ceterum dat Both. J. atatem. PY. Eho! CH. Lites, &c. et monet: 'Illud Eho habetur in B, nec spernendum videbatur.'—9 M. Nihil dixit tunc. Revocavi autem tum ex quibusdam Mss. et editis antiquissimis et præstantissimis, sed et Donato. Impressi recentiores omittunt. Ms. Lips. ut tu sequerere. West. Aliqui libri et Do. non habent tum; et, pro ea dictione, in Bem. est tu: mihi utrumque et tu et tum otiosum videtur. Fa. Immo illud tu suam hic emphasin habet, et a Fa. perperam ejectum est. Duo ex nostris veterrimi tu; ceteri tum. Bent. Nil dixit, tu ut] Al. male dixit tum, ut. Al. omittunt tu, quod rescribimus, Bembino nixi, cum Bent. et Ms. Lips. ut tu seq. Bip. Sic et Both. N. d. ut seq. Z.—10 Nesciebam Bent. Bip. Both. Perl.—11 Corr. me M. Mss. quidam et editi. Me excussit EM. West. Post 'minus' interrogat Bip. Ego int.

#### NOTÆ

6 Sine Cerere et Libero friget Venus] Ceres est Dea frugum, et Bacchus vini: eleganter Terentius Cererem pro cibo, Baccham pro vino dixit per metonymiam; inventorem pro inven-

to. Voluptas in calore sanguinis constituta est, qui his rebus alitur. Horatius: 'Non enim posthac alia calebo Fœmina.' Frigent in uxores mariti, qui non admodum amant.

Sed eccam ipsam : miror ubi ego huic antevorterim.

*cedibus. Sed ecce ipsam. Miror in qua parte viæ eam antecesserim.*

//////////

Guelf. 2.—12 *Ips. video* Ms. Lips. EP. ET. EV. 1. *West. Ips. video* R. *Ego hinc* Vet. Cod. Lind. Ms. Paris. ap. Par. *hinc. Video* post ‘ips.’ Guelf. 3. *Perl. Ips. video et huic ego* Delph.

---

## ACTUS IV. SCENA VI.

THAIS. CHREMES. PYTHIAS.

TH. CREDO equidem illum jam affuturum esse, ut illam a me eripiat. Sine veniat!

Atqui, si illam digito attigerit uno, oculi illico effodientur. Usque adeo ego illius ferre possum ineptias et magnifica verba,

Verba dum sint : verum enim, si ad rem conferentur, vapulabit.

CH. Thais, ego jamdudum hic adsum. TH. O mi Chreme, te ipsum expectabam. 5

TH. *Puto certe illum Thrasonem mox adventurum, ut illam Pamphilam a me rapiat. Sine veniat : atqui, si illam summo attigerit digito, statim ei oculi eruentur. Adhuc usque tolerare possum illius ineptias et gloriosa verba, dummodo tantum sint verba : nam, si in rem deducantur, et, quæ ille dicit, opere exequi conetur, plagis cadetur.* CH. *Thais, jam pridem huc adveni.* TH. *O mi Chreme, te*

//////////

1 *Sine veniat*] Hæc absunt a Ms. Lips. *West. Credo equidem illum jam affuturum ut illam a me eripiat : sine*] Hunc versum ita in aliquibus l. s. ordinatum invenio, ut comprehendat etiam verbum *veniat*, quod in impressis sequenti versui attribuitur. Ceterum quod sequitur, *qui si illam*, ita solus Bem. habet : alii omnes, aut *atqui*, ut et Donatus, aut *atque*. *Ineptiam* vs. 3. est in Bem. et fuisse in Vi. et Decurtato ex rasura ultimæ literæ apparet. *Fa. Dele esse cum* vett. Edd. *Bent. Jam*] C. J. [i. e. Cod. Jen. ut putamus.] *dudum*. *Perl. Esse* solent Both. *Perl. Esse, illum ut eripiat* Delph. *Sine ut* Guelf. 2.—2 Sic lego, *attigerit, oculi illi illico eff.* *Bent. Si illanc uno dig. attigerit, oculi ei illico* Both. *Atque* Bip.—3 *Ejice illud ego ; quod a Donato abest* in Edd. vett. *Bent. Dat* Both. *U. a. illius f. ego.*—4 *Do. et Mstus et* in Edd. vett. *verum si. Certe enim frustra versum gravat.* *Bent.*—5 Ms. Lips. *hic sum.* Mss. Bœcleri, cum M. et Lips. *expecto.* Ita et editiones omnium antiquissimæ, et Antesignani. *West. Vereor ut ex ullo cod. expecta-*

Scin' tu turbam hanc propter te esse factam? et adeo ad te  
attinere hanc

Omnem rem? CH. Ad me? qui? quasi istuc! TH. Quia,  
dum tibi sororem studeo

Reddere et restituere, hæc atque hujusmodi sum multa  
passa.

CH. Ubi ea est? TH. Domi apud me. CH. Hem! TH.  
Quid est?

Educta ita, uti teque illaque dignum est. CH. Quid ais?  
TH. Id quod res est. 10

Hanc tibi dono do, neque repeto pro illa quicquam abs te  
pretii.

CH. Et habetur, et refertur, Thais, a me, ita uti merita es,  
gratia.

*ipsum expecto: scisne tui causa hoc jurgium et contentionem excitatam esse, adeo ut hæc omnis res ad te pertineat?* CH. Ad me? quomodo? quasi istud commoverim! TH. Quia, dum sororem tuam (Pamphilam) conor tibi reddere et restituere, hæc a Milite atque alia multa perpeti coacta sum. CH. Ubi ea est? TH. Domi meæ est. CH. Hen (quam timco!) TH. Quid est? timesne ejus pudicitiae? Educata est, et instituta liberaliter, ut et te et illa dignum est. CH. Quid ais? rerumne dicis? TH. Dico id, quod res est. Hanc tibi dono do, nec pro ea ullas impensas mihi a te reddi posco! CH. Hæc gratia tibi habetur, et in animo accepta fertur,



bam Faërnus protulerit; nostri universi *expecto*. Unde liquido legendum, *O mi Chreme, te ipsum expeto*. Si tamen malit quis Tetrametrum plenum; præsto erit ei forma verbi vetusta, *O mi Chreme, te ipsum expetesso*. *Expecto* R. Lind. Nostri omnes codd. *expecto*, i. e. *expeto*, ut Bent. reposuit. Both. qui dat *expeto*. *Expecto* Guelf. 1. 2. 3. *Chremes* Bent. Z.—7 EP. quasi ego istuc. Acidalius legit, *qui quæso istuc?* eleganter. West. *Qui? quasi istuc?* Quocumque te veritas, nihil hinc exculpes, anctore dignum. Repono, *qui quæso istuc?* Sic plane Codex Regius Chartaceus, de optimo quodam transcriptus; et a m. sec. Academicus. Sna sit igitur laus viro docto, qui ex conjectura hoc idem invenit. Bent. Recte Bent. legit *qui quæso istuc*. R. D. Vulg. *qui? quasi parum aptum h. l. Bip.* *Qui quæso* dant Bip. Both. Perl. Pro *studeo* al. legi *cupio* notat Perl.—8 *Ac pro et* Bent. Bip. Both.—9 *Ehem Bip.* Delph.—11 *Abs te quicquam* Delph.—12 *Assentior Guyeto*, legenti *refertur*, quod teste Antesignano primus ita legit Linacer. Et sane sensus ita postulat. Neque enim verbis refertur gratia, sed re ipsa. Unde et Heinsius ita recensuit. Et est in Leidd. quatuor, et Lips. Editiones Aldinæ variant. Illa vero, *a me*, absunt a quibusdam Mss. West. *Et habetur et refertur a me, Thais, tibi, ita ut merita es, gratia?* *Refertur* legendum est ex Bem. et aliis antiquis libris, et ex sensu. Dnæ vero hæc dictiones, *a me*, nec in Bem. aut Vi. sunt, nec apud Donatum, aut Priscianum hunc locum citantem libro XVIII. Præterea *tibi* in nullo alio libro, præterquam Bembino, fere invenias. Unus id habet superscriptum in glossematis modum; et sane sine eo stat sermo, et pulchre intelligitur. Fa. *Et habetur et refertur, Thais, ita uti merita es, gratia?* Recte hunc versum constituit Faërnus. *Tibi* pauci qui habent codices in sede in-

TH. At enim cave, ne prius, quam hanc a me accipias, amittas, Chreme :

Nam hæc ea 'st, quam Miles a me vi nunc ereptum venit. Abi tu, cistellam, Pythias, domo effer cum monumentis. 15

CH. Viden' tu illum, Thais? PY. Ubi sita 'st? TH. In risco. Odiosa, cessas?

CH. Militem secum ad te quantas copias adducere?

Atat. TH. Num formidolosus, obsecro, es, mi homo?

CH. Apage sis :

Egon' formidolosus? nemo 'st hominum, qui vivat, minus.

TH. Atque ita opus est. CH. Hau! metuo, qualem tu me esse hominem existumes. 20

TH. Immo hoc cogitato; quicum res tibi est, peregrinus est;

*si verbis tibi referri nequit, ut merita es. TH. Verum enim cave ne prius hanc amittas, quam tibi a me tradi possit; nam hæc ea est, quam Miles a me erepturus venit. Abi tu, Pythia, et arcam e domo nostra profer huc cum insignibus et ornamentis, ex quibus agnosci possit; quæque in ea asservantur. CH. Videsne Militem, Thais? PY. Ubi posita est hæc arca? TH. In risco. Molesta, quid moraris? CH. Quantum exercitum huc agit? At, at. TH. Formidolosusne es? CH. Egone formidolosus sim? Nemo est omnium hominum qui vivat minus formidolosus. TH. Atque ita nunc opus est ne sis talis. CH. Hau! vereor ut me talem esse, qualis sum, putes. TH. Immo hoc animo reputa; ille, cum quo tibi decertandum est,*



certa locant, tibi, Thais, Et tibi habetur. Ergo frustra vir eruditus, tibi uti, pro ita uti. Bent. Referetur GM. Perl. Referetur Bip. Both. A me delent Bip. Both. Perl. 'Gratia' collocat Delph. in versu seq. ut et 'Chreme' in vs. 14.—14 *Namque* Both. *Venit ereptum* Delph.—15 *Affer* M. *West.*—17 *Alias Militum.* Er. *Ad te*] Ms. Lips. *atque.* West. Sic Guelf. 1.—18 *Num.* Sic Fa. pro *Non* vulg. Perl. *Attat* Bent. Both. *At at* Bip. Perl.—19 *M. omnium.* Ms. Lips. *nemo homo.* Pro illis autem, qui vivat, minus, Mss. quidam habent cum ET. EM. qui metuat minus. West. *Ego*] O. l. s. *Egon;* sequentis vero dictionis *formidolosus* antepenultimam Bem. et aliqui alii antiqui libri per *u*, non per *o*, habent. Fa. Omnes nostri, uno excepto, *Egon.* Bent. *Ego* Z.—20 Omnes fere l. s. inter quos Bembinus, non *Hau*, sed *Ah* habent; quod magis placet. Fa. Nostri omnes *Au* vel *Hau.* Bent. qui *Ah* dat cum Bip. et Both. *Esse* omittit Z.—21 *Cogito* Guelf.

#### NOTÆ

15 *Cistellam*] Scriniolum, arcam, in qua erant ornamenta virginis, quibus agnosceretur a suis; nempe forte armillæ, crepundia. Ea Thais jubet efferri domo, ut ostendantur Chreme-

ti, atque ita sororem possit agnoscere.

16 *In risco*] Riscus cista est pelle contacta; nomen Phrygium est.

Minus potens quam tu ; minus notus, minus amicorum hic habens.

CH. Scio istuc. Sed, tu quod cavere possis, stultum admittere 'st.

Malo ego, nos prospicere, quam hunc ulcisci, accepta injuria.

Tu abi, atque obsera ostium intus, ego dum hinc transcurro ad forum. 25

Volo ego adesse hic advocatos nobis in turba hac. TH. Mane.

CH. Melius est. TH. Mane. CH. Omitte: jam adero. TH. Nihil opus est istis, Chreme:

Hoc modo dic, sororem illam tuam esse, et te parvam virginem

Amisisse; nunc cognosse: signa ostende. PY. Adsunt. TH. Cape.

Si vim faciet, in jus ducito hominem: intellextin'? CH. Probe. 30

*adrenu est, minus potens, quam tu ; minus notus, et minus amicorum habens in his locis. CH. Hoc sat scio; sed imprudentis est damnum pati et recipere, quod evitare et arcere possis. Malo ego nos cavere ab illo Milite, quam post acceptam injuriam vindictam adversus eum persequi. Tu abi domum intro, et sera fores cluude, dum ego hinc ad forum transcurro; volo huc adducere advocatos, defensores nobis in hoc tumultu. TH. Mane. CH. Melius est ut advocatos adducam. TH. Mane. CH. Desine me detinere, mox rediero. TH. Nihil opus est istis auxiliis, Chreme: dic modo illam tuam sororem esse, et te illum parvulam amisisse, nunc cognovisse: signa hæc, quibus probes illa esse, ostende. PY. Adsunt hæc monumenta. TH. Cape ea, Chreme. Si vim faciet Miles, in jus voca, aut trahe.*

2.—22 *Amicorum hic habens minus*] Ea quæ in libris omnibus est collocatio vehementiorem videtur reddere orationem: *minus amicorum hic habens*: quod ex toto versu melius videri potest. *Fa.* Eodem ordine nostri omnes. *Bent.*—23 *Scio ego istuc* G. ET. EM. *West.* *Ego* GM. bene, ut sit ex adverso 'tu,' quod sequitur. *Perl.* *Cavere tu quod* Both.—25 *Ostium obsera.* Collocatio in *Bent.* et aliis aliis, et Donato hæc est: *Obsera ostium.* In omnibus vero quotquot sunt, itemque Donato, *dum ego hinc.* *Fa.* Nostri quoque *dum ego hinc.* Recte, *Bent.* *Abi*] In GC. script. *ibi*, vitiose videtur pro *abi.* *Perl.* *Ost. obsera* Bip. *Dum ego hinc* Z. Bip. Both. *Perl.* *Abi tu Delph.*—26 *Ille, Volo ego adesse hic advocatos nobis in turba hac,* absunt a *Mss.* Lips. et Pal. et EP. In aliis est, *advocatos in turba.* TH. *Mane, mane.* *Westervovius.* *Advocatos nobis.* TH. *Mane, mane.* Lind. *Hic adesse* Br. qui geminat τὸ *Mane.*—27 *Mitte* Both.—28 *Hoc modo dic*] O. l. s. et Do. *Hoc modo dic.* *Fa.* Nostri quoque *Hoc modo dic*: et præterea, *sororem esse illam tuam,* magno consensu. Recte. *Bent.* *Esse illam tuam* Br. Both. *Perl.* Et omittit Both.—29 *Amisisse. Nunc cognosse, signa, ostende* Br.—30 *Vim si* Both.—31

TH. Fac animo hæc præsentī dicas. CH. Faciam. TH.  
Attolle pallium.  
Perii! huic ipsi est opus patrono, quem defensorem paro.

*Intellexistine?* CH. Omnino. TH. *Audacter et animose hæc prouuntia.* CH. *Faciam.* TH. *Attolle pallium humeris delapsū. Perii. Huic Chremeti opus est patrono, quem mihi defensorem paro.*

*Ut præsentī quidam libb. cum Do. West. Omnes nostri: ut præsentī. Lege cum Edd. vett. præsentī ut dicas. Bent. Attolle] Tolle unus e Pall. Perl. qui notat ut abesse a Guelf. 3. Ut pr. Br. Z. Pr. ut Bip. Both. Perl.—32 Patrono opus est Both. Opus patrono est Delph. Opus est patrono Br.*

---

## ACTUS IV. SCENA VII.

THRASO. GNATHO. SANGA. CHREMES. THAIS.

THR. HANCINE ego ut contumeliam tam insignem in me accipiam, Gnatho?

Mori me satius est. Simalio, Donax, Syrisce, sequimini. Primum ædeis expugnabo. GN. Recte. THR. Virginem eripiam. GN. Probe.

THR. Male mulcabo ipsam. GN. Pulchre. THR. In medium huc agmen cum vecti, Donax;

THR. *Numquid indecorum est, Gnatho, tam atrocem injuriam mihi factam impune pati? Mori me fortiter potius est. Simalio, Donax, Syrisce, sequimini. Primum ædes vi capiam. GN. Egregie. THR. Virginem eripiam. GN. Recte. THR. Ipsam Thaidem acerbe puniam. GN. Belle. THR. In medium huc agmen*

*1 Ut abest a quibusd. libb. West.—2 Seq. me Mss. quidam et editi. Id. R. et vett. libb. Dorax: ut et in scriptis exemplaribus Pr. vii. p. 766. Lind. Seq. me Guelf. 1. 2. Es pro est Br. ut et Dorax.—3 Recte facies Guelf. 3.—4 Dorax G. ET. EM. Ita et supra vs. 2. West. Recte a Bent. est editum*

### NOTÆ

4 *In medium huc agmen cum vecti]* medium agmen, *la bataille*; postremum agmen, *l'arrière-garde*. Vectis est lignum teres et oblongum; præ-

Tu, Simalio, in sinistrum cornu; tu, Syrisce, in dexte-  
rum. 5

Cedo alios: ubi centurio est Sanga, et manipulus furum?  
SA. Eccum adest.

THR. Quid, ignave? peniculon' pugnare, qui istuc huc  
portes, cogitas?

*accede cum recti, Donax. Tu, Simalio, in sinistrum cornu; tu, Syrisce, in dexte-  
rum. Alii procedunt. Ubi est centurio Sanga, et manipulus servorum culina-  
riorum? SA. Ecce cum, adest. THR. Quid iners? An tu peniculo, quem portas,*

//////////

*mulcabo. Zeun. Mulcabo] Hoc verbum sæpe confunditur cum mulctabo. R. D. Mulcabo] Al. male edunt multabo. Bip. Mulctabo Delph. Z. Dorax Guelf. 1. 2. Br.—5 Ms. Lips. sinistro. Et dextero. West. Dextrum Br.—6 Ubi centurio Sanga M. Gn. Sanga eccum adest [Br. et] Ms. Lips. West. Sanga eccum adest Guelf. 2.—7 Nullus ex nostris, illuc huc. Plerique istunc huc. Pet. istum huc. Recte, quod et vir doctus vidit. Bent. Istum Both. Perl. Istunc*

#### NOTÆ

terea est instrumentum ferreum et militare, quo perfodiuntur parietes.

5 *Simalio]* Jucundum est intelligere nomina strenuorum militum Thrasionis. Simalio, quod simus esset; Donax, δόναξ, arundo, qui arundine pro hasta utebatur; Syrisce, a σύρσκος, quod Syrus esset origine, vel a syrisco, vase vimineo, in quo ficus solent asservari.

*In sinistrum cornu]* Cornua erant latera aciei, ita dicta quod prominere; in quibus stabant equites, qui utrimque clauderant latera aciei pedestris; quapropter turmæ equitum, alæ dicuntur; *des compagnies de cavalerie.*

6 *Ubi centurio est Sanga]* Centurio est centum militum præfectus. Unde et centuria quoque dicitur, cujus tamen numerus postea variavit: nam legio apud Romanos antiquitus quattuor millium erat; unde quadratum agmen dicebatur. Postea duo millia et ducentos adjecit Marius, ut constaret sex millibus et ducentis militibus. In legione erant sexaginta cen-

turiæ, manipuli triginta, cohortes decem.

*Manipulus furum]* Manipulus est fasciculus herbarum qui manu comprehenditur, quod signum in militia fuit priscis Romanis. Ovidius: 'Pertica suspensos portabat longa maniplos: Unde manipularis nomina miles habet.' Inde ponitur pro exigua militum manu, quæ unum sequitur signum. Fures hic dicuntur servi, et fures nonnunquam pro servis accipi scripsit Servius ad illud carmen Virgillii: 'Quid domini facient, audent cum talia fures?' Sæpissime tamen fures apud Comicos intelliguntur servi culinarii. Forte fossores intelligit, et cuniculos agentes ad evertenda nienia et arces, *pionniers.* Sangam, quia coquus erat, Thraso vocat centurionem, tanquam aliis honoratiorem. Sangam dictum quidam volunt a Sangia vico, vel Sangario flumine Phrygiæ; nam Phryges serviles sunt. Forte a Græco σάγαις. Quod securis quoddam genus est.



SA. Egon' ? Imperatoris virtutem noveram, et vim militum ;

Sine sanguine hæc fieri non posse ; qui abstergerem vulnera ?

THR. Ubi alii ? SA. Qui, malum, alii ? solus Sannio servat domi. 10

THR. Tu hosce instrue : hic ego ero post principia : inde omnibus signum dabo.

*pugnare cogitas ? SA. Egone peniculum in bello non ferrem, quo vulnera abstergerem ? cum Imperatoris fortitudinem notam haberem, et robur militum, nec sine sanguinis effusione hanc obsidionem fieri posse. THR. Ubi alii sunt ? SA. Quinam, malum, sunt isti alii ? Solus Sannio abest, qui custodit res quæ sunt domi. THR. Tu hosce ordina. Hic ego stabo in media acie post principes milites. Ex isto loco omnibus signum dabo incundi certaminis. GN. Istud est peritum et pru-*



Bip. Quid ignave. peniculum. Pugnare quis istunc Br.—9 Quidam Codd. cum interrogationis signo hæc exprimunt, quos secutus sum. West. Nostri omnes cum Edd. vett. et Pr. p. 870. longe numerosius, non posse fieri. Bent. Sic Br. Perl. S. s. hocne posse fieri ? qui a. vulnera Both.—10 Ms. M. Lips. et G. cum editis quibusdam, domum. Gruterus, Inscript. pag. 769. 'Domum servavit.' Quanquam id potius notat, domum prole auxit. Apul. Metam. vi. 'Ante ipsum limen et atra atria Proserpinæ semper excubans, servat vacuam Ditis domum.' Dixit autem domi, uti Plautus Amph. 1. 1. 196. Mostell. 11. 2. 21. Ovid. Met. 1. 625. Perperam existimat Bæcl. Donatum legisse, domum. West. Domi Bent. edidit : recte. Zeun. J. Quid. GM. domum. Perl. Domum Z.—11 Instrue hic, ego EP. West. Dele hic

#### NOTÆ

10 Qui, malum, alii] 'Mælum' vicem interjectionis irascentis sustinet.

11 Hic ero post principia] Id est, post Principes in acie. Milites in militia Romana Principes dicebantur secundæ aciei milites, armis maxime insignes : ita enim acies apud Romanos instruebatur, ut primi hostes aggrederentur manipuli Hastatorum, ex flore juvenum pubescentium collecti : qui si hostem propulsare non possent, a Principibus, qui omnes scutati erant, in intervalla ordinum recipiebantur. Moxque hi, nempe Principes, in eorum, nempe Hastatorum, locum succedebant. Hastati autem post eos subsequebantur. Si a Principibus quoque non satis feliciter es-

set pugnatum, a prima acie ad Triarios paulatim se referebant ; unoque agmine facto, nullaque spe post se relicta, una omnes in hostem procedebant. Principia est locus in acie Principum militum. Inde, post principia esse, significat, in tuto esse, ubi noster Thraso se collocaverat. Principia etiam est locus in castris, ubi habitat Dux et Imperator. Hæc ex Livio sub finem octavi libri primæ Decadis. Ceterum Homerus Iliados v. laudat Diomedem, quod inter Principes prima acie pugnaret ; sicut Homerum imitatus Virgilius similiter Æneam de fortitudine laudans ait : 'Se quoque Principibus permixtum agnovit Achivis.'

GN. Illuc est sapere! ut hosce instruxit, ipse sibi cavito loco.

THR. Idem hoc jam Pyrrhus factitavit. CH. Viden' tu, Thais, quam hic rem agit?

Nimirum consilium illud rectum est de ocludendis ædibus.

THA. Sane, quod tibi nunc vir videatur esse hic, nebulo magnus est. 15

Ne metuas. CH. Quid videtur? THA. Fundam tibi nunc nimis vellem dari,

Ut tu illos procul hinc ex occulto cæderes: facerent fugam.

THR. Sed eccam Thaidem ipsam video. GN. Quam mox irruimus? THR. Mane.

*dentem esse. Quam recte milites disposuit! quam prosperit sibi tuto in loco!*  
THR. Hoc idem Pyrrhus observavit, hunc ordinem tenuit. CH. Videsnetu, Thais, quid agat Thraso, ut nos oppugnet? Certe prudens consilium est, nos intra domum recipere, et fores ocludere. TH. Sane hic vanus nugator est: nec est causa cur tibi fortis Imperator nunc esse videatur. THR. Quid censes faciendum, Gnatho? GN. Fundam nunc vellem tibi in manus dari, ut tu illos obsessos feriores clandestino et latenter; in fugam se darent. THR. Sed ecce Thaidem ipsam video. GN. Quin

\*\*\*\*\*

cum Pet. Bent. Delet Both. Instrue hic: ego vero post Br.—12 G. i. s. c. locum; et supra scriptum cautus elegit. West. Ipse Br. Both. Locum Guelf. 1.—13 Idem hocce] Bem. Bas. ac Do. Idem hoc jam; alii scripti alia quidem collocatione, omnes tamen jam habent. Fa. Hoc jam etiam nostri. Vir doctus malit Idem hoc etiam Pyrrhus: poterat meliorem numero, et Pyrrhus. Ceterum omittunt hinc plerique scripti nomen Thrasonis; ut totum hoc Gnathonis sit; qui mirus artifex, palam hæc eloquendo, et irrideat simul et aduleatur. Sed aliter Donatus ad v. 8. 3. Bent. Temere Dac. vult legi factitat. Zeun. Plerique Mss. omittunt nomen Thrasonis. Sed conveniunt bene in magnifice ineptum. Bip. Item P. hoc jam Both.—15 Sunt libri, in quibus est, Sane, qui tibi nunc vir videtur esse, hic nebulo magnus est. Idem jam Riv. observavit. West. Repone ex vett. Edd. et Donato etiam Msto, et sex nostris codicibus, Sane qui tibi nunc vir videtur esse, hic nebulo magnus est. Hic omnia clara sunt et perspicua: lectio altera tenebras frustra offundit. Bent. Vulg. lect. obscura et inepta; sed clara et perspicua quam e Mss. revocavit Bent. R. D. Bent. sequuntur Bip. Both. et Perl. qui monet videtur tibi esse in Guelf. 2. Esse, hic nebulo Z.—16 Ne m. THR. Q. videtur? GN. Fundam, &c. Br. et nostræ omnes Edd. præterquam Westerhovii, qui notat verba, 'Fundam,' &c. etiam Donati ætate a nonnullis credita esse Thaidis ad Chremetem, et suam vindicat lect. Nunc tibi fundam Both.—17 Ut illos Tr. West. Ut proc. hinc ex occulto Both.—18

#### NOTE

13 Pyrrhus factitavit] Se post principia posuit. Pyrrhus, Epirotarum Rex. Pyrrho Hannibal inter Imperatores, cum primas Alexandro Magno dedisset, secundas tribuit, quod cas-

tra metari primus docuerit, id est, describere et locare; camper: ad hoc nemo elegantius loca ceperit, præsidia disposuerit; choisir bien les lieux: se fortifier.

Omnia prius experiri, quam armis, sapientem decet.

Qui scis, an, quæ jubeam, sine vi faciat? GN. Di vos-  
tram fidem! 20

Quanti est sapere! nunquam accedo, quin abs te abeam  
doctior.

THR. Thais, primum hoc mihi responde; cum tibi do istam  
virginem,

Dixtin' hos mihi dies soli dare te? THA. Quid tum  
postea?

THR. Rogitas? quæ mihi ante oculos coram amatorem  
adduxti tuum!

*mox impetum facimus?* THR. *Mane; omnia prius consilii prudentia, quam vi armorum, tentare sapientem convenit. Fortasse quæ jubebo, nulla vi adhibita, factura est.* GN. *Dii vestram fidem! quanti æstimandus est ille, qui sapit! nunquam ad te accedo, quin doctior recedam.* THR. *Thais, primum hoc mihi responde; cum tibi darem istam virginem, nonne mihi promisisti hos dies soli mihi te concessuram?* TH. *Quid tum postea?* THR. *Istudne rogas, quæ mihi coram ante oculos*



Festus *In quam.* Pall. tres *irruamus.* Ceterum magis placet exclamandi nota Parei, quam interrogandi aliorum. *Perl.* Punctum maximum dat Bip. *Irruemus* Guelf. 2.—19 *Næ*, parum consulit huic loco Guyetus, glossema vocans τὸ sapientem, quo tota gloriatio continetur. E Dionys. citat Lindenbruchius: *Μὴ πρότερον ἀρξαι τῶν ἔργων, πρὶν ἢ πειρασθῆναι τῶν λόγων.* Qui locus favet lectioni quorundam Librorum, *experiri verbis* legentium, ob octonarium. In aliis est, *consilio*, quod et apud Nonium legas. Prius defendit Muretus, improbane Rivio: laudans hæc e Libanio: *Πρώτον μὲν γὰρ τὰ δίκαια τῷ λόγῳ πειρᾶσθαι λαμβάνειν, ἀλλὰ μὴ τοῖς ὅπλοις ἐπιπηδᾶν, ἀνθρωπινώτερον δὴ ποιεῖν.* Unde suspicabatur, Aldum [quem sequitur Heinsius] hausisse suum *verbis*. West. *Omnia prius experiri, quam armis, sapientem decet*] Nonius bis 'armis' v. Manere et v. *Experiri*: et sic utroque loco codex noster vetus. Do. habeat sibi suas Figuras, quibus nihil hic opus. Quid enim promptius, quam magno et sententiæ et versus commodo id ipsum, quod Magister postulat, reponere? *Omnia prius experiri, quam arma, sapientem decet.* Sane codex egregius 900. annorum, nunc in Bibliotheca publica, *armas sapientem*: postea per a literam i trajecta est: s adhæsit ex sequente. Bent. *Omnia prorsus* Vet. Cod. Lind. Dura est ellipsis. Placet quod Bent. reponit. R. D. G. C. *consilio*, haud dubie ex Nonio sumtum. *Perl.* Nos putamus conciliari lenissime pacem, sic legendo: *O. p. exp. quam armis, sapientia, decet.* Bip. *Arma* Both. *Perl.*—20 *Sine vi, quæ jubeam* Both.—21 Mureto placebat, *accedo ad te*: quomodo est in quibusdam codd. West. Symm. ix. 79. 'Quod ait noster comicus, Nunquam te adeo, quin abs te doctior abeam, id ego de epistolis tuis,' &c. Lind.—23. 24 *Quo mihi ante oculos G. West. Mihi hos]* Ex Bem. ita facta collocatione verborum, *hos mihi*, item ex eo libro et omnibus aliis, ac Donato, *coram amatorem*, ita hos versus ordinamus: *Dixtin hos mihi dies soli dare te?* TH. *Quid tum postea?* | THR. *Rogitas? quæ mihi ante oculos coram amatorem adduxti tuum?* Fa. Atqui omnes nostri cum Edd. vet. *hos dies mihi soli.* Lego, *hosce mihi dies soli dare te.* Bent. *Dixtin Ms. Par. pro, Dixistine. Perl.* qui sequitur Bent. *Hos dare mihi dies te soli* Both.

THA. Quid cum illo agas? THR. Et cum eo clam te subduxti mihi? 25

THA. Lubuit. THR. Pamphilam ergo huc redde, nisi vi mavis eripi.

CH. Tibi illam reddat? aut tu illam tangas? omnium!  
GN. Ah, quid agis? tace.

THR. Quid tu tibi vis? ego non tangam meam? CH.  
Tuam autem? Furcifer!

GN. Cave sis; nescis, cui nunc maledicas viro. CH. Non tu hinc abis?

*amatorem apposuisti tuum? TH. An tibi dignus videtur ille, quicum loquaris? THR. Et cum eo furtim a me discessisti? TH. Ita lubuit. THR. Pamphilam huc igitur adduc, et redde, nisi vis eam tibi per vim eripi. CH. Tibi illam reddat? aut tu eam attingas, omnium scelestissime? GN. Ah quid ais? tace. THR. Quid tu tibi vis, cum tua nihil intersit, Gnatho? Ergone meam tangere quis prohibeat? CH. Tuam autem ais esse, furcifer? GN. Vide, sis, ignoras cui viro nunc convicium dicis. CH. Non tu hinc abis, impure? scisne, o Miles! ut tecum agatur?*

\*\*\*\*\*

‘Rogitas’ collocant Delphi. Bip. in vs. 23.—25 Joh. Clericus, Art. Crit. III. 1. 9. 13. *Quin* legit, sed præter fidem Codicum. Integer hic versus Gnyeto suppositivus videtur. Immerito. *West. Quid cum illo agas? Et cum eo clam subduxti te m.* Hunc ordinem verborum habent omnes fere l. s. et Donatus. Ceterum in aliquibus et quidem antiquis exemplaribus est *cum illoc*. Ita melius constat trochaicus. *Fa.* Etiam ex nostris bene multi *Quid cum illoc agas?* non *illo*. Sed mirum est omnes codices hoc Thaidi tribuere; cum lii duo versus Thrasonis ambo sint. *Bent. Quid cum, &c.*] Hæc verba Thrasonis sunt, non Thaidis. *R.D. Quid tu Guelf. 1. Agis 2. Perl. Quid? cum illoc agas?*] *Vulg. Quid cum illoc agas?* Confusum s. nullum sensum verum gignit. Unde et Arg. 1496. legebat *Quid c. i. agis?* Al. ista verba etiam Thrasoni tribuunt, sed præter codd. et sensum. Clericus volebat *Quin*; sed et sic oporteat *agis*. Bip. *Illoc* Br. Both. et Perl. qui totum vs. dat Thrasoni. *Subduxisti te mihi Delph.—26* Mss. plusculi *nisi si vi*. Ita et EP. *West.* Meliores codices habent, *nisi si vi*: quorum alterum cum supervacuum sit, ejecerunt *si*: ego vero *vi* ejicio. *Bent. Libuit* Br. Delph. *Nisi si vi* Br. *Nisi si* Both. Bip.—27 *Aut tu eam*] Omnes fere libri et in iis antiquissimi, et Donatus, aut *tu illam*. *Fa.* Inter istos, opinor, libros Bembinus erat; idcirco ei nimium addictus Faërnus *tu illam* admisit, etiam cum versus dispendio. Ex tot nostris codicibus unus tantum *illam*; ceteri omnes cum vett. Edd. *tu eam*, quod, ut passim, in unam syllabam compingitur. *Bent. Ah quid ais?*] O. l. s. etiam antiquissimi, *Ah quid agis?* et eo amplius solus Bem. *Aha*, quod et placet. Quæ vero sequuntur verba ‘*Quid tu tibi vis,*’ ea Thrasoni, ut videtur, et recte, Donatus et Bem. attribunt. *Fa.* *Agis*, plurimi ex nostris: sed omnes ‘*Quid tu tibi vis?*’ Chremeti male assignant. *Bent. Eam* Perl. qui notat *illam* habere Guelf. 2. *Tibi eam reddat, aut tu eam tangas...ais* Br. *Ais* Z. *Ha* Eug. *T. i. reddat? tu illam tangas, omnium . . .?* GN. *Ah, q. agis?* CHR. *Tace, &c.* Both.—28 *Quid tu tibi vis?* In Leidd. quatuor, Lipsiano, aliis, sed et editis antiquissimis hæc Chremeti ascribuntur. Neque sane inepte. Ms. Lips. *tangam eam?* Scilicet scriptum fuerat, *tangaM eam*: quod valet, *tangam meam*. *West.* *Alia nostræ edd. autem, furcifer?*—29 *Maledicas nunc* Bent. Delph.

Scin' tu, ut tibi res se habeat? si quicquam hodie hic turbæ cœperis, 30

Faciam, ut hujus loci, dieique, meique, semper memineris.  
GN. Miseret tui me, qui hunc tantum hominem facias inimicum tibi.

CH. Diminuam ego caput tuum hodie, nisi abis. GN. Ain' vero, canis?

Siccine agis? THR. Quis tu es homo? quid tibi vis? quid cum illa rei tibi est?

CH. Scibis: principio eam esse dico liberam. THR. Hem!  
CH. Civem Atticam. THR. Hui! 35

CH. Meam sororem. THR. Os durum! CH. Miles, nunc adeo edico tibi,

Ne vim facias ullam in illam. Thais, ego eo ad Sophronam

Nutricem, ut eam adducam, et signa ostendam hæc. THR. Tun' me prohibeas,

Meam ne tangam? CH. Prohibeo, inquam. GN. Audin' tu? hic furti se alligat.

Satis hoc tibi est. THR. Idem hoc tu ais, Thais? THA. Quære, qui respondeat. 40

*Si vel minimam turbam hodie hic commoveris, faciam, ut hujus loci, diei, meique semper memoriam habeas. GN. Misereor tui, qui hujus tanti hominis inimicitias suscipias. CH. Infringam caput tuum hodie, nisi abis. GN. Siccine minoris, impudens? THR. Quis tu homo es? Quid tibi vis? Quid tibi rei est eum illa? CH. Primum ego assero eam esse liberam. THR. Hem! CH. Civem Atticam. THR. Hui! CH. Meam sororem. THR. Frons ferrea! CH. Miles, nunc etiam tibi denuntio, ne vim ullam facias contra illam. Thais, ego eo ad Sophronam nutricem, ut eam huc adducam, et hæc monumenta agnitionis ostendam. THR. Tunc prohibere possis, ne in servam meam manum injiciam? CH. Prohibeo. Iterum tibi denuntio. GN. Audisne, Thraso? Hic furti se reum futetur scilicet, se dolo malo rem a proprio domino auferre et detinere. Sufficitne hoc tibi ad repetendam in jure virginem servam tuam? THR. An idem hoc ais, quod Chremes, Thais? TH. Indignus es cui respondeam; quære*

~~~~~

Bip. Both. Nunc Perl. omittit.—30 *Feceris* Mss. quidam et editi. West. Sic Br. Turpe pro turbæ Bip.—31 *Ut* omittit Delph.—33 *Nisi hodie abis* Ms. Lips. West. Tuum] J. et Venetus cod. tibi. Perl. Tibi præbent B et C: Hel. tuum tibi. Vulgo tuum, minus eleganter. Both. qui dat tibi.—34 *Sic agis?* R. [et Br.] Lind. *Homo es* Br. Z. Bent. Bip. Both.—35 *Hui!*] Ms. Lips. Qui? West. Eam delet Both.—37 Ms. Lips. [et Br.] TH. Ego eo: quod et alii libb. præferunt: perperam. Thais per lacunam abest a G. Abest etiam ab ET. EM. West. Thais nescit Gueff. 1. Vim ne dat Both. Ego ad S. eo Delph.—39 Videtur Eng. legisse: furti te alligat. West. Om-

THR. Quid nunc agimus? GN. Quin redeamus: jam hæc tibi aderit supplicans

Ultero. THR. Credin'? GN. Immo certe. Novi ingenium mulierum:

Nolunt, ubi velis; ubi nolis, cupiunt ultro. THR. Bene putas.

GN. Jam dimitto exercitum? THR. Ubi vis. GN. Sanga, ita, uti fortes decet

Milites, domi focique, fac vicissim ut memineris. 45


SA. Jamdudum animus est in patinis. GN. Frugi es.

THR. Vos me hac sequimini.

alio responsum. THR. Quid nunc agere debemus, Gnatho? GN. Age, redeamus: jam hæc ad te veniet sponte supplicans, ut ei veniam condones. THR. Credisne? GN. Sic certe est: ita comparatæ sunt a natura mulieres; quando vis, nolunt; quando nolis, volunt, et cupiunt ultro, nemine suadente. THR. Recte judicas. GN. Jamne mox missionem militum faciam? THR. Quando voles. GN. Sanga, fac ut culinæ cibique memineris, sicut fortes decet milites, qui alacres pro focus et penatibus pignant. SA. Jampridem a bello aversus animus in epulis et cupediis totus est. GN. Bonæ frugi es, et utilis. THR. Vos hac me sequimini.



nes antiqui libri habent *prohibebo*. Fa. Tres ex nostris vetustissimi *prohibebo*; ceteri *prohibeo*. Utrumvis probe. Bent. qui dat *prohibebo* cum Br.—40 *S. h. est tibi*] Do. legit *Satin' h. est tibi*: et post 'ais' addendum *Thais*: ubi rursus notata loquentis persona locum fecit errori. Er. Ms. Lips. *Satis hoc tibi est?* Commode autem hæc in Libris quibusdam [ut Br.] tribuuntur Chremeti, seu cum interrogatione pronunties, seu citra interrogationem. Guyeto *rd ais* glossema est, et subaudiendum. Videtur sibi placere Thraso in sua paronomasia, *ais, Thais*. Estque hoc specimen Atticæ illius eloquentiæ. West. *Satin hoc est tibi*] Non temere in ullo invenias l. s. hanc lectionem: sed in omnibus et Donato, *Satis hoc tibi est*, quæ verba Militi, et recte, Donatus attribuit. Fa. Vir doctus refingit, *Sat hoc tibi est*. Ego malim per interrogationem, et hoc ejecto, *Satis tibi est?* Bent. Dant *Satis hoc tibi est?* Br. Perl. *Satin' hoc est tibi?* Delph. *Satis tibi est?* Both. *Hoc idem tu ais* Delph. sine *Thais*. *Idem hoc tu, Thais* Both. sine *ais*.—41 Non inepta lectio quorundam Librorum: *Quid? redeamus*. Sunt vero Mss. [ut Br.] integrum hunc versum Gnathoni tribuentes. West. *Quin redeamus*] Ita quidem Codices, uno ex nostris Academico excepto, qui a manu prima *redimus* habuit; postea factum *redeamus*. Quanto venustius *Quin redimus*. Bent. Q. *redimus* recte Bent. edidit. R. D. Sic Both. Perl. Habet Br. *Quid nunc agimus, quin redeamus? Jam* &c.—42 *Ingenia* Pal. 1. *Perl.* Sic dat Both.—43 *Tu ante 'velis'* Guelf. 1. 3. *Tu post 'ubi'* utrumque 2. *Perl.*—44 *Ita ut* Bent. Both. Perl. *Ut sine ita* Br. Z.—45 *Dominique* editi quidam vetusti. West. Unam tantum copulam continet Bem. et alii antiqui, ac Donatus, *domi focique*; quod et meliorem habet numerum. Fa. Sic et nostri omnes, et Pr. p. 719. Bent. *Foci et domi* Eug.—46 Ms. Lips. SA. *Vos me hac sequimini*. Ita et Bœcleri Mss. omnes. EP. *sequimini hac*. West. *Est animus*] Donatus et omnes libri scripti Terentii, præter Bembinum, habent hanc collocationem, *animus est*: quæ et versui commodior est. Fa. Nostri quoque omnes, *animus est*. Bentleius. THR. *Vos me hac sequimini*] Nostri omnes, tribus demtis, *Sangæ* hoc tribuunt. Male, opinor. *Id.* Br. SA. *Vos hac me s.*





The background is a complex marbled paper pattern with swirling, organic shapes in various shades of grey, black, and white. A large, white, rounded rectangular pocket is centered on the page, containing the text.

**PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET**

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

